CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS AD MENTEM DIVI THOMAE...

Digitized by Google

P.VI.24*

NALE VITT. EMANUELE

Digitized by Google

183 1

~~B I a 475 f~~

14-18-2-36

CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS

AD MENTEM DIVI THOMÆ

Doctoris Angelici directus:

IN QVO

Philoſophia univerſa ex ipſis planè fundamentis & principiis methodo hactenus arteque inuſitatâ reſtauratur:

Concluſiones etiam ſingulæ ex principiis tribus expoſitis ſyllogiſticè deductæ nervosè reducuntur:

ET PRO ELIDENDIS DIFFICULTATIBUS OBJECTIONES quælibet ſuis plenè inſtantiis evacuantur.

Cum Indice Quæſtionum neceſſario.

AVCTORE

P. F. ALEXANDRO PINY,
Ordinis F F. Prædicatorum Sacræ Theologiæ Baccalaureo & Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

TOMUS II.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud WILHEL. & FRANC. METTERNICH, Bibliopp.
An der hohen-Schmidt / ANNO MDC. LXXXXIII.
Cum Privilegio Sac. & Cæſ. Majeſtatis ſpeciali.

Ex libris S. Mariæ in Campitello

12.3 L E 10

INDEX QUÆSTIONUM.

INTRODVCTIO ad Metaphyſicam, ubi de exiſtentia & neceſſitate Metaphyſicæ, de objecto, de definitione, de fine, de principiis cognitionis; de diviſionibus principiorum cognitionis, de ordine principiorum Metaphyſicæ, de principiis ipſius entis. [illegible] proprietatibus, de earundem diſtinctione ab ipſo ente, de unitate, de variis unitatibus, de quidditate veritatis, de veritatis diviſione, de bonitate. pag. 1.2.3.4.5.6.7.8.9

LIBER PRIMUS.

De ente creato tum in communi, tum in particulari, de incorporeo, ſive angelico. pag. 10

QUÆST. I. De conſtitutivo entis creati, an primario conſtituatur ens creatum per eſſe ab alio. 11

Concluditur negative. 13

Solvuntur objectiones. 17

Diſcutitur mens D. Thomæ. 23

II. De ente eſſentiæ & exiſtentiæ, utrum eſſentia in ente creato realiter diſtinguatur ab exiſtentia. 24

Concluditur affirmative. 26

Solvuntur objectiones. 30

Diſcutitur mens D. Thomæ. 37

Quæſtiuncula an diſtinguatur exiſtentia à ſubſiſtentia, & quanam ſit ratio hujus a priori. 40

III. De ente poſſibili: utrum eſſentia ſecundum quod poſſibilis ſit poſitivum quid & intrinſecum; non autem mera non repugnantia, ſive mera denominatio extrinſeca. 43

Concluditur affirmative. 45

Solvuntur objectiones. 48

Diſcutitur mens D. Thomæ. 53

IV. De ente modali: utrum omne quod eſt in actu aliquo exercito, ſit in eo per modum aliquem, ſive actualitatem modaliter diſtinctam. 56

Concluditur affirmative. 58

Solvuntur objectiones. 61

Diſcutitur mens D. Thomæ. 68

V. De ente ſingulari, ſeu individuali: quodnam ſit in ſubſtantiis principium individuationis. 69

Con-

Concluditur, nec per hacceitatem ſive hacceitatis modum, neque per quantitatem tanquam per formam immediatam; neque per ordinem ad quantitatem individuari materialem ſubſtantiam; ſed per ſeipſam, ita tamen ut ex duobus quibus componitur, primario proveniat individuatio ab ipſa materia, potius quam à forma. 71

Solvuntur objectiones. 76

Diſcutitur mens D. Thomæ. 87

Quæſtiuncula an & qualiter individuentur accidentia ex ſubjecto. 89

VI. *De ente creato ſpirituali ſive Angelico ſecundum ſubſtantiam: utrum natura Angelica multiplicari poſſit in plura individua intra eandem ſpeciem.* 95

Concluditur negativè. 98

Solvuntur objectiones. 101

Diſcutitur mens D. Thomæ. 109

VII *De ente creato ſpirituali ſive Angelico in ordine ad locum: per quid formaliter conſtituantur Angeli in loco:* 110

Concluſio I. *Formalis & immediata ratio eſſendi in loco reſpectu Angelorum eſſe non poteſt eorundem ſubſtantia.* 114

Concluſio II. *Formalis & immediata ratio eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco reſpectu Angelorum eſt eorundem operatio virtualiter tranſiens.* ibid.

Concluſio III. *Formalis & immediata ratio eſſendi in rebus ſive in loco merè indiſtanter reſpectu Angelorum non eſt eorum operatio, ſed modus quidam accidentalis reducendus ad prædicamentum ubi.* ibidem

Solvuntur objectiones. 118

Diſcutitur mens D. Thomæ. 124

VIII. *De ente ſpirituali creato ſive Angelico in ordine ad cognitionem: utrum aliquid adveniat Angelo, ut de novo cognoſcat ſingularia quæ de novo ponuntur.* 127

Corollarium, in quo varia de Angelo expenduntur & reſolvuntur notatu digna. 135

LIBER SECUNDUS.

De ente increato ſive de Deo. 140

QUÆST. I. *De entis increati conſtitutivo: utrum conſtituatur Deus per principium radicale intellectionis ſubſtantialis.* 141

Concluditur affirmative. 145

Solvuntur objectiones. 148

Diſcutitur mens D. Thomæ. 159

Quæſtiuncula: utrum conceptus eſſentiæ diſtinguatur ratione in Deo à conceptu naturæ; & quodnam in hoc caſu ſit ejus aſſignandum conſtitutivum. 161

II. De attributis Dei in communi utrum divina attributa pluſquam ratione differant inter ſe & ab eſſentiâ. 165
Concluditur negative. 166
Solvuntur objectiones. 169
Diſcutitur mens D. Thomæ. 175
III De Dei æternitate: Vtrum res ſive futuræ ſive exiſtentes fuerint ſemper in æternitate veræ & phyſicè præſentes. 176
Concluditur affirmativè. 180
Solvuntur objectiones. 182
Diſcutitur mens D. Thomæ. 187
IV. De Dei immenſitate: Vtrum verificari poſſit, quod ſit Deus per immenſitatem in ſpatiis imaginariis. 188
Concluditur affirmativè. 190
Solvuntur objectiones. 193
Diſcutitur mens D. Thomæ. 198
V. De omnipotentia Dei ut operativa ad extra: Vtrum actio qua operatur Deus ad extra ſit in Deo formaliter immanens, & cum Deo identificata. 201
Concluditur affirmativè. 202
Solvuntur objectiones. 204
Diſcutitur mens D. Thomæ. 207
Corollarium notatu dignum. & à Thomiſtis pro ſtabilienda præmotione, ac pro materia de auxiliis maximè annotandum. 209
Quæſtiuncula: utrum creare ita ſolius ſit omnipotentis Dei, ut nec etiam inſtrumentaliter poſſit competere creaturæ. 215
VI. De viſibilitate Dei: Vtrum poſſibile ſit videri Deum ut eſt in ſe per ſpeciem expreſſam creatam; an vero omnino impoſſibile. 222
Defenditur utraque opinio tanquam probabilis. 224. & 228
VII De ſcientiâ Dei: Vtrum poſſibilis ſit in Deo vel impoſſibilis ſcientia media. 235
Concluſio: adeo parum habet ſcientia media de poſſibilitate, ut quot ejus definitionis particulæ, tot ejus impoſſibilitatis definitiva loca. 240
Solvuntur objectiones. 246
Diſcutitur mens SS. Auguſtini & Thomæ. 256
VIII De voluntate Dei: Quale habeat divina voluntas decretum erga actus noſtros liberos. 259
Concluſio: habet divina voluntas erga actus noſtros liberos decretum prævium, prædeterminans & per ſe efficax: nec in hoc impugnando decreto eſt inter adverſarios vir cum viro; & quod majus eſt, neque vir ſecum. 261
Diſcutitur mens D. Thomæ. 270

INTRO-

INTRODUCTIO AD METAPHYSICAM.

CONTEMPLARI quid divinum eſt, inquit Ariſtoteles: tantus eſt videlicet ſcientiarum Theoreticarum præ cæteris ſplendor. Metaphyſicæ vero quæ inter ſcientias Theoreticas principatum obtinet, quanta ſit dignitas, vel ex eo maximè intelligimus, quod res omni materiâ immunes ſibi proponit contemplandas. Unde quiſquis eſt qui rerum præſtantiſſimarum tenetur deſiderio, huic ſedulò incumbat diſciplinæ, & eo quidem libentius, quo jucundior eſt ac ſuavior Dei cognitio, quam ejus ope conſequetur, ut iſtâ tandem adeptâ notitiâ ad ejuſdem amorem & cultum vehementiùs inflammetur.

Porro ut ad graviſſima, quæ in hac ſcientia pertractari ſolent, viam paremus, lubet hic aliqua præmittere de nomine, exiſtentia, objecto, fine atque principiis Metaphyſicæ, aliiſque facilioribus & notioribus, ut ſcilicet eorum adeptâ notitia, non parum juvetur animus ad diſcendorum ac difficiliorum intelligentiam; unde & introductio ad Metaphyſicam meritò appellatur, nec tamen in his diſcutiendis procedemus diſputativè, ne ſcilicet tamdiu in hoc Metaphyſicæ atrio & veſtibulo immoremur, ut nauſeat lectoris animus ſuper cibo iſto leviſſimo. Igitur

Sciendum 1. hanc Philoſophiæ partem variis inſigniri nominibus. Primo enim appellatur Philoſophia ſimpliciter, per antonomaſiam; quia reliquis Philoſophiæ partibus dignitate antecellit. Dicitur ſecundo prima Philoſophia, quia prima & communiſſima, quibus utuntur cæteræ ſcientiæ, principia ſubminiſtrat. Tertio vocatur ſapientia; & hoc non tantum quia facilè poteſt evadere in habitum ſapientiæ ob *De nominib. Metaphyſicæ*

ſummam claritatem principiorum, in quibus innumeræ propemodum concluſiones abſque ullo plane ratiocinio conſpiciuntur: verum etiam quia de rebus altiſſimis per altiſſima principia diſſerit. Quartò ab Ariſtotele 6. *Metaphyſicorum*, appellatur Theologia, ſcilicet naturalis: Theologia quidem, propterea quod divinam eſſentiam ſibi proponit cognoſcendam: naturalis verò; quia licet de Deo verba faciat, eatenus tamen de illo agit, quatenus ſolo naturæ lumine per creaturas nobis poteſt innoteſcere. In quo quidem diſtinguitur à Theologiâ ſacrâ, quæ Deum contemplatur, quatenus eſt Author gratiæ, ſeu quatenùs lumine fidei ſupernaturalis poteſt cognoſci. Dicitur denique & appellatur communiter Metaphyſica, quia ejus tractatio ab Ariſtotele tunc tantum inſtituta eſt, ubi & poſtquam libros conſcripſit Phyſicos, ut plures interpretari ſolent: vel quia de facto poſt Phyſicam naturæ ordine conſequitur; quamvis maximâ ex parte juxta ordinem facilioris doctrinæ, ſoleat à peritioribus ante alias diſciplinas explicari, multiſque ipſius Logicæ quæſtionibus intermiſceri.

De exiſtentia & neceſſitate Metaphyſicæ.

Sciendum 2. adeò certam eſſe, ac exploratam Metaphyſicæ exiſtentiam, ut à nemine ferè in dubium revocetur. Etenim admittenda haud dubiè eſt quædam ſcientia, quæ circa res ſpirituales, & circa objecta omni materiæ fæce ſegregata occupetur: Iam ſic eſt, quod nulla præter Metaphyſicam aſſignari poteſt ſcientia, quæ id muneris præſtet: non quidem Phyſica, quia hæc tota eſt in explicandis principiis & affectionibus corporis naturalis: non etiam Mathematica, quia hæc non aſſurgit ad cognitionem rerum à materia reipſa ſejunctarum, putà Dei & Angelorum, ſed res materiæ reverà immerſas, & ab eâ per mentem ſolummodo ſeparatas contemplatur: ſupereſt ergo ut detur Metaphyſica, cujus ſit ea quæ rebus corporeis & incorporeis communia ſunt diligenter perſequi & perſcrutari, atque Dei, Angelorumque ſpeculationi ſedulo incumbere. Ex quo ulterius ſequitur tantam eſſe Metaphyſicæ neceſſitatem, ut abſque ea nihil probè & perfectè ſciri poſſit: propterea quod primæ cauſæ ſeu prima principia, in quæ ſi quid ſcitur reſolvi debet, pertractantur in Metaphyſica.

De objecto Metaphyſicæ

Sciendum 3. quod quamvis non conſentiant Philoſophi inter ſe de objecto Metaphyſicæ, ſed in varias abeant ſententias; veriſſima tamen & receptiſſima eorum eſt, qui pro legitimo Metaphyſicæ objecto proponunt ens reale commune Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti, quatenus abſtractum ab

omni

omni materiâ:id enim haud dubiè intendit & inſinuat Ariſtoteles *in 11. Metaphyſica*,ubi habet,quod non eſt alterius ſcientiæ agere de ente,quatenus ens eſt,quam Metaphyſicæ;& hoc idem ultrò ratione probari poteſt, petita ſcilicet ex conditionibus legitimi objecti. Primò namque ens ita ſpectatum ut ſic Metaphyſicam conſtituit,eamque diſtinguit ab omnibus aliis ſcientiis; cum nulla præter Metaphyſicam ſcientia ſit, quæ verſetur circa ens abſtractum à quavis materia, ut patebit inductione factâ per ſingulas. Deinde hujuſmodi ens adæquatur Metaphyſicæ:nihil quippe in ea pertractatur, quod non poſſit facili negotio revocari ad tale ens, ſive tanquam principium,ut eſſentia & exiſtentia; ſive tanquam proprietas, ut unitas & veritas; ſive tanquam inferius, ut Deus & creatura, ſubſtantia & accidens.Multas denique proprietates de eodem ente demonſtrat Metaphyſica,putà quod ſit unum,verum,bonum,Reſtat ergo quod præfatum ens commune Deo & creaturæ ſit ejus objectum. Quod autem ſit Metaphyſica ſcientiarum omnium nobilisſima,ſubindeque & habens nobiliſſimum objectum, non propterea facit quod eius objectum ſit ſolus Deus;quia ſicut collectio hominum & brutorum ſolis hominibus præſtat,ſi non intenſivè,ſaltem extenſivè; ita etiam collectio Dei ſimul & creaturæ præſtat ſaltem extenſivè Deo ſeorſim ſpectato, præſertim in ratione objecti. *Conditiones objecti.*

Sciendum 4. Metaphyſicam rectè definiri Philoſophiam,ſeu ſcientiam ſpeculativam, quæ occupatur circa ens reale commune Deo & creaturæ,ſubſtantiæ & accidenti, quatenus ab omni materia ſegregatum. Ex quibus vocibus ly *ſcientia ſpeculativa*,induunt rationem generis; per eas quippè convenit Metaphyſica cum Phyſica & Mathematica: cæteræ verò habent rationem differentiæ; ſiquidem per eas ſecernitur Metaphyſica à quovis alio habitu dicitur autem Metaphyſica ſcientia ſpeculativa; ſcientia quidem, cum multas conficiat demonſtrationes de ſuo objecto non aliundè emendicatas; dicitur verò ſpeculativa, non practica; cum conquieſcat in objecti ſui,putà Dei & Angelorum cognitione, nec ullas præſcribat regulas de Deo vel Angelis efformandis. *De definitione Metaphyſicæ*

Sciendum 5. Metaphyſicæ finem eſſe perfectam cognitionem principiorum, proprietatumque entis, quatenus ens eſt, ejuſque inferiorum ab omni materia ſeparatorum. Finis namque eſt id,cujus gratiâ allicitur agens ad operandum, & quo comparato quieſcit:Iam ſic eſt, quod perfecta cognitio principiorum ac proprietatum entis quatenus ens eſt, ejuſque in- *De fine Metaphyſicæ*

feriorum ab omni materia ſeparatorum Metaphyſicum allicit ad philoſophandum, eaque comparatâ quieſcit Metaphyſicus, nec quidquam ulterius exoptat: ergo finis Metaphyſicæ eſt præfata cognitio principiorum proprietatumque entis, &c. prout perfectè habita. Porrò perfectam hanc rerum Metaphyſicarum notitiam aſſequi difficillimum eſt, quæ quidem difficultas ex duplici repetenda eſt capite. Primò quidem ex nobis, ſeu mentis noſtræ tarditate & ineptitudine; quemadmodum enim oculus noctuæ ad lucem ſolis cæcutit, ita & mens noſtra veluti caligat, dum deveniendum eſt ad rerum divinarum cognitionem. Secundo vero hoc provenit ex rebus ipſis propter earum præſtantiam ac nobilitatem: ſicut enim res quaſdam, puta punctum & materiam primam, propter earum exilitatem & tenuitatem, ita & res divinas & altiſſimas propter earum dignitatem ac excellentiam cognoſcere difficillimum eſt.

De principiis cognitionis. *Sciendum* 6. pro notitia habenda principiorum cognitionis, ad quæ præcipuè attendere debet Metaphyſica, ut ea deinde cæteris ſcientiis ſubminiſtret; ſciendum, inquam, principiorum cognitionis duo eſſe genera. Quædam enim ſunt incompleta, quæ ſunt termini ſeu partes, ex quibus conflantur complexa, quæque in præſenti omittimus; nec enim eſt hîc de iis dicendi locus. Alia verò ſunt complexa, quæ nihil aliud ſunt, quam propoſitiones quædam adeo perſpicuæ, ut probatione non indigeant. Dari autem hujuſmodi propoſitiones, ſubindeque & principia, ex eo colligi poteſt, quod alioquin nihil à nobis comprehenderetur, vel certè daretur vitioſus circulus, hoc eſt, idem probaretur per idem, vel in infinitum regrederemur. Definitur ergo principium cognitionis complexum *propoſitio per ſe nota*, ex qua plures deducuntur concluſiones, & per eam cognoſcuntur: dicitur *propoſitio* ut diſtinguatur à principiis incomplexis, quæ ſunt termini quidam ſimplices generales, ut ens, bonum, totum, &c. Additur *per ſe nota*, quia ſi egeret probatione & per aliam cognoſceretur, jam non eſſet principium, ſed principiatum: adduntur verò & reliquæ particulæ, ut conſtet illas concluſiones in quarum notitiam deducimur per primum principium, rationem habere principiati.

De diviſionibus principiorum cognitionis. *Sciendum* 7. principiorum cognitionis complexorum alia eſſe generalia, quæ communia ſunt pluribus diſciplinis, ut ſunt: *omne totum majus eſt ſua parte*; vel *totum æquatur ſuis omnibus partibus ſimul ſumptis*: alia vero ſunt propria uni tantum

tum ſcientiæ, ut dum dicitur: *Natura eſt principium motus & quietis*: vel *calor rarefacit, &c.* item eorundem alia ſunt prima ſecundum quid; & alia ſunt prima ſimpliciter: principia ſecundum quid prima ſunt quædam propoſitiones ita certæ & evidentes, ut nequeant probari per alias propoſitiones ejuſdem ſcientiæ: quamvis per principia ſcientiæ ſuperioris demonſtrari poſſint, cujuſmodi eſt ſequens propoſitio Medicinæ *contraria contrariis curantur*; quæ quidem probari non poteſt per alias propoſitiones medicas, licet probari queat per hanc propoſitionem Phyſicam: *Contraria ſe mutuo expellunt*. Principium vero ſimpliciter primum eſt quædam propoſitio in quam omnes probationes reſolvuntur, & quæ reſolvi nequit in ulteriorem probationem.

Sciendum 8. quod quamvis omnia Metaphyſicæ principia certiſſima ſint, utpote à quibus cæterarum ſcientiarum principia dependeat, ſuamque mutuantur certitudinem, nihil tamen obeſt eorundem unum eſſe veluti prius ac firmius; Unde ex principiis de quibus dubitari poteſt quoad prioritatem atque majorem certitudinem, quæque quatuor ſunt, ſcilicet: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: *quodlibet eſt vel non eſt*, ſeu *de quolibet vera eſt affirmatio vel negatio*: *quidquid eſt quamdiu eſt neceſſe eſt eſſe*; & *quidquid habet eſſe eſt unum, verum, bonum*: Ex his, inquam, principiis omnium primum & firmiſſimum eſt illud: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; Quod quidem colligi poteſt ex enumeratione conditionum, quæ ad tale requiruntur principium. Primò namque hujuſmodi principium eſt notiſſimum, quia terminis conſtat generaliſſimis. Secundò per illud, ſi non oſtenſivè, ſaltem deducendo in incommodum cætera principia probari poſſunt: ideo enim hoc v. g. admittitur principium: *Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera*, quia aliter ſequeretur hoc impoſſibile, quod idem ſimul eſſet & non eſſet. Tertio denique eſt hujuſmodi principium omnino indemonſtrabile, propterea quod nullum majus incommodum fingi & excogitari poteſt eo ad quod adigitur is, qui negat, impoſſibile eſſe, idem ſimul eſſe & non eſſe, ut conſideranti patebit. *De certitudine principiorũ Metaphyſicæ*

Sciendum 9. ens reale commune Deo & creaturæ habere cognitionis principia. Etenim quidquid convenit inferioribus adæquatè ſumptis convenit & ſuperiori communi: Iam ſic eſt, quod omnibus entis inferioribus convenit habere cognitionis principia. Creaturæ namque cognoſcuntur per ſuas proprietates & effectus; Deus vero cognoſcitur per creaturas: *Siquidem inviſibilia Dei*, inquit Apoſtolus, *per ea quæ facta ſunt* *De principiis ipſius entis.*

intellecta conſpiciuntur: ergo ens reale commune Deo & creaturæ habet cognitionis principium: imò & habet hujuſmodi ens principia rei interna Metaphyſica, prout ratione diſtincta: Exiſtentia namque & eſſentia ſunt hujuſmodi principia rei interna, unde cum eſſentia & exiſtentia reperiantur in quovis inferiori entis, ſaltem ratione diſtincta, quod dico propter Deum, in quo ut infra oſtendam diſtinguuntur ratione & virtualiter actus primus & actus ſecundus, ſubindèque & eſſentia & exiſtentia; conſequenter fit quod habeat hujuſmodi ens, nedum cognitionis principia, ſed etiam principia rei interna, ratione ſaltem diſtincta.

Quod habeat ens ſuas proprietates.

Sciendum 10. ens ut ſic, quod ex dictis ſupponitur objectum Metaphyſicæ, ſuas habere proprietates, vel, ut vocant paſſiones ſeu affectiones. Proprietates namque alicujus ſubjecti ſunt attributa quædam quæ univerſalem habent conexionem cum eſſentia illius ſubjecti, & cum illo reciprocantur, ſive habeant realem diſtinctionem à ſuo ſubjecto, ut proprietates phyſicæ reſpectu corporis naturalis, ſive ab eo non diſtinguantur niſi ſecundum noſtrum concipiendi modum: atqui *unum, verum, bonum* ita ſe habent reſpectu entis, nihil enim eſt ens, cui non conveniant hæc attributa, ut facile colligitur ex ſingulorum deſcriptione infra adductâ: ergo & tria illa ſunt & dici debent paſſiones ſeu proprietates entis. Quia verò unum competit enti, quaſi abſolutè; verum autem & bonum aliquo modo reſpectivè ad intellectum & ad voluntatem ut dicemus; ideo cum abſolutum præſupponatur reſpectivo, unum propterea dici ſolet prima entis proprietas; tum ſecunda eſt verum, utpotè quod ordinem habet ad intellectum, qui in operando prior eſt voluntate quæ habet bonum pro objecto.

Quod præfatæ proprietates minimè diſtinguantur à parte rei ab ipſo ente.

Sciendum 11. tres illas entis proprietates non propterea diſtingui à parte rei ab ipſo primario ente, ut volunt Scotiſtæ, qui & inter hæc ſuam inducentes formalem ſeu mediam diſtinctionem dicunt paſſiones entis eſſe extra rationem entis, non quidem abſolutè, ſed cum negatione hujuſmodi, qui eſt formaliter; adeo ut, inquiunt, hæc quidem falſa ſit propoſitio; *verum non eſt ens*, hæc tamen vera ſit: *verum non eſt formaliter ens*, etiam loquendo à parte rei. Etenim res propriè ſumuntur formaliter, quando ſumuntur in abſtracto: jam ſic eſt quod ens & unum verbi gratia in abſtracto conſiderata pura entitas & unitas non ita formaliter & à parte rei diſtinguuntur, ſi nāque entitas & unitas ita diſtinguerentur; cum ita

Nota. diſtinctæ faciant binarium numerum rationum formalium, &

aliun-

aliunde quælibet pars binarii ſit in ſe una ſine alia, eo quod quælibet ſejunctim ſumpta ſit aut eſſe poſſit principium numeri, quod non convenit niſi huic, quod dicitur *unum*, ſequeretur per conſequens, quod ſi entitas ita formaliter diſtingueretur ab unitate, eſſet tunc aliquid *unum* ſive unitate, ſive entitas illa quæ faceret partem binarii una eſſet etiam ſejuncta ab unitate, quod eſſe impoſſibile nemo non videt: Non igitur proprietates illæ entis diſtinguuntur formaliter & à parte rei ab ipſo ente, ita ut ſupperaddant à parte rei rationem aliquam formalem poſitivam ipſi rationi entis. Unde.

Sciendum 12. hujuſmodi paſſiones ſeu proprietates entis non niſi ratione diſtingui ab ipſo ente; adeò ut ſint quidem in ſe poſitivæ quædam rationes, ita tamen ut eandem etiam formaliter realitatem cum ipſo habeant, nec diſtinguantur in conceptu noſtro, niſi ratione alicujus connotati. Neque propterea ſequitur, præfatas proprietates, quas tribuimus enti fore entia rationis, cum non niſi per rationem diſtinguantur ut tales ab ipſo ente, non inquam hoc ſequitur, propterea quod diſtinctio rationis poteſt eſſe inter entia realia ut in Logica in Tractatu de univerſalibus oſtendimus. Unde dico, quod licet ens rationis non poſſit eſſe paſſio entis realis, nihilominus unum ens reale ſecundum unam rationem poteſt eſſe paſſio ſui ipſius ſecundum aliam rationem conſideratum; & hoc ratione diverſorum conceptuum, quorum ſcilicet unus notior & prior eſt altero, atque alterum demonſtrare poteſt, ſublatâ tamen ratione cauſæ in eſſendo; & in hoc ſenſu tribuimus proprietates enti. *Quod non niſi ratione diſtinguantur præfatæ proprietates.* *Nota.*

Sciendum 13. unitatem, quæ ut diximus, eſt quaſi prima entis proprietas, eſſe rationem formalem poſitivam, quæ explicari poteſt ut talis per eſſe principium multitudinis; unde & Ariſtoteles 10. *Metaphyſ. cap.* 5. docet unum & multa opponi contrariè, eâ ſcilicet contrarietate, quæ eſt inter duo poſitiva. Neque obſtat, quod unum explicari ſoleat per negationem, ſeu per ſui indiviſionem; hoc enim plerumque contingit, ut quæ maximè poſitiva ſunt non poſſint à nobis explicari, niſi per negationes, ut incorruptibilitas in cælo, immortalitas, infinitas in Deo, &c atque ita ens rectè dicitur unum, quatenus non eſt in ſe multa ſecundum eam rationem, in qua eſt unum, ut verbi gratia cumulus dicitur unus in ratione cumuli; neque eſt multi cumuli, quamvis poſſit aliundè dici multa entia, ſeu multi lapides ſimul poſiti. Notabis autem obiter eodem modo rem eſſe unam, quo eſt ens; adeò ut ſit una unitate eſſen- *De unitate.*

tiæ, ſi eſt ens eſſentiæ; ſi verò eſt eſſentia ſeu natura compoſita ex multis, eſt unitas compoſita, & non ſimplex. Item ſi eſt ens ſingulare eſt unitas ſingularis, quo pacto Petrus eſt ens unitate individuali ſeu ſingulari. Denique ſi eſſentia ſeu natura intelligitur eſſe eadem in multis inferioribus, dicitur una unitate univerſali.

De variis unitatibus. *Sciendum* 14. ex unitatibus aliam eſſe impropriè ſumptam unitatem, quæ dicitur communiter unitas *convenientiæ & ſimilitudinis*, per quam ea dicuntur eſſe unum in aliquo, quæ in eo conveniunt, ſeu in quo ſimilia ſunt; quomodo Petrus & Paulus dicuntur eſſe unum in homine; quæque non eſt propriè & Metaphyſicè ſumpta unitas, ſicut nec ea, quâ aliqua dicuntur unum per collectionem, ut exercitus. Item ex unitatibus aliæ dicuntur unitates *per ſe*, & aliæ unitates *per accidens*; unitas per ſe, quæ aliter dici ſolet unitas *eſſentiæ*, tunc eſt & fit, quando actus & potentia ejuſdem generis uniuntur ſimul, ut corpus & anima in homine, quorum utrumque eſt ſubſtantia; alioquin fiet dumtaxat unum per accidens, ſi non ſint ejuſdem generis, ut albedo cum lapide faciens unum album; denique aliqua etiam ſunt unum per continuationem, quæ eſt aliud genus compoſitionis, ut quando multæ aquæ ſimul uniuntur & fiunt una aqua continua: & hæc de unitatibus in genere.

De veritate. *Sciendum* 15. pro declaratione ſecundæ proprietatis entis, quæ dicitur veritas, quod ens quodlibet dicitur verum, vel per hoc quod eſt conforme cognitioni de illo habitæ, in quo ſenſu poteſt deſcribi veritas, *conformitas rei ad intellectum ſecundum id quod eſt ad id quod de eâ intelligitur*, intellectu ſcilicet enunciativo; vel potiùs, ſi lubet, ens eſt verum, quando & quia conforme eſt ideæ & cognitioni divinæ, quæ talis naturæ ens repræſentat; quo modo Petrus dicitur verus homo, quia talis in ſe eſt qualis in ideâ & cognitione divinâ repræſentatur eſſe hominis. Unde fictus homo non eſt verus homo. quia non eſt conformis cognitioni ſeu ideæ divinæ, per quam repræſentatur homo eſſe corpus, vivens, ſentiens, & rationis particeps; cur autem in tali conformitate rei ad intellectum, etiam noſtrum ſtabiliant communiter Philoſophi conceptum veritatis, exiſtimo ego ideò & ita fieri, quia quamdiu non adeſt talis conformitas rei, ſecundum id quod eſt ad id quod de ea intelligitur, tunc & tamdiu non intelligitur, ſed magis & potius ignoratur; ex quo conſequenter fit quod ſi intelligitur, verè in ſe eſt ut intelligitur, adeoque & in ejus conformitate ad

intellectum debet ejus conſiſtere formalis veritas; ſed pro majori hujus declaratione,

Sciendum 16. quod veritas tripliciter accipi poteſt; uno modo materialiter pro entitate uniuſcujuſque rei, ſecundumquam dicimus, illud eſſe de veritate alicujus rei, quod eſt de ejus entitate; alio verò modo poteſt accipi veritas repræſentativè pro repræſentativo veritatis; & iſto modo conceptus mentis; ſive actus intelligendi complexus poteſt dici verus, licet etiam poſſit & dici verus veritate primo modo acceptâ, ſecundum ſuam veram entitatem. Iſto etiam modo dicitur & propoſitio, ſive ſcripta ſive dicta eſſe vera, quia eſt ſignum veritatis formalis. Tertiò denique accipitur veritas formaliter; & hoc modo ſumpta eſt in objecto intellectus enuntiativi, ut dum dicimus: hominem eſſe animal, hoc eſt verum. In eo ſiquidem eſſe debet veritas formaliter, quod correſpondet ei, quod eſt verum repræſentativè: ſed propoſitiones & conceptus mentis dicuntur ſolum vera repræſentativè: ergo in eo conſiſtit verum ſeu veritas formaliter, quod per propoſitiones & conceptus mentis repræſentatur; quod quidem non aliud eſt, quam ipſum intellectus enunciativi objectum.

Quotuplex ſit veritas.

Notabis autem obiter veritatem hanc in ratione veritatis poſitivam eſſe in indiviſibili, id eſt non recipere magis & minus, quia ſcilicet talis eſt natura adæquationis ſeu conformitatis vel cognitionis cum objecto, vel objecti cum cognitione: ſi enim aut excederet, aut deficeret, tunc deſineret eſſe adæquatio, quod per proportionem explicari poteſt exemplo duarum quantitatum inter ſe æqualium. Quare licet aliqua veritas poſſit eſſe naturæ præſtantioris, tum evidentior aut certior aliâ, non idcirco plus dicit ratione veritatis ut ſic.

Nota.

Sciendum ultimò, ens quodlibet dici bonum, quatenus eſt in ſe perfectum, ſaltem ſecundum eſſentialia, ſine quibus nec eſſe poteſt nec concipi; juxta quod intelligendum venit quod dicit Scriptura, quod vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona; unde tranſcendentalis bonitas primò & per ſe aliud nihil eſt quam rei perfectio ſecundum ſe, ad quam conſequitur convenientia. Notabis autem bonitatem illam eſſe quidem conceptum poſitivum à conceptu entis diſtinctum, non tamen tanquam ens aliud, ſed tanquam idem alio modo conſideratū. Præfatæ namq; proprietates entis, ut dicebamus ſupra nihil ſunt, quam ſubjectū ipſum ut diverſo modo conſideratū, nempè vel ſub aliqua negatione, vel ſub denominationibus etiā extrinſecis, vel comparativè ad diverſa connotata, ex quibus ori-

De bonitate.

eriuntur illa prædicata tranſcendentalia vel unius, vel veri, aut boni : licet enim prædicatum dicatur hâc ratione includere ſuum ſubjectum, non debet id reputari inconveniens in præſenti caſu de proprietatibus entis; quia ſcilicet illud eſt enti proprium eique peculiare, ob eam quam habet tranſcendentiam, ut idem indiviſibiliter ſit conſtitutivum diverſarum rationum ſeu formalitatum, quæ ipſi identificantur. Et hæc circa proœmialia atque faciliora Metaphyſicæ dicta ſufficiant.

Nota.

LIBER I.

De ente creato, tùm in communi; tum in particulari de incorporeo, ſive Angelis.

Ordo doctrinæ.

QVIA Metaphyſica non tantum habet pro objecto ens ut ut ſic, ſed etiam contemplatur ens incorporeum completum, quales ſunt Angeli & Deus; propterea quod non alia extat ſcientia quæ verſetur circa ens abſtractum à materiâ ſecundum rem, quam Metaphyſica, ideò pro illa duplici entis ratione vulgò diſtribui ſolet Metaphyſica in tres partes, ſeu tractatus tres aut tres libros, quorum, qui primus eſt, inſcribi etiam ſolet de ente in communi, variiſque ejus diviſionibus & proprietatibus: ſecundus de ente creato incorporeo, hoc eſt de intelligentiis ſeu Angelis: & tertius denique de ente increato, nempè de Deo. Quia vero de ente in communi ejuſque diviſionibus fusè tractavimus in primo libro ſecundi tomi Logicæ, ubi ſcilicet fusè de analogiâ & tranſcendentia entis ut ſic ad ſubſtantiam & accidens, ad Deum & creaturas; nec non & de ejuſdem diviſione in varia prædicamenta, de quibus etiam ſingulis ibidem fusè egimus; quæ vero de eodem ente ut ſic & in communi ſupererant dicenda, utpote faciliora declaravimus ſupra in præmiſſis præludiis, ubi ſcilicet de proprietatibus entis tum in communi, tum de ſingulis ſeorſim ſumptis; propterea noſtram hanc Metaphyſicam in duos tantum dividimus libros: in quorum primo omnia & ſingula, quæ concurrunt ſcitu digna circa ens creatum in communi,

nec

nec non & circa idem in particulari, incorporeum ſcilicet, quod etiam cadit ſub conſiderationem Metaphyſicæ, abundè & eadem qua in tomis præcedentibus ſervata methodo diſcutiemus: in ſecundo verò celebriores, quæ circa Deum ut naturali lumine cognoſcibilem agitari ſolent quæſtiones, ſecundum vires à Domino conceſſas pariter agitabimus.

QUÆSTIO I.

De conſtitutivo entis creati, an primariò conſtituatur ens creatum per eſſe ab alio.

PRæmittendum primò, Pro declaratione tituli, non procedere quæſitum de ente creato ſub ratione formali creati, ſeu effectivè producti: certum enim eſt, creatum ut tale explicare rationem effectus dependentis à creatore, ſicut etiam Creator ut talis rationem explicat primæ cauſæ; unde ſicut Creator ut talis habet conſtitui per eſſe id, à quo aliud eſt ſub ratione entis, ſeu ſub ratione extracti à nihilo, ita & ens creatum ſub illa formalitate creati & effectivè producti, haud dubiè conſtituitur per eſſe ens ab alio, non ergo procedit quæſitum tituli de ente creato ſub illa formalitate creati, & producti effectus, ſed de eo procedit ſumpto ſub ratione limitati entis, ſive entis condiſtincti ex limitatione a Deo; adeo ut quæſiti ſenſus de primario conſtitutivo entis creati ſit iſte: quænam ſcilicet ſit prima & primaria radix limitationis repertæ in ente creato, qua diſtinguitur primario à Deo, ſive quænam ſit prima radix eorum omnium, quæ reperiuntur in ente creato. Hæc enim importatur radix in primario cujuslibet conſtitutivo, ut concedi ſolet, & patet inductione.

Duplex autem diſtinguitur ibi ſententia. Sunt enim plures, inter quos eſt Vaſques, qui explicare ſolent primarium conſtitutivum, diſtinctivum, & limitativum entis creati per dependentiam & ordinem ad Deum ut ad cauſam efficientem, exiſtimantes diviſionem illam communem entis in ens creatum, ſeu productum, & increatum, ſeu improductum eſſe non ſolum eſſentialem, ſed etiam formalem, datam ſcilicet per formalitates conſtitutivas utriuſque; unde concludunt quod primum quod intelligendum venit in ente creato ſit eſſe ab alio,

adeo-

adeoque & quod per illud primario conſtituitur. Oppoſita vero ſcientia eſt Thomiſtarum, qui ponderantes doctrinam illam, & quidem ſuo more profundam, quam affert Angelicus præceptor in 1. *part. quæſt.* 44. *art* 1. ubi habet ſanctus Doctor: *ad primum ergo dicendum, quod licet habitudo ad cauſam non intret definitionem entis quod eſt cauſatum, tamen ſequitur ad ea, quæ ſunt de ejus ratione, quia ex hoc, quod aliquid per participationem eſt ens ſequitur, quod ſit cauſatum ab alio. Vnde hujuſmodi ens non poteſt eſſe, quin ſit cauſatum, ſicut nec homo quin ſit riſibilis.* Hanc inquam ponderantes diſcipuli doctrinam Magiſtri negant, & meritò, quod eſſe ab alio, ſeu habitudo ad cauſam eſſe poſſit id, quod primò & primariò intelligendum venit in ente creato; unde & dicunt pro ſua exponenda ſententia, quod ſicut cauſa efficiens prius intelligitur conſtituta in ſe per ſuam formam in genere cauſæ formalis, quam intelligatur potens in ordine ad effectus, quos efficit vel efficere poteſt; adeo ut in Deo, verbi gratia, primarius conſtitutivus non ſit omnipotentia, qua poteſt omnia facere, ſed aliquid aliud antecedens, ex vi cujus in ſe & ad ſe intelligitur prius conſtitutus, & in quo fundatur virtus illa effectiva: ſic ſimiliter, inquiunt, ex parte effectus efficiendi vel facti ſeu creati, prius ipſum debemus intelligere conſtitutum per ſuam formam in genere cauſæ formalis, quam intelligamus in ipſo habitudinem & dependentiam ad cauſam efficientem extrinſecam etiam primam; totum enim genus cauſæ efficientis eſt extrinſecum, & præſupponit aliud genus cauſæ, formalis ſcilicet conſtitutivæ; unde & concludunt præfati Thomiſtæ primarium conſtitutivum, diſtinctivum, & limitativum entis creati non eſſe ly *ab alio eſſe*, ſed eſſe realem ejus compoſitionem, adeo ut primus conceptus, prima radix & eſſentia conſtituens rem condiſtinctam à Deo in entitate finita & limitata, non aliud ſit quam realis aliqua compoſitio.

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii, reſpectu inferendæ concluſionis, puta quod *cognoſcimus nos creata entia, & eorum eſſentias per habitum primorum principiorum*; quod *eſſe intelligibile eſſe non poteſt primum quod reperitur in ente creato*; quod *non magis exigit creatum ens produci ut ſic, quam tale ens creatum taliter produci.* Primo quidem receptiſſima eſt & veriſſima prima illa propoſitio, puta quod

cognoſ-

cognoſcimus nos entia creata & eorum eſſentias per habitum primorum principiorum, imo tali habitu ſolas creaturas cognoſcere poſſumus; cujus ratio eſt, quia habitus ille principiorum vel ad Deum terminat cognitionem ſuam, vel ad creaturas: jam ſic eſt, quod ad Deum terminare non poteſt hujuſmodi habitus lumen & cognitionem ſuam; licet enim cognoſcamus evidenter Deum eſſe, id tamen eſt per diſcurſum, & non per intuitum ſimplicem, qualis eſt cognitio præfati habitus; ex creaturis nam que prius cognitis devenimus & aſcendimus ad Deum, qui nobis non eſt immediatè cognitus, ſed cognoſcitur mediis ipſius effectibus: ergo dicendum eſt, non aliud à nobis cognoſci per habitum primorum principiorum, quam entia creata, eorumque eſſentias.

Jam vero quod receptiſſima ſit & ſecunda propoſitio, puta quod eſſe intelligibile eſſe non poteſt primum quod reperitur in ente creato, ex eo ſimiliter patet, quod cum in tantum ſit aliquid intelligibile inquantum eſt verum, propterea quod objectum intellectus non eſt aliud quam verum, conſequenter fit, quod cum verum ſeu veritas conſequatur ad ipſum ens veluti ejus proprietas, ut dictum fuit ſupra in præludiis, & ut ab omnibus conceditur, idem per conſequens dicendum ſit & de intelligibili, ac proinde ly eſſe intelligibile eſſe non poteſt primum quod reperitur in ente creato.

Demùm quantum ad tertiam propoſitionem, puta quod non magis exigit ens creatum produci ut ſic, quam ens creatum tale taliter produci, ratio eſt, quia ideo exigit creatum ens produci ut ſic, quia & id quod eſt, habet per produci, & nihil eſt præter id quod producitur: jam ſic eſt quod ens creatum tale, verbi gratia, ens per creationem productum, & id quod habet per creationem, & nihil eſt præter id quod creatur; non ergo magis exigit ens creatum produci ut ſit, quam ens creatum tale taliter produci. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit.

CONCLUSIO: *Primarium entis creati conſtitutivum, ſive primus conceptus & prima radix conſtituens rem condiſtinctam à Deo in entitate finita & limitata, non eſt ipſum eſſe ab alio, ſive à Deo; ſed eſt realis aliqua compoſitio.*

Probatur 1. Ex primo præmiſſo principio: *cognoſcimus nos entia creata per habitum primorum principiorum*: ergo non poteſt ens creatum primo & primario conſtitui per eſſe ab alio.

Pro-

Probatur conſequentia: ens ab alio, qua tale apprehendi non poteſt per habitum primorum principiorum: ergo hoc ipſo quod cognoſcimus entia creata, ſeu creaturas per habitum primorum principiorum, non poteſt ens creatum primò & primariò conſtitui per eſſe ab alio. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens:* quod apprehenditur per habitum primorum principiorum, apprehenditur ſub ratione primi, ſeu ut primum principium: ſed ens ab alio formaliter ut tale apprehendi non poteſt ſub ratione primi, ſeu ut primum principium: ergo ens ab alio, quâ tale apprehendi non poteſt per habitum primorum principiorum. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* apprehendi ſub ratione poſterioris pugnat cum hoc quod eſt apprehendi ſub ratione primi principii; cum ſub ratione poſterioris apprehendatur potius ſub ratione principiati: ſed ens ab alio formaliter ut tale apprehenditur ſub ratione poſterioris; cum ſub hac ratione apprehendatur, ut ex alio conſequutum: ergo ens ab alio quâ tale apprehendi non poteſt ſub ratione primi, ſeu ut primum principium: ergo ens ab alio quâ tale apprehendi non poteſt per habitum primorum principiorum: ergo quod cognoſcitur per habitum primorum principiorum non poteſt primariò conſtitui per eſſe ab alio: ergo hoc ipſo quod cognoſcimus nos creaturas ſeu entia creata per talem habitum, (quod eſt primum præmiſſum principium,) non poteſt ens creatum primariò conſtitui per eſſe ab alio, ſive ly eſſe ab alio non poteſt eſſe primum quod cognoſcitur & reperitur in ente creato.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio: *eſſe intelligibile eſſe non poteſt primum quod reperitur in ente creato:* ergo nec eſſe ab alio producibile poteſt eſſe tale primum in ente creato, ſeu primarium ejus conſtitutivum. *Probatur conſequentia:* prius eſt in ente creato ly *eſſe intelligibile*, quam eſſe ab alio producibile: ergo hoc ipſo, quod eſſe intelligibile eſſe non poteſt primum, quod reperitur in ente creato, nec eſſe poterit ly *eſſe ab alio producibile. Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens:* habet ens creatum eſſe intelligibile & producibile per hoc & hoc ipſo, quod habet Deus poſſe illud intelligere & producere: ſed prius intelligitur Deus poſſe illud intelligere, quam poſſe illud producere: ergo & prius eſt in ente creato ly eſſe intelligibile, quam ly eſſe ab alio producibile. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* eumdem ſervant potentiæ ordinem inter ſe, quem inter ſe ſervant eorum actus; ſed prius eſt Deum intelligere actu creatum ens, quam actu illud producere-

ducere; Ergo & prius eſt in Deo poſſe intelligere creatum ens quàm poſſe illud producere. *Major* eſt evidens, & patet in exẽplo de intellectu & voluntate, in quibus intellectus rationem habet prioris, & voluntas poſterioris; ſicut & actus intellectionis prior eſt actu volitionis, & actus volitionis poſterior. *Probatur Minor*: non habet nec poteſt Deus producere creatum ens niſi liberè: ergo in tantum actu illud producit, inquantum vult illud: ſeu nihil volitum, quin præintellectum & præcognitum: ergo prius eſt Deum actu intelligere creatum ens, quam actu illud producere: ergo prius intelligitur Deus potens intelligere creatum ens, quam potens illud producere: ergo prius eſt in ente creato eſſe intelligibile, quam eſſe ab alio producibile: ergo hoc ipſo quod eſſe intelligibile non eſt primum quod reperitur in ente creato, [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] nec eſſe producibile ſive eſſe ab alio poteſt eſſe primum quod intelligitur in ente creato, nec conſequenter primarium ejus conſtitutivum.

Probatur 3. Ex tertio præmiſſo principio: *non magis exigit creatum ens produci ut ſic, quam ens creatum tale taliter produci*: ergo non poteſt creatum ens primario conſtitui per ly ab alio produci, ſive ab alio eſſe. *Probatur conſequentia*: ly *taliter produci* non eſt de primario conceptu & conſtitutivo entis creati talis: ergo hoc ipſo quod non magis exigit creatum ens produci ut ſic, quam ens creatum tale taliter produci, non poteſt hoc ipſo creatum ens primario conſtitui per ly *produci*, ſive ab alio eſſe. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: ſi taliter produci eſſet de primario conceptu entis creati talis, non præintelligeretur ens creatum tale talem habens naturam, prius quam intelligeretur petens ita produci: ſed de facto præintelligitur talem habens naturam, priuſquam intelligatur petens ita produci: ergo non eſt ly *taliter produci* de primario conceptu entis creati talis. *Major* eſt evidens. *Probatur Minor*: dantur entia aliqua, quæ petunt produci per creationem, ut Angeli, & alia, quæ petunt produci per eductionem, ut ignis & equus; ſed ideo petunt Angeli produci per creationem, & ignis per eductionem, quia talem & talem habent naturam: ergo de facto præintelligitur ens tale talem habens naturam, priuſquam intelligatur petens ita & taliter produci. *Major* eſt evidens. *Probatur Minor*: quia Angelus ſpiritualis eſt & expers materiæ, caret ſubjecto ex quo educi poſſit, & conſequenter petit produci ex nihilo ſeu creari: forma vero ignis, quia habet eſſe receptum in materia & ab ea dependens; ideo petit

pro-

produci dependenter ab illa, ſubindeque & educi: atqui eſſe Angelum ſpiritualem & expertem materiæ, eſt habere Angelum talem naturam; & idem dicendum de forma ignis, ut per ſe patet: ergo ideo petit Angelus produci per creationem, & forma ignis per eductionem, quia talem & talem habent naturam: ergo præintelligitur creatum ens talem habens naturam, prius quam intelligatur petens ita produci, ergo ly taliter produci non eſt de primario conceptu & conſtitutivo entis creati talis: ergo hoc ipſo quod non magis exigit creatum ens produci ut ſic, quam ens creatum tale taliter produci [quod eſt tertium præmiſſum principium] non poteſt ly produci ſive ab alio eſſe, primario conſtituere ens creatum

Jam vero quoad alterum concluſionis partem, puta quod primarium entis creati conſtitutivum ſit realis ejus compoſitio, hoc unico probatur medio, eoque deprompto ex divo Thoma, atque meo judicio convincentiſſimo. Per primarium entis creati conſtitutivum non aliud intelligitur, quam primus conceptus & prima radix conſtituens rem condiſtinctam à Deo in entitate finita & limitata: ſed prima illa radix non eſt alia quam realis aliqua compoſitio: ergo primarium entis creati conſtitutivum eſt realis ejus compoſitio, ſeu quod ſit realiter compoſitum vel componens. *Major* ſupponitur: primum enim quod occurrit intelligendum in ente creato ut condiſtincto ab ente increato & infinito eſt taxata & limitata entitas; atque ita prima radix illud conſtituens in entitate finita & limitata, non poteſt non eſſe primarium ejus conſtitutivum. *Probatur Minor:* radix prima, ex qua exurgit finita & limitata entitas, ea eſt, ex qua primo habet entitas non ſibi identificare aliam vel alias entitates: ſed id ex quo primo hoc habet entitas non aliud eſt, quam realis compoſitio: ergo prima illa radix conſtituens rem condiſtinctam à Deo in entitate finita & limitata, non aliud eſt quam realis aliqua compoſitio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: ex eo primo habet entitas non ſibi identificare aliam vel alias entitates, ex quo habet quod non ſint una ſed alia & alia entitas, ut per ſe patet: ſed quod entitas aliqua non ſit una cum alia entitate, ſed alia & alia entitas, hoc per ſe primo facit compoſitio, utpote quæ per ſe & ex propria natura exigit eſſe duorum & inter duo: ergo id ex quo primo habet entitas non ſibi identificare aliam vel alias entitates, eſt realis compoſitio: ergo realis compoſitio eſt prima radix, ex qua conſtituitur res condiſtincta à Deo in entitate finita & limitata: ergo cum per primarium

entis

entis creati conſtitutivum non aliud intelligendum veniat ; quam præfata radix, evidenter ſequitur primarium entis creati conſtitutivum conſiſtere in reali aliqua compoſitione, ſive in eo quod ſit realiter compoſitum, aut componens.

Dico autem *aut componens* ; quod quidem dictum & notandum ad aliqua vitanda argumenta, quæ propter malam intelligentiam poſſent contra hanc partem concluſionis objici. Etenim exiſtentia noſtra finita eſt & limitata, ſubindeque & rationem habens conſtitutivam entis creati ; & tamen non eſt ipſa realiter compoſita ; & ſimiliter eſſentia Angeli ut condiſtincta ab exiſtentia & ſubſiſtentia, finita eſt & limitata, & tamen non eſt ipſa realiter compoſita : quia tamen compoſitionem facit realem quælibet eſſentia cum exiſtentia, & èconträ exiſtentia cum eſſentia, adeo ut quælibet ſit componens, ideo fit, quod & totum ipſum quod reſultat & componitur ſit limitatum, & extrema componentia etiam ſint limitata.

Solvuntur objectiones.

Objicies Contra primam partem. Per illud primò & primario conſtituitur ens creatum, per quod primò condiſtinguitur ab ente increato ; ſed per eſſe ab alio primò condiſtinguitur ab ente increato ſive à Deo : ergo & primò conſtituitur per eſſe ab alio. *Major* per ſe patet : idem enim eſt conſtitutivum & diſtinctivum. *Probatur Minor* : per id condiſtinguitur primò ens creatum à Deo, per cujus oppoſitum primò condiſtinguitur Deus ab ente creato : ſed per oppoſitum entis ab alio primò condiſtinguitur Deus ab ente creato : ergo & primò condiſtinguitur ens creatum à Deo per eſſe ab alio. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : Deus primò condiſtinguitur ab ente creato per eſſe à ſe ; ſed ens à ſe opponitur entì ab alio, ſive intelligendum venit per ly *oppoſitum entis ab alio* : ergo per oppoſitum entis ab alio primò condiſtinguitur Deus ab ente creato. *Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolutionibus objectorum.*

Reſpondeo Negando Minorem : licet enim ly *eſſe ab alio* tranſcendentaliter concomitetur ipſum creatum ens, non tamen eſt, nec eſſe poteſt primum, quod in eo intelligitur, ut per illud primò condiſtinguatur à Deo; quod quidem præter quam quod probatum manet ex dictis ſupra, poteſt ulterius ſuaderi ex eo, quod per ly *eſſe ab alio* importatur & exprimitur paſſivum fieri, ſeu dependentia ; jam ſic eſt quod paſſivum fieri eſſe non poteſt primum, quod intelligitur in ente creato, & per *Nota.*

quod primo condiſtinguitur à Deo ; propterea quod ipſum paſſivum fieri, ſubindeque & actualis dependentia [ut ipſe etiam Suarez docuit *in 1. Tomo Metaph. diſput.* 20. *ſect.* 5. & ut magis conſtabit ex reſponſione ad ſequentem inſtantiam] recipitur in ipſa creatura ; ſubindeque in aliquo priori debet poſſe intelligi creatura ante tale paſſivum fieri & actualem dependentiam : non ergo ly *eſſe ab alio* eſſe poteſt primum quod intelligitur in ente creato, nec per quod primò condiſtinguitur ab ente increato, ſive à Deo.

Unde ad probationem minoris negatæ nego ſimiliter minorem. Ad tertium autem in quo videtur ſita vis argumenti Nego Majorem, puta quod eſſe à ſe ſit primum, quod in Deo intelligitur, aut per quod primò condiſtinguitur ab ente creato, enim vero eſſe Deum ens à ſe nihil aliud eſt quam habere eſſe, ſed incauſatum, nec ab alio acceptum : jam ſic eſt, quod eſſe nequit prima in Deo eſſentia, primumque diſtinctivum ab ente creato & conſtitutivum, ly *eſſe incauſatum*, ſive carentia cauſæ : imo fundatur hæc carentia cauſæ in ſumma Dei actualitate & perfectione, ut ex hoc patet ratiocinio : etenim quia Deus eſt ſummè perfectus & puriſſimus actus, nihil prorſus habens de potentialitate, eſt etiam ſibi ſufficiens, & nullo alio indigens, & ſic ab omni alio independens ; ex quo conſequenter fit, impoſſibile eſſe ipſum habere cauſam, à qua recipiat eſſe, & ſic habet eſſe à ſe : eſt autem Deus purus actus & ſummè perfectus, quatenus eſt ſummè ſimplex omnem excludens potentialitatem & compoſitionem : non ergo Deus ſecundum quod condiſtinguitur ab ente creato, conſtituitur primò per eſſe à ſe, ſed potius per ſummam illam ſimplicitatem intra lineam eſſendi, utpote quæ intra talem lineam eſt primum & radicale fundamentum aliorum omnino quæ in Deo concipimus ; atque ita ex eo, ex quo primò condiſtinguitur Deus ab ente creato, minimè ſequitur primò conſtitui & diſtingui creatum ens per eſſe ab alio ; quin imo ſequitur potius primo conſtitui & diſtingui per hoc quod realem dicat compoſitionem ; cum ergo Deus ut ab eo condiſtinctus primo condiſtinguatur & conſtituatur per ſummam ſimplicitatem.

Nota, Cæterum hic quoſdam ex noſtris monitos velim, eos parum conſequenter loqui ad ſua principia, dum in exponendo primario conſtitutivo Dei concedunt; quod ubi ſermo eſt de Deo ſecundùm quod condiſtinguitur contra ens creatum, conſtitui tunc & conſtituendum per eſſe à ſe ; illi, inquam, parum conſequenter loquuntur ad ſua principia & doctrinam com-

communem apud Thomiſtas circa conſtitutivum entis creati; cum eo ſemel conceſſo evidenter ſequatur, primario conſtitui ens creatum per eſſe ab alio, ut bene probat præcedens objectio; quod tamen omnino alienum eſt à mente & doctrina præceptoris noſtri Angelici, ut patet authoritate ſupra in præmiſſis citata, & clarius patebit ex authoritatibus infra in fine quæſtionis ex eodem adductis.

Inſtabis: Contra rationem ſupra in ſolutione expoſitam. Ideo ex præfata ratione non primo condiſtinguitur creatum ens per eſſe ab alio, quia in eo importatur paſſivum fieri quod in creatura recipitur tanquam poſterius in priori; ſed intelligibile eſt, quod recipiatur paſſivum fieri in creatura tanquam poſterius in priori: ergo non valet præfata ſolutionis ratio. *Probatur Minor*; inintelligibile eſt quod via ad eſſe in ipſo, recipiatur eſſe tanquam poſterius in priori; ſed paſſivum fieri eſt via ad eſſe creaturæ: ergo inintelligibile eſt, quod recipiatur paſſivum fieri in creatura tanquam poſterius in priori.

Reſpondeo Negando Minorem: ut enim nuper dicebamus, ſicut paſſivum fieri ſumptum ut ſic eſt via ad ens creatum ut ſic, ita & paſſivum fieri tale, v.g. educi, eſt via ad ens creatum tale, puta ad formam ignis vel equi: jam ſic eſt, quod non eſt inintelligibile, quod ly *educi*, immo ly *petere educi* concipiatur ut poſterius quid in forma ignis; adeo ut ejus non ingrediatur naturam; cum potius verificetur, quod quia forma ignis talis eſt naturæ, puta materialis, ideo petit educi; propterea quod ut dicunt communiter Philoſophi *ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad fieri*, adeoque verum eſt, quod modus fiendi ſequitur ad modum eſſendi; non ergo inintelligibile eſt, quod ly *paſſivum fieri* ſit in ente creato tanquam poſterius in priori. Unde ad probationem diſtinguo majorem ſic: inintelligibile eſt, quod via ad eſſe in ipſo recipiatur eſſe tanquam poſterius in priori, loquendo in genere cauſæ diſpoſitivæ, Concedo: in hoc enim genere habet via rationem prioris: loquendo in genere cauſæ finalis, formalis & materialis receptivæ, Nego; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro quo

Notabis & quidem ſerio & diligenter, ipſum paſſivum fieri, ſive paſſivam dependentiam modaliter diſtingui ab ipſa re, ſive ab ipſa exiſtentia quæ fit, quod infero ego ex eo, quod dependentia iſta paſſiva & paſſivum fieri multiplicatur aliquando, manente unâ ſolâ exiſtentiâ. Nam quando homo, v.g. generatur; & pendet ab alio homine generante, & à Cœlo, & à Deo; cumq; paſſiva dependentia ab alio homine ſit ſolum quantum *Nota.*

ad fieri,non vero quantum ad conſervari, ſicut eſt dependentia à cauſis univerſalibus,& æquivocis puta à Cœlo & à Deo, certum eſt,quod diſtinguitur ab aliis paſſivis dependentiis reſpectu aliarum cauſarum : cum ergo paſſiva dependentia poſſit eſſe quoad fieri ſolum & non quoad conſervari, evidenter infertur paſſivam dependentiam ſive paſſivum fieri : non identificari cum exiſtentia quæ fit, utpote quæ non ſolum in fieri, ſed etiam in conſervari pendet. Juxta quam doctrinam jam dico pro pleniori ſolutione argumenti,quod cum ipſum paſſivum fieri diſtinguatur ſaltem modaliter à creatura quæ fit, ſubindeque & ſit accidens quoddam pertinens ad prædicamentum paſſionis, evidenter ſequitur quod in ipſa recipiatur creatura,ac proinde neceſſarium eſt, quod creatura rationem habeat prioris, & ei præintelligatur in multiplici genere cauſæ,nempe in genere cauſæ finalis; cum ad eam ordinetur; adeo ut quod primo ab agente intenditur, non ſit ipſum paſſivum fieri,ſed ipſa res quæ fit; & in genere cauſæ formalis,cum ex eo quod res,quæ fit talis ſit formæ,ſeu quidditatis,proveniat, ut diximus,quod petat taliter fieri; & in genere cauſæ materialis receptivæ,cum tale paſſivum fieri,utpote diſtinctum à re quæ fit,poſſit tantum reduci ad prædicamentum accidentis ſeu paſſionis, quod proinde recipi debet in ipſa creatura tanquam in aliquo priori etiam in genere cauſæ materialis receptivæ; licet in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ ly *paſſivum fieri* ſit prius.

Nota.

Vrgebis : Si paſſivum fieri reciperetur in creatura tanquam poſterius in priori,paſſivum fieri accidentis non eſſet de primo & primario conceptu accidentis : ſed hoc eſt falſum : ergo & falſum eſt quod ly *paſſivum fieri* rationem habeat poſterioris in ente creato. *Probatur Minor* : reſpectus quem dicit tranſcendentaliter accidens ad ſubſtantiam eſt de primo & primario conceptu accidentis : ſed non habet accidens reſpicere ſubſtantiam,niſi mediante ipſo fieri,ſeu niſi inquantum ab illa fit : ergo falſum eſt,non eſſe paſſivum fieri accidentis de primo & primario conceptu accidentis. *Minor* patet : non enim reſpicit accidens ipſam ſubſtantiam niſi ſub ratione cauſæ ſubſtantis & recipientis. *Prob. Major* : nihil magis eſt de primo alicujus conceptu,quam quod ejus ingreditur definitionem ; ſed reſpectus tranſcendentalis ſubſtantiæ, ſeu ad ſubſtantiam ingreditur definitionem accidentis,utpote quod definiri ſolet ens in alio: ergo reſpectus,quem dicit tranſcendentaliter accidens ad ſubſtantiam eſt de primario conceptu accidentis.

Reſpon-

Reſpondeo Negando Minorem; ad cujus probationem Nego Majorem. Licet enim concedi ſoleat præfata major à pluribus, qui ſolum à limine ſalutant quidditativos & Metaphyſicos rerum conceptus, nec intra ingrediuntur, ut talia per multum otium meditentur; immerito tamen eam concedi ex ſequenti diſcurſu colligo, pro quo unum ſuppono, quod ab omnibus & ſingulis ut indubitatum ſupponitur, puta quod Metaphyſica non ſolum habet pro objecto primario ſubſtantias, ſed etiam accidentia; ex eo ſcilicet, quod objectum primarium Metaphyſicæ ſit ens abſtrahens à ſubſtantia & accidente: jam ſic eſt, quod quamvis dicat accidens eſſentialem ordinem ad ſubſtantiam ut ad cauſam ſuſtentantem, à qua dependet, & à qua originatur, ut tamen eſt objectum primarium Metaphyſicæ non conſideratur neque attingitur ab illa accidens, ut effectus ſubſtantiæ radicatus in ipſa, & poſterior quam ipſa, ſed conſideratur & attingitur accidens ut radix & principium earum proprietatum, quæ ab ipſo oriuntur accidenti; habet enim accidens bonitatem, unitatem, intelligibilitatem, quæ ei conveniunt ut attributa ſuæ entitatis, & reſpectu quorum eſt accidens primum in ſuo genere: ergo falſum eſt, quod reſpectus tranſcendentalis ad ſubſtantiam, quamvis tranſcendentalis, ſit de conceptu omnino primo & primario accidentis, aliàs non niſi ſub tali reſpectu & conſequenter ut poſterius quid conſideraretur & attingeretur à Metaphyſica, non autem ſub ratione primi ut ſupponitur & conceditur attingi. *Nota.*

Unde ad ultimum diſtinguo majorem ſic. Nihil magis eſt de primo & primario alicujus conceptu, quam quod ejus ingreditur definitionem: ſi definitio quam ingreditur ſupponat pro vera & quidditativa definitione, Concedo: ſi vero non ſit vera definitio, ſed ſolum circumloquutio veræ definitionis, ut dicit divus Thomas, Nego. Jam ſic eſt quod definitio illa communiter tradita de accidente, puta quod ſit *ens in alio* non eſt, ut idem notat D. Thomas *in quæſtionibus quodlibetalibus* vera accidentis definitio, ſed ſolum circumlocutio veræ definitionis, adeo ut ſenſus ejus ſit: *accidens eſt ens, cujus naturæ debetur eſſe in alio*, quod quidem verificatur per hoc ſolum, quod ly *eſſe in alio* tranſcendentaliter aut ſecundario importatur: non igitur ex definitione illa communi accidentis inferri poteſt, quod fieri & originari à ſubſtantia ſit de primo & primario conceptu accidentis. Juxta quam doctrinam poteſt ſimiliter reſponderi ad id quod etiam communiter objicitur contra concluſionem, puta quod ens creatum definiri

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſolet *ens ab alio*; ad hoc inquam reſponderi poteſt, quod illa definitio eſt tantummodo circumlocutio veræ definitionis, adeo ut ſenſus ſit, quod *ens creatum talis ſit natura, cui debeatur eſſe ab alio*; quod quidem haud dubiè verificatur, quamvis eſſe ab alio non ſit primarium prædicatum, ſeu prædicatum conſtitutivum; & hoc tum ex paritate adducta de accidente; tum etiam quia quod ſit aliquid talis naturæ, ut ei debeatur aliud quid, verificatur ut patet, ubi ly *aliud quid* ſupponit ſolum pro proprietate.

Colliges, Non eſſe primarium conceptum entis creati, ſeu finiti condiſtincti à Deo reſpicere Deum ut cauſam effectivam, quod quidem præter quam quod manet ex dictis ſupra abundè & ſufficienter probatum, poteſt ulterius declarari hoc familiari diſcurſu, dicendo ſcilicet quod reſpicere Deum, & tendere ad ipſum, & ad ipſum dicere ordinem tanquam ad cauſam, eſt quaſi quærere illum & ad illum accedere, ut conferat neceſſaria, quibus indigemus: ergo prius eſt indigere quam indigentiam proponere, & ejus veluti remedium quærere: atqui ipſa indigentia, de qua in præſenti eſt ſermo, oritur ex taxatione, ut ita dicam, perfectionis & limitationis entis: ergo ante habitudinem & ordinem ad Deum præintelligitur in ente creato indigentia & limitatio entitatis & taxatio perfectionis: unde ſicut in rebus humanis, quod pauper accedat ad divitem & quærat illum petens ab eo eleemoſynam, oritur haud dubiè ex paupertate & indigentia, vel ex carentia eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem: ſic ſimiliter in præſenti; nam reſpicere Deum & dicere ad illum ordinem, cùm ſit illum reſpicere ut dantem & communicantem ſe, eſt conſequenter quaſi ab eo petere eleemoſynam eorum, quæ neceſſaria nobis ſunt ut ſimus & conſervemur: ergo hic ordo & habitudo, quamvis loquendo de ſimultate temporis ſimul ſemper nobiſcum currat, imo & in nobis tranſcendentaliter involvatur, ſiſtendo tamen in prioritate & poſterioritate conceptuum & à quo; de quibus ſolum in hac quæſtione proceſſit ſermo, hic, inquam, ordo & habitudo ad Deum adhuc ſupponit indigentiam, ſeu ex indigentia ortum habet; & indigentia ſupponit limitationem & taxationem perfectionis & entitatis, quæ quidem taxatio & limitatio conſiſtit in diſtinctione & compoſitione reali perfectionis noſtræ, vel ejus quod ſe habet, ut perfectio ab eo, quod ſe habet ut perfectibile, ut ſe habent in nobis exiſtentia & eſſentia, de quo videatur ſequens quæſtio.

Nota.

Quæ-

Quænam fuerit mens D.Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo ſanctum Doctorem omnino favere præfatæ no-
: concluſioni, quod quidem quantum ad primam partem
dencer colligo ex loco jam ſupra citato *ex* 1. *parte quæſt.*
*art.*1.ubi ſic loquitur:*ad primum ergo dicendum quod licet*
bitudo ad cauſam non intret definitionem entis quod eſt
uſatum, tamen ſequitur ad ea quæ ſunt de ejus ratione, quia
hoc quod aliquid per participationem eſt ens, ſequitur quod
cauſatum ab alio. Vnde hujuſmodi non poteſt eſſe quin ſit
uſatum, ſicut nec homo quin ſit riſibilis. Hæc ille, ex quibus
: arguere licet.

Quod non intrat definitionem entis, ſed conſequitur velut
ſibile ad hominem, illud eſſe non poteſt primum & prima-
ium ejus conſtitivum: ſed habitudo ad cauſam, ſive ratio
auſati non intrat ex D.Thoma definitionem entis per parti-
ipationem, ſed magis conſequitur velut riſibile ad hominem:
ergo habitudo ad cauſam ſive ratio cauſati non eſt ex D. Tho-
ma primarium conſtitutivum entis per participationem, ſive
entis creati: ſed per eſſe ab alio non aliud intelligendum venit,
quam habitudo ad cauſam ſive ratio cauſati, ut per ſe patet:
ergo ex D.Thoma non poteſt ens creatum primo & primario
conſtitui per eſſe ab alio.

Jam vero quoad alteram partem concluſionis, puta quod
primo conſtituatur ens creatum ſive finitum per eſſe realiter
compoſitum aut componens ex mente ejuſdem ſanctiſſimi
Præceptoris, colligo ſimiliter & *ex quolibeto* 7. *art.* 1. & ex *cap.*
6. *de ente & eſſentia*, ubi expreſsè dicit quod *forma non limita-
tur niſi quia in alio recipitur*; quod ex una parte recipiens quâ
tale propterea eſt finitum quid; & ex altera quidquid recipi-
tur, ad modum recipientis recipitur. Ex quibus ſic etiam licet
arguere.

Dum agitur de primario conſtitutivo entis creati, non ſu- *Nota.*
mitur ibi creatum ens ſub ratione effectus, ſive producti, ut
dictum fuit ſupra, tum quia ſub tali ratione non aliud expri-
mit quam eſſe ab alio, adeoque & fruſtra & ſine cauſa inqui-
reretur an conſtituatur per eſſe ab alio; tum quia ratio illa ex-
plicita effectus reducitur ad genus cauſæ efficientis, non au-
tem formalis, ad quam tamen ſolam pertinet rem
conſtituere & dare eſſe rei; ut dicitur communiter:

ergo dum agitur de primario conſtitutivo entis creati, ſumitur ibi creatum ens pro ente finito, taxato, limitato & per participationem ad differentiam Dei ſeu entis increati & per eſſentiam: atqui radicem ſeu radicale principium finitatis & limitationis reducit divus Thomas ad receptionem quæ compoſitionem facit: ergo ex divo Thoma prima illa radix ex qua conſtituitur creatum ſeu finitum ens in quantum tale, conſiſtit in hoc quod ſit realiter compoſitum vel componens.

QUÆSTIO II.

De ente eſſentia & exiſtentia: utrum eſſentia in ente creato realiter diſtinguatur ab exiſtentiâ.

PRæmittendum primò, quod ubi inquiritur de eſſentia & exiſtentia, intelligendum venit nomine eſſentiæ id, ſeu rés ipſa quæ per definitionem explicari ſolet, & quæ adduci ſolet ut reſpondeatur ad ly *quid eſt*: nomine vero exiſtentiæ intelligenda venit ipſa rei actualitas, qua ſcilicet ultimò ponitur extra cauſas, & quâ ſeclusa ipſa res ſeu rei eſſentia nihil eſt quoad eſſe actuale in rerum natura; unde quod in præſenti inquiritur, eſt utrum res quælibet, quæ definitum eſt in definitionibus, ſibi identificet realiter ultimam illam actualitatem qua ultimò & formaliter ponitur extra cauſas, præſertim cum per eam ſolum ſit in rerum natura, & ſine ea nihil actualiter ſit; an verò eam ſibi minimè identificet, ſed ab ea realiter ſeu modaliter diſtinguatur, ſicut id quod eſt ab eo quo eſt; ſicut habens eſſe ab eſſe habito; ſicut participans à participato; & ſicut id quod eſſentialiter convenit rei ſignificatæ per nomen eſſentiæ ab eo quod ſolum accidentaliter eidem competit: id enim quod ſignificatur per hoc nomen *Homo*, verbi gratia, habet eſſentialiter eſſe animal rationale, & ſolum accidentaliter & contingenter habet eſſe exiſtens.

Tres autem diſtinguuntur ibi ſententiæ. Prima eſt Durandi *in* 1. *diſt*. 8. *q*. 2. cui plures ſubſcribunt recentiores cum Suareſio, ubi habet quod in rebus creatis exiſtentia ſolum ratione ratiocinata diſtinguitur ab eſſentia; ita ut quælibet res per

ſuam met

ſuammet entitatem exiſtat, & tot dentur exiſtentiæ, quot fuerint entitates, taliter quod ſi entitates fuerint totales & ad aliud componendum non ordinatæ, earum exiſtentia ſit etiam totalis: ſi autem entitates fuerint partiales & ad aliud componendum ordinatæ, ſicut partiales ſunt entitates materiæ & formæ, earum exiſtentia cum ipſis entitatibus identificata ſit etiam partialis. Secũnda verò ſententia eſt Scoti *in 3. ſent. diſt. 6. q.* 1 quæ quidem cum priori ſententia convenit in eo quod velit eſſe exiſtentiam realiter & entitativè identificatam cum eſſentia, ita ut non ſit alia ab entitate eſſentiæ entitas, ſive realis ſive modalis; differt tamen ab eadem Durandi ſententia, in eo quod hæc ratione ſolum illas diſtinguit. Scotus vero prætendit illas ab invicem diſtingui diſtinctione formali & ex natura rei, quamquam velit eas in una adunari entitate & realitate. Tertia denique ſententia communis eſt apud Thomiſtas, ſtatuitque poſt D. Thomam realem diſtinctionem, ſive diſtinctionem excludentem identitatem inter eſſentiam & exiſtentiam; non ita tamen ut ſe habeant velut alià & alia res, cum enim exiſtentia non ſit completa entitas, nec tam ſit ſui quam alterius, utpote quæ eſt rei actuălitas, & quaſi ultimum exercitium non habet rigoroſè loquendo dici poſſe res, bene tamen modus ſeu modalis entitas: unde concludunt Thomiſtæ diſtingui eſſentiam & exiſtentiam ſicut aliam & aliam entitatem, quarum una res eſt completa entitas, altera vero modalis entitas & incompleta.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ, puta qùod *non datur in linea eſſendi quà tali, niſi eſſentia & exiſtentia*; quod *nequit res creata denominari exiſtens priuſquam denominetur producta*; denique quod *eſſentia cujuslibet creati habet eſſe exiſtentiæ per participationem*. Quantum autem ad primum, quod ſcilicet non detur intra lineam eſſendi quà talem niſi eſſentia & exiſtentia, ratio eſt. quia linea eſſendi qua talis abſtrahit imperfectè ſaltem à ſubſtantia & accidenti, eſtque utrique analogicè ſaltem communis: jam ſic eſt quod nihil datur commune intra lineam eſſendi ſubſtantiæ & accidenti, præter ipſam eſſentiam & exiſtentiam: non ergo ex alio conflatur linea eſſendi quâ talis, quam ex eſſentia & exiſtentia, adeo ut quamvis & ſubſiſtentia & inhærentia reducantur ad lineam eſſendi, non tamen ad eum pertinent ſub ratione lineæ eſſendi ut ſic, com-

munis ſubſtantiæ & accidenti, & conſtituentis aut importantis ipſum ens, ſed ſolum ad eam pertinent pro ut eſt linea eſſendi talis, ſeu prout tranſilit limites lineæ entis , & tranſit ad lineam ſubſtantiæ vel accidentis.

Iam vero quantum ad ſecundum , puta quod nequit res creata denominari exiſtens, priuſquam denominatur producta, ratio huius eſt, quia exiſtere in creatis nihil aliud eſt quam habere eſſe extra cauſas, & ideo dicitur exiſtentia, quaſi extra cauſas ſiſtentia: jam ſic eſt quod niſi per productionem ponitur aut poni poteſt res extra cauſas: ut per ſe patet : ergo impoſſibile eſt intelligi aut denominari rem exiſtentem priuſquam intelligatur aut denominetur producta.

Tandem quantum ad tertium, quod ſcilicet eſſentia rei cujuſlibet habet eſſe exiſtentiæ per participationem. Ratio eſt quia illud quod habet eſſe, nec habet totum eſſe tale, tunc participat eſſe, cum tunc verificetur quod partem accipiat: jam ſic eſt quod eſſentia quælibet creata hoc ipſo quod exiſtit habet eſſe exiſtentiæ , nec tamen habet totum illud eſſe , ut per ſe patet, cum ſit finitæ ſolum actualitatis & perfectionis , quæ ſemper attenditur penes aliquod eſſe : ergo & veriſſimum & receptiſſimum eſt illud tertium, quod ſcilicet eſſentia rei cujuſlibet habet eſſe exiſtentiæ per participationem. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione, & concluſionis ad eadem principia reductione fit.

Conclusio : *eſſentia in creatis eſt realiter diſtincta ab exiſtentia.*

Probatur 1. ex primo præmiſſo principio: *non datur in linea eſſendi quà tali, niſi eſſentia & exiſtentia:* ergo eſſentia in creatis eſt realiter diſtincta ab exiſtentiâ. *Probatur conſequentia:* in creatis diſtinguuntur realiter in linea eſſendi actus primus & actus ſecundus: ergo hoc ipſo quod non datur in tali linea, niſi eſſentia & exiſtentia , debent in creatis realiter diſtingui eſſentia & exiſtentia. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens:* non minus diſtingui debent in linea eſſendi actus primus & actus ſecundus, quam in linea operandi : ſed in linea operandi creata realiter diſtinguuntur actus primus & ſecundus: ergo & diſtingui debent realiter in linea eſſendi. *Minor* per ſe patet: intellectus namque qui habet rationem actus primi in linea operandi intellectivâ realiter diſtinguitur ab intellectione, quæ rationem habet actus ſecundi. *Major* vero

præ-

rquam quod ſufficienter patet ex illo communi dicto: ıs operandi ſequitur modum eſſendi, probatur inſuper on minus diſtinguuntur in linea eſſendi actus primus & ndus, quam in linea operandi, ſi ratio à priori diſtinctio- linea operandi concludat pro linea eſſendi; ſed ratio à ri diſtinctionis hujus in linea operandi concludit etiam linea eſſendi: Ergo non minus diſtingui debent in linea ndi actus primus & actus ſecundus, quam in linea operan- *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, limitatio in linea randi eſt ratio à priori diſtinctionis actus primi & ſecundi ali linea, ſed non minus concludit limitatio pro linea eſſendi am pro linea operandi, cum non minus in ea quam in iſta eriatur: Ergo ratio à priori diſtinctionis hujus in linea ope- di concludit etiam pro linea eſſendi. *Minor* per ſe patet, *obatur Major*. duplici medio.

Primo illud eſt ratio à priori diſtinctionis in linea operandi, jus oppoſitum eſt ratio indiſtinctionis: ſed illimitatio quæ nitationi opponitur eſt ratio indiſtinctionis in linea ope- ndi inter actum primum & actum ſecundum, ut patet in eo; ex eo ſcilicet quod illimitatio conſiſtit in hoc, quod num in ſe adunet omnia: Ergo limitatio in linea operandi eſt atio à priori diſtinctionis actus primi & ſecundi in tali li- ea.

Secundo quod actus primus vel ſecundus non ſibi identifi- cet omnem actualitatem ſui generis aut ſuæ lineæ, hoc haud dubiè provenit ex ejus finitate & limitatione; cum hoc ipſo quod illam ſibi identificaret, fieret tunc infinitum in tali linea. ſed ratio diſtinctionis actus primi à ſecundo in linea operandi, eſt quia actus primus non ſibi identificaret omnem actualitatem ſui generis, ut per ſe patet; quandoquidem ſi illam ſibi identificaret non amplius haberet locum talis diſtinctio: Ergo limitatio in linea operandi eſt ratio à priori diſtinctionis actus primi & ſecundi in tali linea: Ergo ratio à priori diſtinctionis hujus non minus concludit pro linea eſſendi, quam pro linea operandi: Ergo non minus diſtinguuntur realiter actus primus & ſecundus in linea eſſendi quam in linea operandi: Ergo hoc ipſo quod intra lineam eſſendi non datur niſi eſſentia & exiſtentia [quod eſt primum præmiſſum principium] hoc ipſo realiter diſtinguuntur eſſentia & exiſtentia.

Probatur 2. ex ſecundo præmiſſo principio: *Non poteſt res creata intelligi exiſtens priuſquam producta*: Ergo in creatis realiter diſtinguitur exiſtentia ab eſſentia. *Probatur conſequentia*

ſequentia, ſi eſſet exiſtentia idem realiter cum eſſentia, prius denominaretur res exiſtens quam producta: Ergo hoc ipſo quod res creata intelligi nequit exiſtens prius quam producta, non poteſt non diſtingui realiter exiſtentia ab eſſentia. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, non poteſt res non prius denominari ab eo quod ſibi identificat, quam ab alio ab ea diſtincto: ſed ſi eſſet exiſtentia idem realiter cum eſſentia, res ſibi identificaret id a quo denominaretur exiſtens, nec ſibi identificaret id a quo denominaretur producta: ergo ſi eſſet exiſtentia idem realiter cum eſſentia, prius denominaretur res exiſtens quam producta *Major* per ſe patet: prius enim intelligitur convenire rei id quod ſibi identificat, quam id à quo diſtinguitur. *Probatur Minor*, id à quo denominatur res exiſtens eſt èxiſtentia, & id à quo denominatur producta eſt paſſiva ejus productio, ſeu paſſivum fieri, ſive paſſiva dependentia; ſed ſi eſſet exiſtentia idem realiter cum eſſentia, tunc res ſibi identificaret exiſtentiam, nec tamen ſibi identificat, aut identificaret paſſivum fieri, ſive paſſivam dependentiam: Ergo ſi eſſet exiſtentia idem realiter cum eſſentia, res ſibi identificaret à quo denominaretur exiſtens, nec tamen ſibi identificaret à quo denominaretur producta *Major* patet ex terminis. *Minor* quoad primam partem patet ſimiliter ex terminis: quantum vero ad ſecundam partem depromitur ex doctrina Suareſii, contra quem præcipuè in præſenti diſputamus: docet enim *in ſua Metaphyſica, diſtinct. 20. ſect. 5. concluſ. 2.* quod paſſiva productio ſeu paſſivum fieri minimè identificatur cum re producta, unde & hoc argumentum ex ſtimo ego demonſtrativum & irrefragabile in doctrina Suareſii & ſequacium.

Nota. Quia vero nedum contra Suarem, ſed etiam contra alios hìc diſputamus, ideo ad complementum argumenti probatur illa pars minoris, de qua ſola dubitari poteſt, probatur inquam ſic; hoc ipſo quod multiplicatur paſſivum fieri, manente re quæ fit una & indiviſa, non poteſt non diſtingui paſſivum fieri à re quæ denominatur producta: ſed quando homo v.g. generatur, multiplicatur realiter paſſivum fieri, manente homine, qui fit, uno & indiviſo: ergo non ſibi identificat res quæ fit, paſſivum fieri, ſive paſſivam dependentiam. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, dum homo generatur pendet in ſuo fieri & ab alio homine, & à Cælo, & à Deo; ſed non pendet uno & eodem paſſivo fieri ſive una & eadem paſſiva dependentia: ergo multiplicatur paſſivum fieri manente

re quæ fit unâ & indiviſâ. *Major* per ſe patet. *Probatur* *r*, paſſiva dependentia hominis geniti ab alio homine eſt r quantum ad fieri, non autem quantum ad conſervari, er ſe & ad oculum patet; ſed paſſiva dependentia ejuſdem aſis univerſalibus, puta à cœlo & à Deo non eſt ſolum ntum ad fieri, ſed etiam quantum ad conſervari, ut concer, ſubindeque & perſeverat iſta paſſiva dependentia, alterâ unte & abeunte: ergo non pendet homo genitus uno & em paſſivo fieri, ſive unâ & eadem paſſivâ dependentiâ ab nine generante & à cœlo, & à Deo: ergo quando homo bi gratiâ generatur multiplicatur realiter paſſivum fieri, nente re, quæ fit, unâ & indiviſa: ergo non ſibi identificat quæ fit paſſivum fieri: ergo ſi exiſtentia idem eſſet realiter m eſſentia, ſibi identificaret res id à quo denominaretur exens, nec tamen ſibi identificaret id à quo denominaretur oducta: ergo ſi exiſtentia idem eſſet cum eſſentia, res pri denominaretur exiſtens quam producta; ergo hoc ipſo od non poteſt res creata intelligi & denominari exiſtens, iuſquã producta, (quod eſt ſecundum præmiſſum principiũ) on poteſt hoc ipſo identificari in creatis exiſtentia cũ eſſentia *Probatur 3.* ex tertio præmiſſo principio: *eſſentia in creatis abet eſſe exiſtentiæ per participationem*: ergo eſſentia in creas eſt aliud realiter ab exiſtentia. *probatur Conſequentia.* in omi ente per participationem aliud realiter eſt id quod particiat, & aliud id quod participatur: ergo hoc ipſo quod eſſenia in creatis habet eſſe exiſtentiæ per participationem, eſt aliud realiter ab exiſtentia. *Conſequentia* eſt evidens; *Probatur antecedens*, hoc ipſo quod participans reperiri poteſt ſub oppoſito, ſeu cum oppoſito participati, eſt hoc ipſo id quod participat aliud realiter ab eo quod participatur: ſed in omni ente per participationem poteſt reperiri participans ſub oppoſito, ſeu cum oppoſito participati: ergo in omni ente per participationem aliud realiter eſt id quod participat, & aliud id quod participatur. *Major* eſt evidens, aliàs idem eſſet ſub oppoſito, ſeu cum oppoſito ſui ipſius. *Probatur Minor*, & quidem ratione, & exemplo. Probo igitur ratione ſic: Quod ſolum contingenter habet participatum poteſt ſub oppoſito ſeu cum carentiâ participati reperiri; cum de ratione habentis contingenter ſit poſſe habere vel non habere, ſicut de ratione contingenter habiti, eſt poſſe adeſſe vel abeſſe: ſed in omni ente per participationem id quod participat ſolum contingenter habet participatum; cum hoc habeat ſolum dependenter à Deo hoc libe-

rè:

re, ſubindeq; & contingenter communicante: ergo in omni ente per participationem reperiri poteſt participans cũ oppoſito participati. Iam verò hoc idem probatur exemplo. Hæc eſt vera prædicatio: *Roſa hyeme non exiſtit*, ergo & verum eſt reperiri aliquando Roſam ſub oppoſito, ſeu ſub carentia exiſtentiæ: ſed ibi ly *Roſa* ſupponit pro participante Roſæ exiſtentiam: ergo & ratione & exemplo habetur, reperiri poſſe participans ſub oppoſito participati: ergo non poteſt participans non eſſe aliud realiter ab eo quod participat: ergo hoc ipſo quod eſſentia in creatis habet eſſe exiſtentiæ per participationem [quod eſt tertium præmiſſum principium) eſt hoc ipſo eſſentia aliud realiter ab exiſtentia.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolutionibus objectorum.

☞ *Objicies* 1. ſi eſſet eſſentia realiter diſtincta ab exiſtentia, eſſet & aliquid præter exiſtentiam: ſed dici non poteſt quod eſſentia in creatis aliquid ſit præter exiſtentiam: ergo nec dici poteſt realiter diſtingui ab exiſtentia. *Major* per ſe patet: ſi enim eſſet eſſentia realiter diſtincta ab exiſtentia, compararetur ad illam ut extremum realis diſtinctionis ad alterum, ſubindeque & aliquid eſſet præter exiſtentiam. *Probatur Minor*, quod eſt aliquid præter aliud eſt etiam aliquid ſine illo. Sed dici non poteſt quod ſit eſſentia aliquid ſine exiſtentia: ergo nec dici poteſt quod ſit aliquid præter exiſtentiam. *Major* videtur certa ex terminis. *Probatur Minor*: impoſſibile eſt eſſe eſſentiam aliquid ſine eo per quod habet poni extra nihilum: ſed per ſolam exiſtentiam ponitur eſſentia extra nihilum, ſeu extra cauſas, ut per ſe patet: ergo dici non poteſt quod ſit eſſentia aliquid ſine exiſtentia.

Reſpondeo negando minorem, cujus quidem falſitas, præterquam quod abundè colligitur ex dictis ſupra, poteſt ulterius ſuaderi ſic: quod habet homo v.g. ex ſe non poteſt non eſſe aliquid præter id quod habet ab alio: ſed quod homo ſit talis eſſentiæ, hoc habet ex ſe, quia ſemper homo eſt talis eſſentiæ, quod autem ſit ſub exiſtentia hoc habet ab alio ſive à Deo libere ſe communicante: ergo falſum eſt, non eſſe eſſentiam aliquid præter exiſtentiam. Vnde ad probationem minoris negatæ, ad quam debet Lector ſeriò advertere, quia latet ibi anguis in herba: ad hanc inquam nego majorem, licet eam ſupponat arguens tanquam certam ex terminis.

Licet

rminis. Licet enim ex terminis malè intellectis ſit appa- *Nota.*
ex vera hæc propoſitio , puta quod id omne , quod eſt
uid præter aliud eſt etiam aliquid ſine illo , eſt tamen in ſe
ſſima, quod quidem colligo & exemplo & ratione. Enim
res , quæ dicitur dependens à Deo eſt haud dubiè ali-
i præter ſuam dependentiam, ut per ſe patet, & ut proba-
fuit ſupra in ſecunda concluſionis probatione , ex ipſa
m doctrina Suareſii : jam ſic eſt quod quamvis ſit res à
o dependens aliquid præter dependentiam, non tamen eſt
quid ſine tali dependentia ; cum media tali dependentia
natur in rerum natura , & fiat aliquid : non ergo ſequitur
e eſſentiam aliquid ſine exiſtentia , licet ſit aliquid præter
ſtentiam ; cujus quidem ratio eſt quia hoc ipſo quod
um quid ſe habet ad aliud, ut *id quod eſt, ad id quo eſt* ,
c ipſo & eſt aliquid præter illud, ut verè ex terminis patet ;
c tamen eſt aliquid ſine illo, ut ſimiliter patet ex terminis ;
m ergo hoc in præſenti verificetur de eſſentia & exiſtentia,
nſequenter fit , quod ſit & eſſe poſſit eſſentia aliquid præ-
r exiſtentiam , nec tamen eſſe poſſit aliquid ſine exiſten-
.

Inſtabis: Inintelligibile eſt eſſentiam ſe habere ad exiſten-
am, ut id quod eſt ad id quo eſt: ergo & inintelligibile eſt,
ſſe eſſentiam aliquid præter exiſtentiam, nec eſſe aliquid ſine
xiſtentia. *Probatur antecedens :* id quod eſt comparatur ad
d quo eſt ut receptivum ad id, quod recipitur ; ſed inintelli-
ibile eſt, eſſe aliquid receptivum exiſtentiæ : ergo inintelligi-
ile eſt ſe habere aliquid ad exiſtentiam ut id quod eſt ad id
uo eſt.

Reſpondeo Negando Majorem, cujus quidem falſitas patet
videnter ex dictis ſupra , & oſtenditur ulterius ex diſcurſu ,
quem affert D. Thomas *in Quolibeto ſecundo , articulo tertio* ,
ait enim ibi S Doctor, quod in omni ente per participationem
præter id, quod participatur, datur aliquid quod participat ;
aliàs dici non poſſet ens per participationem , cum non eſſet
aliquid quod participaret : jam ſic eſt quod id quod partici-
pat intra lineam eſſendi non eſt aliud quam id quod eſt ; cum
eſſe id quod eſt, ſit eſſe id quod habet, ſubindeque quod parti-
cipat eſſe : id autem quod participatur intra lineam eſſendi
non eſt aliud quam, id quo eſt ; cum ſit eſſe habitum, ſubinde-
que & id *quo* participans eſt : ergo dari debet intra lineam eſ-
ſendi id quod eſt , & id quo eſt tanquam aliud & aliud :
atqui

atqui intra lineam eſſendi, quæ quidem (ut nuper dicebamus) communis eſt & ſubſtantiæ & accidenti, non aliud reperitur quam eſſentia & exiſtentia: ergo optimè intelligitur, quod debeat eſſentia ſe habere ad exiſtentiam ut *id quod eſt ad id quo eſt*.

Unde ad probationem nego ſimiliter minorem, puta quod non poſſit dari aliquid, quod receptivum ſit exiſtentiæ; cujus falſitas evidenter colligitur ex iis quæ dicta ſunt in prima probatione, ubi ſcilicet oſtenſum fuit ſe habere eſſentiam ad exiſtentiam ſicut actum primum in linea operandi ad actum ſecundum, ſubindeque ſicut receptivum ad id quod recipitur. Adeo quod inſtantiam patitur præfata minor irrefragabilem in doctrinâ adverſariorum, in qua ſcilicet conceditur, diſtingui ly *paſſivum fieri* à re quæ fit, ſubindeque & in ea recipi: non enim magis, imo minùs videtur intelligibile, eſſe aliquid receptivum ſui paſſivi fieri medio quo fit, quam ſuæ exiſtentiæ; cum minus videatur poſſe aliquid præſupponi ad ſuum fieri, quam ad ſui exiſtentiam: atqui in Doctrinâ Suareſii & ſequacium, qui hoc adeò extollunt argumentum, adhuc ſufficienter intelligitur rem eſſe receptivam ſui paſſivi fieri & ſuæ paſſivæ dependentiæ, atque ad eam præſupponi tum in genere materialis cauſæ, tum formalis, tum finalis, ut præterea ſupra in quæſtione præcedenti oſtenſum fuit in reſponſione ad primam inſtantiam: non ergo inintelligibile eſt dari aliquid receptivum ſuæ exiſtentiæ; quin imò inintelligibile eſt non dari, cum inintelligibile ſit non debere diſtingui in linea eſſendi ſicut in linea operandi actum primum & actum ſecundum, ſubindeque & receptivum & receptum, cum modus operandi ſequatur ad modum eſſendi, & aliunde ratio quæ probat à priori diſtinctionem actus primi ab actu ſecundo in linea operandi concludat ſimiliter pro linea eſſendi, ut probatum fuit ſupra in probando concluſionem, & ut conſideranti patebit.

Vrgebis: Receptivum exercet cauſalitatem aliquam erga id quod recipitur; ſed inintelligibile eſt exercere aliquid cauſalitatem aliquam erga ſui exiſtentiam: ergo inintelligibile eſt eſſe aliquid receptivum ſuæ exiſtentiæ. *Major* patet, cum receptivum ſit ad minus materialis cauſa illius quod recipitur. *Probatur Minor*, inintelligibile eſt eſſe aliquid exiſtens in aliquo priori ad exiſtentiam; atqui ſi exerceret cauſalitatem aliquam erga ſui exiſtentiam, intelligeretur exiſtens in aliquo priori ad exiſtentiam: ergo inintelligibile eſt exercere aliquid cauſalitatem aliquam erga ſui exiſtentiam. *Major* patet ex terminis

s. *Probatur Minor*, cauſalitas ſecum affert adjunctam entiam, cum hoc ipſo quod cauſalitas eſt, ſit quo communicatur exiſtentia; ſed omnis cauſalitas procedit in aliquo ri id, ad quod eſt cauſalitas: ergo ſi exerceret aliquid cauſatem aliquam erga ſui exiſtentiam, intelligeretur exiſtens habens in aliquo priori ad exiſtentiam.

Reſpondeo diſtinguendo minorem ſic: ſed inintelligibile eſt, quid exercere cauſalitatem aliquam erga ſui exiſtentiam, e cauſalitas ſit alia ab exiſtentia cauſata, Concedo, quod hoc inintelligibile, propterea quod vere tunc ſequitur tale d ita exercens cauſalitatem erga ſui exiſtentiam fore exiſtens in aliquo priori ad exiſtentiam, quod eſt prorſus inintelligibile: ſi autem ſermo ſit de cauſalitate erga exiſtentiam æ ſit ipſamet exiſtentia quæ cauſatur; Nego quod in hoc ſu ſit inintelligibile, aliquid exercere cauſalitatem aliquam ga ſui exiſtentiam, cum in tali caſu minime ſequatur quod quod exercet talem cauſalitatem eſſe debeat exiſtens in aliuo priori ante ſui exiſtentiam.

Jam vero quod ipſamet exiſtentia eſſe poſſit cauſalitas, qua actu ſecundo cauſatur ipſamet à cauſa receptiva oſtendo fficaciter doctrina generali, & quam à lectore multùm pro multis notandam velim. Dico igitur hoc eſſe generale in modis, ſive in modali entitate, quod ſeipſa immediatè pendeat à e quam afficit & modificat, propterea quod cum modus ex propria quidditate ſit id *quo*, ſi non ſeipſo immediatè penderet ſed per aliud; cum illud aliud eſſet etiam id *quo*, per aliud etiam penderet & reciperetur, & ſic daretur proceſſus in infinitum: jam ſic eſt quod exiſtentia ex propria ratione & quidditate eſt modus & modalis entitas; cũ ex propria quidditatē conſiſtat in hoc quod ſit exercitium ultimum rei, quod proinde non tam ſui eſt quam alterius, in quo conſiſtit ratio propria modi: ergo exiſtentia habet, quod ſeipsâ immediatè & non per aliud pendeat ab eo in quo recipitur, & quod ſeipsâ & non per aliud in eo recipiatur: atqui cauſari dicitur à cauſa receptiva per hoc præcisè quod pendet ab ea in ſuo recipi, nec in alio conſiſtit ejus cauſalitas quam in ipſa dependentia quoad ipſum recipi: ergo dicendum eſt ipſammet exiſtentiam eſſe cauſalitatem, quâ ipſamet cauſatur à cauſa receptiva; atque ita quantumcunque cauſalitas illa ſecum afferat adjunctam exiſtentiam, non propterea ſequitur fore exiſtentem cauſam in aliquo priori ad exiſtentiam, ut intendebat arguens, ſed ſequitur adſummum quod exiſtentia quaſi in fieri intelle- *Nota.*

cta ſeipſam præcedat intellectam in facto eſſe, in quantum ſcilicet ſub ea ratione qua eſt cauſalitas ſui ipſius in cauſa receptiva, conſideratur quaſi in fieri ſeu in recipi, & ſub ea ratione qua intelligitur cauſata ſive recepta cōſideratur in factō eſſe

Vrgebis iterum: ideo ergo dari poteſt cauſa ſuæ exiſtentiæ receptiva, quia eſt exiſtentia cauſatio ſive cauſalitas ſui ipſius in cauſa receptiva: ſed inintelligibile eſt, eſſe exiſtentiam cauſationem ſive cauſalitatem in cauſa receptiva reſpectu ſui ipſius: ergo inintelligibile eſt dari cauſam ſuæ exiſtentiæ receptivam. *Probatur Minor,* ideo eſt exiſtentia cauſatio ſui ipſius in cauſa receptiva, quia ſeipſa immediatè ab ea pendet & in ea recipitur: ſed hoc eſt inintelligibile: ergo & inintelligibile eſt, eſſe exiſtentiam cauſalitatem ſive cauſationem in cauſa receptiva reſpectu ſui ipſius. *Probatur Minor,* ideò exiſtentia ſeipſâ immediatè pendere dicitur à cauſa receptiva ſive ſeipſa recipi, quia ex propria quidditate eſt exercitium ultimum in linea eſſendi: ſed inintelligibile eſt eſſe ita exiſtentiam ultimum exercitium in linea eſſendi: ergo & inintelligibile eſt, pendere exiſtentiam ſeipsâ & immediatè à cauſa receptiva. *Major* patet ex dictis in ſolutione præcedenti: ex hoc enim quod exiſtentia eſt exercitium ultimum ex propria quidditate, eſt conſequenter ex propria quidditate *quo*, adeoque non indiget alio *quo* afficiat, modificet, & recipiatur; alias daretur proceſſus in infinitum. *Probatur Minor,* quod ex propria quidditate eſt exercitium ultimum, non poteſt non eſſe ſemper in actu exercito, cum nuſquam poſſit eſſe ſine eo quod eſt de propria quidditate: ſed falſum eſt quod exiſtentia non poſſit non eſſe ſemper in actu exercito; alioquin nuſquam deficeret nec deficere poſſet: ergo & falſum eſt eſſe exiſtentiam exercitium ultimum lineæ eſſendi ex propria quidditate; ſed magis dicendum eſt habere ſolum ex propria quidditate quod petat hujuſmodi exercitium, quod quidem competit eſſentiæ, quæ propterea coincidere debet cum exiſtentia.

Notan

Reſpondeo negando minorem primi, ſecundi, & tertii argumenti; ad quartum verò, in quo ſita eſt difficultas, diſtinguo majorem ſic. Quod ex propria quidditate eſt exercitium ultimum, non poteſt non eſſe ſemper in actu exercito: ſi ſit ex propria quidditate ultimum exercitium per modum entis completi, & ſe habentis ut *quod*, Concedo: quod in hoc caſu non poſſet non eſſe ſemper in actu exercito, ut patet in Deo, qui quidem cum ſit ex propria natura actualitas omnium ultima & actualiſſima per modum completi entis, & habentis

bentis ſe *ut id quod eſt*, habet etiam non poſſe non eſſe ſemper in actu: ſi vero id quod ex propria quidditate eſt exercitium ultimum, hoc ſolum habeat per modum incompleti entis & habentis ſe ſolum *ut quo*, ſeu ut id *quo*, aliud eſt in exercitio & in actu, Nego majorem; & conceſsâ minori nego conſequentiam, vel diſtinguo ſimiliter conſequens. Eſt ergo notandum & quidem ſeriò & diligenter, pro hac & aliis multis ſolvendis difficultatibus, quod quamvis creata exiſtentia ſit ex propria natura ultima actualitas, ultimumque exercitium in linea eſſendi, ex quo tamen hoc non habet niſi ad modum incompleti & modalis entis, adhuc habet deficere poſſe & poſſe deſtrui in linea eſſendi (& idem dicendum eſt de actione in linea operandi, & de omni alia modali entitate quæ ex propria natura dicit eſſe actualitatem ultimam & exercitium ultimum in aliqua linea;) ratio autem hujus doctrinæ eſt, quia quamvis exiſtentia ſit ita ex propria quidditate exercitium ultimum, ex quo tamen eſt exercitium ultimum & ultima actualitas per modum modalis & incompleti entis, ſeu entis ſe habentis ut *quo*; inde fit quod non tam ſit *ſui quam alterius*, ſcilicet actus primi ſive eſſentiæ; ex quo conſequenter ulterius fit, quod in deſtructione atque deficientia talis ultimi exercitii & ultimæ actualitatis attendi debeat ad id quod petit eſſentia ſive actus primus per illud actuatus, adeo ut juxta leges & naturam eſſentiæ ſive actus primi regulari debeat exiſtentia, quantum ad hoc quod duret vel non duret, quod permanens ſit vel deficiens: unde quia eſſentia in creatis non petit eſſe ſemper ſub exercitio ultimo, ſeu ultima actualitate lineæ eſſendi, propterea fit quod adhuc deficiat & deficere poſſit exiſtentia, licet ex propria quidditate ſit exercitium ultimum & actus ultimus; cum non duret nec durare debeat in rerum natura niſi juxta leges ipſius eſſentiæ, ut dictum eſt, cui quidem eſſentiæ conforme eſt quod non ſemper duret præfata exiſtentia, ut jã oſtendimus. Notã

Vrgebis ultimò: Impoſſibile eſt quod ea, quæ ſe habent ad modum recepti realiter & receptivi, cauſæ & cauſati, actus primi & actus ſecundi, eadem generatione generentur & corrumpantur: ſed eſſentia & exiſtentia eadem actione generantur & corrumpuntur: ergo impoſſibile eſt quod eſſentia & exiſtentia ſe habeant ad modum receptivi realiter & recepti, cauſæ cauſati, actus primi & actus ſecundi. *Major* patet, unius etiam generationis ſive actionis productivæ unus ſolum eſt terminus, adeoque non poſſunt eidem primo correſpon-

dere aliud & aliud realiter. *Probatur Minor,* homo & exiſtens homo involvunt eſſentiam & exiſtentiam; ſed eadem generatione qua generatur homo, generatur & exiſtens homo, vel è contra: ergo eadem actione qua ponitur eſſentia, eadem ponitur & exiſtentia.

Reſpondeo negando majorem, vel claritatis gratiâ diſtinguo ſic: impoſſibile eſt quod receptivum & receptum, &c. eadem generatione generentur, ſi habeant ſe in terminando generationem ſub eadem ratione, ſive ſi utrumque generetur *ut quod*, ita ut ſit id *quod* generatur, concedo: ſi vero in terminando generationem ſe habeant aliter & aliter, ita ut unum generatur ut *quod*, & aliud ut *quo*, nego tunc, quod ea quæ ita ſe habent per modum recepti & receptivi non poſſint una & eadem actione corrumpi aut generari: patet hæc ſolutio in exemplis ſequentibus. Quia enim homo v.g. & exiſtens homo, & unus homo habent terminare generationem eodem modo, taliter quod, uterque ſit id *quod* generatur; ideo rectè concluditur horum trium unitas & identitas inter ſe, eo quod una & eadem actione generentur: è contra vero quia lapis & pars ejus eſſentialis habent terminare actionem ſui productivam ſub alia & alia ratione, adeo ut lapis producatur ut quod, ſeu ſit id quod producitur; pars vero ejus producatur ut quo, ideo fit quod quamvis una producatur actionė, adhuc tamen realiter diſtinguantur; adeo ut omnino male concluderet qui colligeret, non diſtingui lapidem à ſua formâ, v.g. quia una & eadem actione producantur. Jam ſic eſt, quod quando producuntur eſſentia & exiſtentia unâ & eadem actione, non habeat illam terminare ſub una & eadem ratione, adeo ut utraque producatur ut *quod*, ſed ita potius, ut eſſentia ſit id quod producitur & ponitur in rerum natura; exiſtentia vero ſit ſolum id *quo* eſſentia ita ponitur in rerum natura, propterea quod cum debeat in creatis diſtingui actus primus ab actu ſecundo, aliàs aliquid eſſet ſua perfectio, quod in creatis implicat, ſe habet conſequenter exiſtentia ad eſſentiam velut actus ſecundus ad actum primum, ac proinde & eſt id *quo* eſſentia eſt: Non ergo rectè concluditur nec colligitur identitas & indiſtinctio inter eſſentiam & exiſtentiam, ex eo quod una & eadem actione producantur.

Colliges diſtingui ab invicem eſſentiam & exiſtentiam in creatis tanquam id quod eſt ab eo quo eſt, tanquam habens ab habito, tanquam participans a participato, tanquam perfectibile a perfectione, & tanquam actum primum ab actu ſecun-

ndo: porrò ex hac doctrina, ſive hac ſemel admiſſa diſtin-
ne inter actum primum & actum ſecundum multa com-
i poſſunt, pluresque ſolvi difficultates quæ tali ſecluſa di-
ctione non ita facilè reſolvuntur; & inter alias hæc, quæ in
rum doctrina animos torquet, putá quo jure & qua ratio-
leficere poſſunt & deſinere eſſe ultimæ actualitates, quæ
id dubiè admittendæ ſunt in rerum natura, cum in ea ad-
tendi ſint actus ſecundi, qua inquam ratione poſſunt de- *Nota.*
:re & deſinere eſſe, cum ſint eſſentialiter actus ſecundi, ſub-
eque & videantur non poſſe non eſſe in actu ſecundo, cum
: non poſſint ſine eo quod eis competit eſſentialiter. Hæc
quam difficultas facilè ſolvitur hac ſemel admiſſâ diſtin-
one inter actum primum & ſecundum, ut ſuprà in ſolutione
ultima evidenter oſtensum eſt de ultima actualitate in li-
a eſſendi; & ut pari modo oſtendi poteſt de ultima actuali-
te in linea operandi, & ſic de aliis ultimis actualitatibus in
iis lineis: actio enim, quæ eſt ultimum exercitium & ultima
tualitas in linea operandi, licet hoc habeat eſſentialiter, ita
t conſiſtat ejus quidditas in eo quod ſit actuale exercitium,
ihilominus quia hoc ipſo quod in eadem linea datur actus
rimus ab ea condiſtinctus, illa non tam ſui eſt quam alterius,
cilicet actus primi, cujus tunc eſt actualitas & exercitium ul-
imum; unde fit, quod quantum ad permanentiam in eſſe, aut
leficientiam actionis magis attendi debeat ad id quod petit
natura actus primi; ac proinde cum talis actus primus non
ſemper poſſit, nec ſemper petat eſſe actualiter operans, conſe-
quenter fit, quod poſſit præfata actio, quamvis ex propria
quidditate ſit exercitium ultimum, & ultima actualitas & a-
ctus ſecundus, poſſit inquam hoc non obſtante deſinere eſſe
& aliquando deſinat, propterea quod non habet permanere
& perſeverare in rerum natura, niſi juxta naturam principii, ſeu
actus primi petentis modo ſic, modo aliter operari, & aliquan-
do non operari.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo D. Thomam favere omnino præfatæ noſtræ
concluſioni; quod quidem apertè colligo ex variis ejus do-
ctrinæ locis. Primò namque *Opuſc. 15. cap. 8.* hæc habet: *In quo-
cumque ente præter ens primum, eſt potentia receptiva hujus
actus, quod eſt eſſe;* & in eodem loco ſubdit ſanctus Doctor:

In ſubſtantia compoſita ex materia, & forma invenitur duplex ordo, unus quidem ipſius materiæ ad formam, alius autem ipſius rei jam compoſitæ ad eſſe participatum: non enim eſt eſſe rei, nec forma ejus, nec materia, ſed aliquid adveniens rei per formam. Hæc ille, ex quibus ſubſumo ſic: jam ſic eſt quod idem non poteſt eſſe receptivum ſuæmet entitatis, nec eſſe ſibimet adveniens ſimpliciter & abſolutè loquendo: ergo actus eſſendi ſeu exiſtentia diſtinguitur in creatis entitativè à quacumque re ex D. Thoma.

Secundo conſtituit ſanctus Doctor differentiam inter eſſe Dei, & eius eſſentiam ex una parte; & eſſe creaturarum & eſſentiam illarum ex alia, quod Deus eſt ſuum eſſe, nulla autem creatura eſt ſuum eſſe, ſed quælibet, etiam Angelus, diſtinguitur ab eſſe ſuo; & hoc docet 1. *p. q. 3. art.* 4. tum 2. *contra gent. c. 52. & q. 7. de potentia art.* 2.

Tertiò denique concedit D. Thomas pluribus in locis realem compoſitionem in creaturis ex eſſe & eſſentia; idque ſpecialiter aſſerit 1. *p. q. 50. art. 2. ad* 3. & 4. tum *q. 54. art. 3. in corpore*, ubi ex eo concludit quod natura ſeu ſubſtantia Angeli eſt aliud quam ejus eſſe: ergo ex mente D. Thom realiter diſtinguitur in creatis eſſentia ab exiſtentia.

Dices 1. non loqui D. Thomam in prædictis locis de exiſtentia ſed de ſubſiſtentia, de qua ſolum intelligi debet aſſerere diſtingui realiter à natura ſeu eſſentia, & facere compoſitionem cum illa: non ergo diſtinguitur ex D. Thoma exiſtentia realiter ab eſſentia, ſed ad hoc

Reſpondeo negando antecedens, cujus quidem falſitatem ex tribus apertè colligo. Primò namque ſub diverſis articulis inquirit D. Thomas de diſtinctione eſſe ab eſſentia, & ſubſiſtentiæ ab eſſentia; ut patet 1. *part. quæſt.* 3. *art.* 3. & 4. Item *quodlib.* 2. *art.* 3 & 4. & aliis in locis. Non ergo pro eodem ſumit D. Thomas eſſe, ſeu exiſtere, & ſubſiſtere. Secundò de ipſa forma ſubſiſtenti angeli aſſerit S. Doctor diſtingui ab illius eſſe & facere compoſitionem cum illo: ait enim 1. *part. quæſt.* 50. *art.* 2. *ad* 3. *Subſtractâ materiâ & poſito quod ipſa forma ſubſiſtat in natura, adhuc remanet comparatio formæ ad ipſum eſſe ut potentia ad actum; & talis compoſitio intelligenda eſt in Angelis:* falſum ergo eſt accipere D. Thomam eſſe ſeu actum eſſendi pro ſubſiſtentia, cum dicat ipſam formam ſubſiſtentem comparari ad eſſe ut potentiam ad actum; alias in ſubſiſtentia eſſet potentia reſpectu ſui & faceret compoſitionem cum ſemetipſa.

Tertiò

Tertiò denique hoc idem colligo ex eo quod habet S. Doctor *in 3. part. quæſt. 17. art. 2. & in quodlib. 9. art. 2.* ubi legitur: *Quod eſſe pertinet ad naturam & ad hypoſtaſim ſeu ſubſiſtentiam, & quod natura convenit ut quo, ſuppoſito autem ut quod*; ergo ipſum eſſe in ſententia D. Thomæ eſt actus ſuppoſiti, hypoſtaſis ſeu ſubſiſtentiæ; ac proinde non poteſt D. Thomas accipere eſſe ſive exiſtere pro ipſa ſubſiſtentia.

Dices 2. quod in præfatis teſtimoniis intendit ſolum D. Thomas quod inter eſſe ſeu exiſtere, & ipſam naturam ſeu eſſentiam in eſſe poſſibili, ſit diſtinctio; non autem inter ipſum exiſtere, & naturam jam exiſtentem: non ergo ex præfatis teſtimoniis ſufficienter colligitur favere Divum Thomam præfatæ noſtræ concluſioni.

Reſpondeo negando antecedens, cujus negati ratio ex duobus colligitur; primò quidem quia diſtinguens D. Thomas ipſam eſſentiam ſeu naturam à ſuo eſſe ait, eſſe naturam potentiam receptivam ſui eſſe ſive ſuæ exiſtentiæ, & facere compoſitionem cum illa: jam ſic eſt quod natura in ſtatu poſſibilitatis, quæ dici ſolet ens nominaliter non poteſt eſſe potentia receptiva ſuæ exiſtentiæ; quin imò excluditur ſtatus poſſibilitatis per actum exiſtentiæ, & per illum tranſit natura de ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum exiſtentis, cum tamen id quod aliquid recipit & facit compoſitionem cum illo, debeat etiam cum illo permanere: non ergo loquitur D. Thomas de natura in ſtatu poſſibilitatis, & ut ſolum eſt nominaliter ens, ſeu capax eſſendi, dum eam diſtinguit ab exiſtentia; ſed verè de illa intendit loqui prout ipſi ſubeſt exiſtentiæ, ſub qua ratione dici ſolet ens participialiter, hoc eſt nedum capax exiſtendi, ſed etiam exiſtens ac exiſtentiam participans. Secundò hoc idem colligo ex jam citato loco primæ partis *quæſt. 50. artic. 2. ad tertium*, ibi habet ſanctus Doctor formam ſubſiſtentem Angeli comparari ad eſſe ut potentiam ad actum & facere compoſitionem cum ipſo eſſe: jam ſic eſt quod forma ſubſiſtens non eſt forma in ſtatu puræ poſſibilitatis: ergo non loquitur nec intendit loqui D. Thomas de diſtinctione ipſius eſſe ſeu exiſtentiæ à forma ſeu natura in ſtatu poſſibilitatis conſideratâ.

QUÆSTIUNCULA.

An diſtinguatur exiſtentia à ſubſiſtentia; & quanam ſit hujus ratio à priori.

RESpondeo, ſubſiſtentiam eſſe actum ſeu modum quendam poſitivum realiter diſtinctum ab ipſa exiſtentia, ſeu ab ipſo actu eſſendi. Rationem autem à priori diſtinctionis hujus, ex qua etiam à priori colligitur contra Scotum eſſe ſubſiſtentiam poſitivum quid & actum quendam modalem, non autem ſolùm quid negativum ſeu negationem dependentiæ ab alio in eſſendo, ut prætendit Scotus; rationem, inquam, diſtinctionis hujus a priori fundo in ipſa finitate & limitatione creaturæ ſub omni conceptu & in omni linea ſive communi & ſuperiori, ſive particulari & inferiori. Dico ergo creaturam non tantum finitam & limitatam eſſe ſub ratione ſubſtantiæ vel accidentis; ſed etiam ſub ratione communi creaturæ ſeu entis creati; quin imò cum ratio ſubſtantiæ vel accidentis ſint rationes eſſentialiter inferiores ad ens creatum, radicari debet earum finitas & limitatio in ipſa limitatione entis creati ſpectati ut ſic; cum inferius eſſentiale in ipſo præcontineatur ſuperiori & communi: jam ſic eſt quod omnis limitatio fundatur in aliqua reali compoſitione & potentialitate ſicut illimitatio fundatur à Theologis in actualitate puriſſima & impermixta, ut ex ſtimo ſupra demonſtraſſe in quæſtione prima, ubi dè primario conſtitutivo entis creati in eſſe finiti & limitati entis: ergo creatura nedum ſub ratione ſubſtantiæ vel accidentis importat ex ſui limitatione potentialitatem & compoſitionem realem, ſed etiam ſub ratione creati entis: atqui ſub illa ratione creati entis non alia apparet compoſitio quam ex eſſentia & exiſtentia, nec adhuc apparet in ea compoſitio ex eſſentia & ſubſiſtentia vel inhærentia; cùm ratio illa & illa limitatio creati entis, communis ſit tùm ſubſtantia tum accidenti; nec tamen eis communis ſit compoſitio ex eſſentia & ſubſiſtentia vel inhærentia: ergo infertur ex illa limitatione entis creati, ſeu ex ipſa creaturæ limitatione ſub omni ratione, oritur inquam diſtingui exiſtentiam a ſubſiſtentia, ſubindeque verè hujus di-

Nota.

diſtinctionis ratio à priori in tali ponitur limitatione.

Dixi autem ſupra, quod hæc eadem ratio probat ſimiliter, eſſe ſubſiſtentiam poſitivum quid, ſeu actum quemdam modalem, non autem tantum negativum quid, ut vult Scotus, ſive negationem dependentiæ à ſubjecto in eſſendo; cum enim ſit creatura finita & limitata ſub omni conceptu & ratione, id eſt & in ratione entis, & in ratione ſubſtantiæ, & accidentis; & ejus finitas & limitatio in reali quadam fundetur compoſitione, ut ibidem diximus, conſequenter fit, quod ſub ipſa & in ipſa ratione ſubſtantiæ aſſignari debeat à Scoto ſicut à nobis compoſitio aliqua realis; jam ſic eſt, quod ipſa ratio ſubſtantiæ ex alio componi nequit quam ex ipſa eſſentia ſua tanquam ex potentia & ex ipſa ſubſiſtentia tanquam ex actu; cum aliud omne ſive ſit exiſtentia ſive inhærentia, ſive aliud ſimile ſit extra rationem ſubſtantiæ, ut per ſe patet, & ut ex dictis ſupra colligitur quantum ad exiſtentiam, de qua ſola dubitari poſſet: ergo ex ipſa etiam limitatione creaturæ oritur à priori, habere ſubſiſtentiam rationem actus & completivi, ſubindeque & eſſe poſitivum quid, non autem ſolum quid negativum.

Dices primò, Si eſſet exiſtentia realiter diſtincta à ſubſiſtentia, vel ipſa exiſtentia eſſet prior in re, vel poſterior: ſed neutrum dici poteſt: ergo non eſt exiſtentia realiter diſtincta à ſubſiſtentia. *Probatur Minor*: & quidem primo quod non ſit prior. Actualitas ultima rei ſeu ultimo recepta eſſe non poteſt prior alia actualitate ſimiliter recepta: ſed exiſtentia eſt & dici ſolet ultima rei actualitas, propterea quod per eam ponitur res extra cauſas, ſubindeque in ſtatu, in quo nihil amplius accipiat à cauſis: ſubſiſtentia verò hoc ipſo quod diſtincta, eſſet etiam actualitas rei & in re recepta: ergo exiſtentia in hoc caſu dici non poſſet prior. Quod autem nequeat etiam dici poſterior, probatur ſic, actualitas alicujus prioris eſt etiam prior, & actualitas alicujus poſterioris eſt etiam poſterior: ſed hâc ſemel admiſsâ diſtinctione inter exiſtentiam & ſubſiſtentiam, eſſet exiſtentia actualitas prioris, & eſſet ſubſiſtentia actualitas poſterioris; cum eſſet exiſtentia actualitas rei ſub ratione entis, ſive ſub ratione eſſentiæ intra lineam eſſendi, & eſſet ſubſiſtentia actualitas rei ſub ratione entis ſeu eſſentiæ ſubſtantialis: ergo hâc ſemel admiſsâ diſtinctione inter exiſtentiam & ſubſiſtentiam, non eſſet exiſtentia poſterior ſubſiſtentia.

Reſpondeo Negando Minorem, quoad utramque partem. Eſt enim exiſtentia & prior & poſterior ſubſiſtentia, ſed in diverſo genere cauſæ; adeo ut in genere cauſæ materialis &

receptivæ ſit ipſa exiſtentia poſterior; in genere vero finalis, imò & formalis ſit prior, ſicut ſolemus dicere, quod ſpecies impreſſa eſt prior in intellectu in genere cauſæ materialis & receptivæ, prior, inquam, quam intellectio, & intellectio in eo genere poſterior; cum tamen in genere cauſæ finalis & formalis ſpecificativæ ſit ipſa intellectio prior. Dico igitur eſſe exiſtentiam poſteriorem ad ipſam ſubſiſtentiam in genere cauſæ materialis & receptivæ, ut etiam docet D. Thomas pluribus

Nota. in locis, præſertim *in prima parte, quæſtione* 50. *articulo ſecundo ad tertium*, ubi habet quod ipſa forma quamvis ſubſiſtens adhuc comparatur ad eſſe ſeu ad exiſtentiam tanquam potentia ad actum; & ratio hujus eſt, quia receptivum exiſtentiæ debet ſe habere ut id *quod eſt*, cum ſit id quod habet eſſe: jam ſic eſt quod loquendo proprie & rigoroſè ſolum ſuppoſitum eſt id *quod eſt*; tum quia eſſentia ſeu natura de qua dubitari poſſet, puta humanitas verbi gratia non tam eſt id quod eſt quam id *quo* homo eſt; tum quia res ſe habet ad eſſe ſicut ſe habet ad operari; cum operari ſequatur ad eſſe, & modus operandi ſequatur ad modum eſſendi: atque ita cum ſolum ſuppoſitum non autem purá natura ſit id quod operatur, unde nec ſolemus dicere quod humanitas ædificat, bene quidem homo; conſequenter fit, quod ſolum etiam ſuppoſitum ſit id quod eſt, ſubindeque & ſit id quod recipit eſſe ſeu exiſtere, & ſic in genere cauſæ materialis & receptivæ eſt exiſtentia poſterior, & ipſa ſubſiſtentia prior. Cum quo tamen ſtat, quod in genere cauſæ finalis, imo & formalis ipſa exiſtentia ſit prior, & quidem in genere cauſæ finalis, cum ultimò ſiſtatur in compoſitione & receptione ipſius exiſtentiæ, quæ eſt ultimus actus, & actus actuans omnia, quæ reperiuntur in re, quæque propterea debet eſſe de primaria intentione naturæ: tum etiam in genere cauſæ formalis, cum primarium limitativum, ſubindeque & conſtitutivum creaturæ in ratione entis creati, condiſtincti à Deo ſit, ut ſupra inſinuavimus compoſitio ſeu receptio exiſtentiæ: & hæc prioritas in hoc duplici genere cauſæ ſufficiens eſt, ut dicatur exiſtentia eſſe actualitas prioris, ſive eſſentiæ quæ prior eſt ſuppoſito, ut conſideranti patebit.

QUÆSTIO III.

De Ente poſſibili.

Vtrum eſſentia ſecundum quod poſſibilis, ſit poſitivum quid & intrinſecum: an verò mera nonrepugnantia, ſive mera denominatio extrinſeca.

PRæmittendum primò, Duas hac de re diſtingui ſententias. Prima quam tenet Suarez *in Metaphyſica, diſputatione trigeſima prima, ſectione ſecunda & tertia*, quamque amplectuntur Thomiſtæ non pauci, præcipuè dum de eo loquuntur ſolum occaſionaliter, & non ex profeſſo, & ex inſtituto, prima inquam ſententia aſſerere ſolet creaturas poſſibiles & earum eſſentiam poſſibilem, ſecundum quod talem non eſſe reale quid, nec poſitivum ens ſive nominaliter ſive participialiter, ſed eſſe merum nihil; unde affirmat hæc ſententia, non eſſe poſſibile ſecundum quod tale poſitivum quid, nec aliquid intrinſecum, ſed eſſe quandam non repugnantiam ſeu extrinſecam denominationem deſumptam ab omnipotentia Dei, qua Deus eſt intrinſecè potens ad eas producendas: ex quo concludit creaturas poſſibiles nihil eſſe diſtinctum à Deo, niſi per modum denominationis extrinſecæ, negationis & non repugnantiæ.

Hæc eſt prima & multum communis ſententia, cui placet hunc ibi opponere diſcurſum, ut ſcilicet paretur via ad oſtenſionem alterius ſententiæ, cui ſubſcribemus; & quidem diſcurſum [meo judicio] irrefragabilem, ſed qui matura & quieta conſideratione potius percipiendus eſt, quam vocum prolatione vel contentione. Quæro ergo, num omnis denominatio extrinſeca, quæcumque illa ſit, ſit quaſi aliquid cadens ſupra aliud & quaſi adhærens ei, cum hoc pateat evidenter facta inductione per omnes denominationes extrinſecas: ergo ſimiliter denominatio illa extrinſeca proveniens à cauſa effectiva ſive ab omnipotentia Dei potente creaturas producere, debet ſupra creaturas denominatas cadere quaſi ſupra aliud & eis quaſi adhærere, ac proinde & ſupponere debet Nota.

in

in creaturis denominatis aliquam entitatem intrinſecam & poſitivam non quidem exercitè,ſed ſignatè & nominaliter acceptam,ſupra quam cadat extrinſeca illa denominatio ; quod eſt quod docet ſecunda ſententia : docet enim quod poſſibilitas creaturarum,ſeu eſſentia rerum, ſecundum quod poſſibilis non eſt denominatio ſolum extrinſeca proveniens à potentia , vel continentia activa cauſæ efficientis , nec eſſe conſequenter negativam ſolum non repugnantiam , nec aliquid aliud ſimile ; ſed eſſe entitatem intrinſecam & poſitivam,poſſibilem tamen & non exiſtentem & in actu exercito, ſeu [quod in idem redit,] importantem ly *ens* nominaliter ſolum, & non participialiter ; ita tamen quod quamvis non ſit ens participialiter & exercitè ſeu in actu exercito,non tamen ſit ens,per hoc ſolum , quod ſit confictum ab intellectu,ſed revera ſit ens poſſibile & capax realis exiſtentiæ,adeo ut ens quod importatur in poſſibilitate rei,ſive in re ut poſſibili non ſit ſolum ens rationis ſed ſub ente reali debeat comprehendi. Huic ergo ſubſcribo ſententiæ,quam (ut mihi videtur) tenuere Capreolus *in 2. diſt.1. q.2.art.3.* ad argumenta contra quartam concluſionem : Cajetanus *de ente & eſſentia cap.4.quæſt.6.* non longè à principio ; & *cap.5.q.11.ad 4.argumentum Scoti* ; Cabrera *tomo primo in 3. parte fol.400.numero 62. & 63.* & alii ex antiquioribus Thomiſtis,quibus propterea junioribus relictis libentiùs ſubſcribimus,juxta illud ſcripturæ documentum : *interrogate de ſemitis antiquis,quæ ſit via bona & ambulate in ea.*

Præmittendum 2. Pro declaratione principiorum , quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima;ſubindeque vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ,puta quod *actus & potentia ſunt in eodem genere* ; quod *propoſitiones æternæ veritatis non ſunt niſi de rebus ut poſſibilibus* ; quod *id quod eſt exiſtens , fuit prius poſſibile.* Primo quidem receptiſſima eſt prima illa propoſitio,quod actus & potentia ſunt in eodem genere,cujus ratio ex D.Thoma eſt, quia diviſiva alicujus generis , ſive communis alicujus & quaſi generis non poſſunt non eſſe ſub eodem genere ; cum dicantur diviſiva alicujus generis,ſive communis , per hoc quod utrumque dividens habet participare diviſum & illud ad ſe contrahere : jam ſic eſt,quod actus & potentia habent dividere omne genus entis , ut patet inductione facta per ſingula entium genera ; cujus quidem *Nota.* ratio à priori eſt,quia cum Deus ſolus ſit actus purus, nihil per conſequens poteſt concipi præter Deum , quod non habeat potentialitatem admixtam,vel in recto,ita ut ipſum ſit potentia,

tia,& conſequenter actuabilis ſub eadem ratione per actum vel in obliquo,ita ut ipſam ſit actus potentiæ : ergo actus & potentia,quæ ſcilicet ſibi correſpondent,debent eſſe de neceſſitate ſub eodem genere.

Quantum verò ad ſecundum, puta quod propoſitiones æternæ veritatis non ſunt niſi de rebus ut poſſibilibus, ratio eſt, quia propoſitiones æternæ veritatis dicuntur illæ, quæ abſtrahunt à tempore,adeò ut non pendeant à tempore ut verificentur : jam ſic eſt,quod loquendo de rebus ut exiſtentibus, ſive ſub ſtatu exiſtentiæ acceptis,dici non poteſt quod abſtrahant à tempore,cum omnia ſint facta in tempore, ſubindeque & in tempore ſolum exiſtentia ſive extra cauſas ſiſtentia : ergo propoſitiones illæ æternæ veritatis , quæ fiunt de creaturis,non ſunt niſi de rebus ut poſſibilibus.

Demùm quantum ad tertium , quod ſcilicet id, quod exiſtens eſt,prius fuit poſſibile, ratio eſt quia dicitur poſſibile id quod poteſt exiſtere ; ſed non aliud eſt exiſtens quam id,quod poteſt aut potuit exiſtere,alias verificarentur contradictoria, puta quod id exiſteret , quod non poſſet exiſtere : ergo & receptiſſimum eſt tertium illud, quod ſcilicet id quod exiſtens eſt,prius fuit poſſibile. Hic ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis ; jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit

Conclusio : *poſſibilitas creaturarum,ſive rerum eſſentia ſecundum quod poſſibilis,non conſiſtit in denominatione extrinſeca proveniente à potentia cauſæ , nec eſt ſolum negativa non repugnantia ; ſed eſt entitas poſitiva & intrinſeca, poſſibilis tamen & non exiſtens.*

Probatur 1. Ex primo præmiſſo principio : *actus & potentia ſunt in eodem genere* : ergo eſſentia rerum , ſecundum quod poſſibilis,eſt entitas quædam intrinſeca & poſitiva, ſenſu ſupra expoſito. *Probatur Conſequentia* : ſi non eſſet res ut poſſibilis poſitivum quid & intrinſecum , ſed extrinſeca ſolum denominatio,non eſſet tunc potentia in eodem genere , in quo eſt actus : ergo hoc ipſo , quod actus & potentia ſunt in eodem genere,non poteſt non eſſe rerum eſſentia , ſecundum quod poſſibilis entitas quædam intrinſeca & poſitiva. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens* : res ut exiſtens eſt res in actu ; & ut poſſibilis eſt res in potentia ; ſed ſi non eſſet res ut poſſibilis entitas quædam poſitiva & intrinſeca , non eſſet tunc in eodem genere , in quo eſt res exiſtens : ergo nec eſſet

tunc

tunc potentia in eodem genere, in quo eſt actus. *Major* eſt evidens; eo quod res ſemel exiſtens, ſi ſit res creata, ut in præſenti ſupponitur, eſt aliquando in actu & aliquando ſolum in potentia: ſed non eſt in actu niſi dum eſt exiſtens, nec eſt in potentia niſi dum eſt poſſibilis: veriſſima ergo eſt illa Major, quod res ut exiſtens eſt res in actu; & ut poſſibilis eſt res in potentia. *Probatur Minor*: eſſe duo aliqua in eodem genere, eſt idem participare genus, cum non dicantur eſſe in eodem genere, niſi inquantum illud dividunt & ad ſe contrahunt: ſed ſi res ut poſſibilis non eſſet poſitiva quædam entitas & intrinſeca, non idem tunc participaret genus, quod participat res ut exiſtens; cum res ut exiſtens participet genus ſubſtantiæ vel accidentis, quod utrumque eſt poſitiva quædam & intrinſeca entitas: ergo ſi non eſſet res ut poſſibilis entitas quædam poſitiva & intrinſeca, non eſſet tunc in eodem genere, in quo eſt res exiſtens: ergo ſi non eſſet res ut poſſibilis poſitiva & intrinſeca entitas: non eſſet res in potentia in eodem genere, in quo eſt res in actu: ergo ſi non eſſet res ut poſſibilis poſitiva quædam & intrinſeca entitas non eſſent actus & potentia in eodem genere: ergo hoc ipſo quod actus & potentia ſunt in eodem genere (quod eſt primum præmiſſum principium) eſt hoc ipſo rerum eſſentia ſecundum quod poſſibilis, poſitiva quædam & intrinſeca entitas non autem ſolum denominatio extrinſeca aut negativa ſolum non repugnantia.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio: *propoſitiones æternæ veritatis non ſunt niſi de rebus ut poſſibilibus*: ergo res ut poſſibilis eſt entitas quædam intrinſeca & poſitiva. *Probatur conſequentia*: fiunt propoſitiones æternæ veritatis de re & entitate poſitiva & intrinſeca: ergo hoc ipſo quod propoſitiones æternæ veritatis non ſunt niſi de rebus ut poſſibilibus, res ut poſſibilis eſt hoc ipſo entitas quædam intrinſeca & poſitiva. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: Hæc eſt propoſitio æternæ veritatis: *Homo eſt poſitivè compoſitus ex poſitivis & intrinſecis partibus poſitivè unitis*: ſed propoſitio illa eſt de re & entitate intrinſeca & poſitiva: ergo fiunt propoſitiones æternæ veritatis de re & entitate poſitiva & intrinſeca. *Minor* patet ex terminis. *Probatur Major*: ideo hæc propoſitio: *homo eſt animal*, dicitur communiter æternæ veritatis; quia pro omni ſigno pro quo concipitur homo, concipitur & animal; ſed etiam pro omni ſigno & inſtanti ſive reali ſive rationis pro quo intelligitur homo, etiam intelligendum venit compoſitum ex intrinſecis & poſitivis partibus poſitivè

unitis,

unitis,ut per ſe patet : ergo & hæc eſt propoſitio æternæ veritatis : homo eſt poſitivè compoſitus ex poſitivis & intrinſecis partibus poſitivè unitis : ergo de re & entitate intrinſeca & poſitiva fiunt propoſitiones æternæ veritatis : ergo hoc ipſo quod propoſitiones æternæ veritatis non ſunt niſi de rebus poſſibilibus, (quod eſt ſecundum præmiſſum principium) eſt hoc ipſo res ut poſſibilis entitas quædam intrinſeca & poſitiva,poſſibilis tamen & non exiſtens,ut in præmiſſis fuit annotatum.

Probatur 3. Ex tertio præmiſſo principio : *id quod eſt exiſtens prius fuit poſſibile* : ergo res ut poſſibilis eſt poſitiva & intrinſeca entitas, non autem ſolum extrinſeca denominatio, vel negativa non repugnantia. *Probatur conſequentia* : ſi non eſſet res ut poſſibilis poſitiva & intrinſeca entitas, hoc idem quod eſt exiſtens non fuiſſet poſſibile : ergo hoc ipſo quod id quod eſt exiſtens fuit prius poſſibile : eſt hoc ipſo res ut poſſibilis poſitiva & intrinſeca entitas. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens* : ad hoc ut hoc idem, quod eſt exiſtens, fuerit prius poſſibile,debet reperiri cum iiſdem prædicatis intrinſecis ſub utroque ſtatu,exiſtentiæ ſcilicet & poſſibilitatis : ſed ſi res ut poſſibilis non eſſet poſitiva & intrinſeca entitas, hoc non reperiretur : ergo nec verificaretur, quod id quod eſt exiſtens,fuerit hoc idem poſſibile. *Major* per ſe patet : variatio enim in intrinſecis variat rem in natura,quæ ex iis conflatur,adeoque & tollit identitatem cum aliam & aliam arguat naturam. *Probatur Minor* : quod eſt ſub ſtatu exiſtentiæ eſt intrinſecè poſitiva & intrinſeca entitas : ſed ſi res ut poſſibilis eſſet ſolum denominatio extrinſeca vel negativa non repugnantia,non eſſet poſitiva & intrinſeca entitas ſub ſtatu poſſibilitatis : ergo nec eſſet res cum iiſdem prædicatis intrinſecis ſub utroque ſtatu.*Minor* patet ex terminis. *Probatur Major* : quod eſt ſub ſtatu exiſtentiæ debet eſſe intrinſecè aliquid ; alias nihil eſſet eſſentialiter & ſecundum naturam, quæ non conflatur niſi ex intrinſecis : ſed id quod eſt ſub ſtatu exiſtentiæ,eſſe nequit intrinſecè quid negativum aut merum extrinſecum ſeu extrinſeca denominatio,ut per ſe patet : ergo, ſub ſtatu exiſtentiæ eſt intrinſecè poſitiva & intrinſeca entitas : ergo ſi res ſub ſtatu poſſibilitatis non eſſet intrinſeca & poſitiva entitas, non eſſet cum iiſdem prædicatis intrinſecis, in quibus eſſet ſub exiſtentia : ergo ſi res ut poſſibilis non eſſet poſitiva & intrinſeca entitas, hoc idem quod eſt exiſtens non prius fuiſſet poſſibile : ergo hoc ipſo, quod id quod

eſt

eſt exiſtens, prius fuit poſſibile, (quod eſt tertium præmiſſum principium) eſt hoc ipſo res ut poſſibilis poſitiva & intrinſeca entitas, non autem extrinſeca ſolum denominatio, vel negativa non repugnantia ad eſſendum.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia fundamenta in ſolutionibus objectorum.

Objicies 1. Si res ut poſſibilis eſſet quædam entitas poſitiva, eſſet etiam ab æterno ens poſitivum: ſed nihil creatum poteſt eſſe ab æterno ſub ulla ratione ens poſitivum: ergo res ut poſſibilis eſſe non poteſt poſitiva & intrinſeca entitas. *Major* patet, cum ab æterno ſit res poſſibilis. *Probatur Minor*: ſi eſſet res poſſibilis ab æterno ens poſitivum, eſſet etiam ab æterno aliud poſitivè à Deo: ſed eſſe non poteſt ſic aliud poſitivè à Deo: ergo nec eſſe poteſt ſub ulla ratione ens poſitivum. *Major* eſt certa, tum quia diſtinctio ſicut & unitas eſt paſſio entis, adeoque & illud comitatur, & ei ſemper proportionatur; tum quia ly *aliquid poſitivum*, quod in hoc caſu prædicaretur ab æterno de re poſſibili idem ſignificat, quod aliud quid. *Probatur Minor*: diſtinctio poſitiva reperiri non poteſt, niſi inter extrema de facto poſita & exiſtentia; ſed res poſſibilis non eſt ab æterno poſita de facto & exiſtens: ergo nec eſſe poteſt ab æterno aliud poſitivè ſive poſitivè diſtincta à Deo.

Reſpondeo Negando Minorem, puta quod nihil creatum eſſe poſſit ab æterno ſub ulla ratione quid poſitivum; cum de ente creato fiant propoſitiones æternæ veritatis, quarum prædicata ſunt poſitivum quid & quid intrinſecum, ut illa quæ adducta fuit ſupra: *Homo eſt ens compoſitum ex poſitivis & intrinſecis partibus poſitivè unitis.* Unde ad probationem nego ſimiliter minorem, in qua ſcilicet dicitur, quod creatum ens eſſe non poteſt ab æterno aliud poſitivè à Deo: quæro namque ab adverſariis numquid ab æterno, & quando nullæ exiſtebant creaturæ, verificabatur, quod continebat Deus in ſua virtute productiva omnes creaturas: ſed non continebat eas tunc & ab æterno ut exiſtentes: ergo ſub alia ratione quam ut exiſtentes, ſcilicet ut poſſibiles, eas continebat Deus ab æterno: ſed non poterat Deus eas ſic ab æterno continere, niſi ut aliud à ſe poſitivè; cum ex una parte eas contineret ut aliquid, cum de nihilo verificari non poſſit eſſe contentum, & ex alia parte eas contineret ut aliud ab ipſo Deo, utpote qui non potens ſeipſum producere, nec etiam poteſt ſeipſum continere in virtute ſua productiva: ergo verificatur, eſſe res poſſibiles

Nota.

ab

ab æterno aliud poſitivè à Deo, Falſa igitur eſt præfata minor.

Unde ad ultimum diſtinguo majorem ſic: diſtinctio poſitiva reperiri non poteſt, niſi inter extrema de facto poſita & exiſtentia, loquendo de diſtinctione exercita & in actu exercito, Concedo: loquendo de diſtinctione ſignata & in actu ſolum ſignato, Nego. Pro quo notandum eſt, quod cum diſtinctio, quæ conſequitur ad ens ſit, utpote tranſcendentalis identificata cum extremis, ideo ſit, quod juxta naturam & ſtatum extremorum, pari modo philoſophandum ſit de diſtinctione: jam ſic eſt, quod extrema diſtinctionis poſſunt eſſe talia, vel ut ſolum ſignata & ſumpta in actu ſignato, ut ſunt roſa & lilium v. g. in hyeme, quo tempore non habent exercere rationem extremi; cum de facto non ſint in actu exercito; ſunt tamen pro eo tempore extrema ſignata & in actu ſignato, & quidem poſitiva, cum aliter ſignentur & denotentur extrema in hac propoſitione; *Roſa non eſt lilium hyemali tempore*, quam ſignentur & denotentur hæc duo: *chimera A, non eſt chimera B*: ergo pari modo philoſophandum eſt de diſtinctione & dicendum, quod hæc ſumi poteſt vel ut ſignata ſolum & denotata, vel ut exercita; ac proinde ſicut ut ſit extremum ens ſignatum, & in actu ſignato non requiritur exiſtentia; cum ab æterno eſſentiæ rerum ſint ita ens ſignatum, utpote quæ habent, quod de illis verificentur propoſitiones æternæ veritatis de prædicatis poſitivis ut oſtendimus ſupra, quod quidem non habet id, quod non eſt ita ens ſignatum, ut v g. chimæra, ita ſimiliter nec requiritur in extremis quod ſint de facto poſita & exiſtentia ad hoc ut diſtinguantur diſtinctione ſignata & ſumpta in actu ſignato.

Inſtabis: Propoſitio hæc eſt de fide: *nihil præter Deum eſt æternum*: ſed ſi res poſſibilis eſſet ſub aliqua ratione aliud poſitivè à Deo, tunc falſificaretur hæc propoſitio, ut patet: ergo res ut poſſibilis non eſt ab æterno aliud poſitivè à Deo.

Reſp. Concedendo majorem & negando minorem. Pro quo dico, quod aliud eſt dicere abſolutè loquendo & ſine diſtinctione, quod nihil præter Deum eſt æternum; & aliud eſt dicere quod nihil præter Deum eſt æternum loquendo cum diſtinctione & cum hoc addito, etiam quoad entitatem ſignatam, primum quidem prolatum abſolutè & ſine diſtinctione eſt verum & facit propoſitionem de fide, cujus ratio eſt quia æternitas ita abſolutè prolata eſt duratio Phyſica, & realis exercita præſupponens neceſſariò exiſtentiam exercitam in re æterna; quia nulla creatura habet exiſtentiam ab æterno, nulla etiam

creatura loquendo ita abſolutè & ſine diſtinctione eſt æterna; unde libenter concedo præfatam majorem ita abſolutè prolatam, quod ſcilicet nihil præter Deum eſt æternum: at nego eadem ratione minorem, quia quando aſſerimus in noſtra ſententia, quod datur ab æterno aliud poſitivè à Deo, hoc non aſſerimus abſolutè loquendo & ſine diſtinctione, ſed ſolum cum hoc addito & hac cum diſtinctione, ſecundum ſcilicet entitatem ſignatam & ſumptam in actu ſignato, non autem ſumptam abſolutè vel in actu exercito & ut exiſtentem; ac proinde non contrariatur hoc noſtrum aſſertum præfatæ propoſitioni, utpote abſolutè & ſine diſtinctione prolatæ, puta quod nihil præter Deum eſt æternum.

Reſtat igitur res poſſibiles ſecundum quod tales & ſecundum entitatem ſignatam eſſe aliud poſitivè à Deo ab æterno, ſicut ab æterno ſunt poſſibiles, non autem cum Deo identificatæ: quod quidem placet confirmare ex ipſa adverſariorum doctrina, aut ſaltem ex doctrina præcipui ex adverſariis, Suareſii ſcilicet, qui *lib.3. de gratia, prologom.1. num.2.* docens futuritionem non eſſe continentiam earum in cauſa, nec earum eſſe prout præhabetur in cauſa, id probat, quia eſſe cauſæ eſt actuale jam & præſens: & ſimiliter eſſe rerum præhabitum in cauſa eſt pariter quid præſens, ſi ſcilicet ſumatur pro cauſa ipſa, & non pro aliquo alio à cauſa & à cauſa diverſo; ex quo ulterius infert, & bene, futuritionem rei eſſe aliquid ex parte rei futuræ, & aliud à cauſa, non quidem exiſtens & actuale, ſed futurum, quod ut tale differt à cauſa exiſtente: hæc Pater Suarez, ex quibus contra ipſum & in favorem doctrinæ noſtræ ſupra expoſitæ ſubſumo ſic: atqui res poſſibilis ut talis non exiſtit nec eſt quid actuale & præſens, nec eſſe poſſibile rerum poſſibilium exiſtit actualiter: ergo differt realiter eſſentialiter eſſe poſſibile rerum ab eſſe cauſæ præſertim primæ, quod eſt ſemper præſens: ergo hoc eſſe poſſibile rerum ſe tenet ex parte rerum & eſt aliquid diverſum à cauſa: ergo cum aliunde non exiſtat ſed ſit ſolum poſſibile, eſt conſequenter ut tale aliquid reale nominaliter ens, & poſitivè & intrinſecè tale, non quidem exiſtens & exercitum, ſed poſſibile, nominaliter, & in actu ſignato tale.

Nota.

Vrgebis: Si eſſe poſſibile ſecundum quod tale eſſet aliud poſitivè à Deo, vel eſſet aliud per modum entis producti, vel improducti: ſed nec per modum producti entis, nec improducti eſſe poteſt aliud à Deo: ergo eſſe poſſibile ſecundum quod tale non eſt aliud poſitivè à Deo, nec per conſequens

con-

onſiſtere poteſt in entitate poſitiva intrinſeca. *Probatur Minor*: & primo quidem quoad primam partem, eſſe poſſibile, ut ictum eſt, habet eſſe tale ab æterno; ſed ab æterno nihil datur roductum: ergo eſſe poſſibile non eſt ut tale, productum is, nec conſequenter aliud à Deo per modum producti entis. uod autem nec ſit aliud poſitive à Deo per modum improducti entis, oſtenditur ſic, ens improductum idem ſignificat uod ens à ſe: ſed unum tantum datur ens à ſe, ſcilicet Deus: go non eſt eſſe poſſibile aliud à Deo per modum entis improducti.

Reſp. Negando Majorem: non enim quod eſt ens poſitivum & intrinſecum, abſtrahendo ab hoc, quod ſit tale vel participialiter vel nominaliter & in actu ſignato; non, inquam, nne quod ita eſt, vel eſt productum ens, vel improductum, ia datur tertium membrum quod condiſtinguitur & ab ente producto, & ab ente quod dici ſolet improductum, puta ens oducibile: atque ita eſſe poſſibile ſecundum quod tale eſt & e poteſt aliud poſitive à Deo, non quidem per modum entis oducti, nec ſimiliter per modum entis improducti; ſed per odum entis producibilis, quod ut tale eſt poſitivum & inſecum quid, tum quia eſt ut tale res in potentia, ſubindee & eſſe debet in eodem genere, in quo eſt res in actu, quod idem genus eſt poſitivum quid & intrinſecum, cum ſit vel ſtantia vel accidens; tum quia hoc idem quod eſt producibile eſt hoc idem quod eſt productum, aliàs id quod eſt proctum non fuiſſet producibile: ſed hoc idem quod eſt productum eſt intrinſece poſitivum quid & intrinſecum; ergo & c ipſum quod eſt producibile, eſſe debet intrinſecum quid oſitivum, non autem extrinſecum ſolum & privativum, is id ſeu entitas ipſa intrinſeca, quæ eſt exiſtens, nunquam ſſet poſſibilis, ut dictum eſt: tum denique quia producibi- ontinetur in virtute productiva cauſæ; ſed non poteſt conæri in virtute productiva, niſi ut aliud; aliàs idem poſſet ſeum producere: Ergo producibile ut tale eſt aliud à virtute *Nota.* ductiva cauſæ: ſed non eſt aliud per modum denominatio- extrinſecæ, vel privationis, exiſtentiæ; cum & denominailla extrinſeca ſit ſemper actu & præſentialiter, ſicut ſemper actu præſens potentia Dei à qua provenit; & ſimiliter mper actu ſit & præſentialiter ipſa carentia exiſtentiæ; ta- n ly *ens producibile* ſit ut tale aliud à cauſa per modum alius, quod non eſt actu & præſentialiter, ſed ſolum potentiar. Poteſt ergo eſſe poſſibile eſſe aliud poſitive à Deo,

quamtumvis non ſit aliud, per modum producti vel improducti entis.

Unde & in hoc differt hæc noſtra ſententia à ſententia Scoti & Scotiſtarum, qui ſtabilientes poſſibile in aliqua entitate poſitiva & intrinſeca, volunt hujuſmodi entitatem eſſe aliquid dimanans à Deo per actionem neceſſariam, & eſſe aliquid neceſſarium & æternum, adeoque & eſſe aliud poſitivè à Deo per modum entis producti: at nos non ita loquimur; nam dicimus entitatem & poſſibilitatem creaturarum poſſibilium non eſſe factam, nec creatam, nec productam, ſed producibilem; nec eſſe aliquid dependens dependentia actuali exercita, ſed eſſe aliquid potens dependere & dependens ſolum in actu primo & ſignatè; unde nulla productio nec actio exterior exercetur à Deo circa eſſentias poſſibiles rerum, quia omne exercitium productionis tendit ad exiſtentiam exercitam, vel ad actualem unionem eſſentiæ vel exiſtentiæ; ex quibus ultimis verbis, & patet falſitas ſententiæ Scoti, & habetur, ejus corrigendum eſſe loquendi modum. *Nota.*

Vrgebis iterum: ſi eſſe poſſibile hoc ipſo quod tale eſſet aliud poſitivè à Deo, non verificaretur, quod in tempore fieret ex nihilo: ſed hoc verificari debet, ut concedunt omnes: ergo eſſe poſſibile inquantum tale non eſt aliud poſitivè à Deo. *Probatur Major:* nihilum excludit omne omnino ens: ergo quod fit ex nihilo, ſub nulla ratione ſupponitur ens: ſed ſi poſſibilia eſſent, ut talia poſitivum quid & aliud poſitivè à Deo, ſupponerentur ens ſub aliqua ratione, antequam fierent; cum hoc ipſo ſupponeretur ens aliqualiter ſub eſſe poſſibili: ergo ſi eſſent ut poſſibilia aliud poſitivè à Deo, non verificaretur quod in tempore fierent ex nihilo.

Reſpondeo Diſtinguendo majorem ſic: ſi eſſe poſſibile hoc ipſo quod tale eſſet aliud poſitivè à Deo, non verificaretur quod in tempore fieret ex nihilo, loquendo de nihilo nominaliter ſumpto, Concedo: non fieret ex nihilo ſumpto participialiter, Nego; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam, pro quo dico quod ſicut ens accipi ſolet dupliciter, *Nota.* tum participialiter, quale eſt id quod ipſi ſubeſt exiſtentiæ, ſubindeque & quod habet eſſe participialiter, id eſt participans eſſe, tum etiam nominaliter, quale eſt id quod non ſubeſt quidem exiſtentiæ, eſt tamen exiſtentiæ capax, ſub qua ratione non eſt tantum ens ab intellectu confictum ut chimæra, cum hoc non ſit exiſtentiæ capax, ſed verè eſt ens, non quidem participialiter ſed nominaliter & ſignatè, ut toties ſupra exiſtimo

demon-

onſtraſſe; ſicut inquam ens hac duplici acceptione accipi t, ita ſimiliter philoſophandum eſt de nihilo quod oppo- r enti, & dicendum quod poteſt nihilum ſumi vel ſolum icipialiter, quod quidem locum habet, quando res non- n participat eſſe ſeu nondum exiſtit; vel etiam nominali- quod habet locum in eo, quod nec exiſtit, nec eſt exiſten- capax, ut entia chimærica & conficta ab intellectu: hoc em ſuppoſito dico, quod quando verificatur, res in tempo- eri ex nihilo, hoc eſt intelligendum de nihilo participiali- umpto, cum fieri ad hoc tendat ut communicet eſſe exi- tiæ, & non communicet, niſi quod ſupponebatur non ha- m, ſubindeque niſi quod ſupponebatur nihilum: ergo cum fata entitas, quæ competit poſſibilibus ut talia ſunt, non ediat quo minus fiant ex tali nihilo, ſumpto ſcilicet parti- aliter, ex eo ſcilicet quod talis entitas adhuc ſupponitur lum participialiter, cum ſit ſolum nominaliter ens, conſe- nter fit quod cum hoc, adhuc verificetur quod poſſibilia t in tempore ex nihilo.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ con- ioni, quod quidem ex tribus colligo: primò ex his quæ ha- 1. *p. qu. 44. art.* 1, ubi ſic diſcurrit: *ad primum ergo dicen- m, quod licet habitudo ad cauſam non intret definitionem en- quod eſt cauſatum, tamen ſequitur ad ea, quæ ſunt de ejus ra- ne, quia ex hoc, quod aliquid per participationem eſt ens, ſe- tur quod ſit cauſatum ab alio. Vnde hujuſmodi ens non poteſt quin ſit cauſatum ſicut nec homo quin ſit riſibilis.* Hæc D. omas ex quibus argumentor ſic.

Si poſſibilitas creaturarum conſiſteret primariò in deno- natione illa extrinſeca proveniente à potentia activa cau- vel in non repugnantia ad produci per eam, habitudo & dò ad cauſam eſſet etiam de conceptu primario creaturæ; m eſſet tunc de primario conceptu ipſius poſſibilitatis, quæ ſſibilitas eſt primum quod in creatura concipitur: ſed ex D. oma ſupra citato non eſt ordo & habitudo ad cauſam de mo & primario conceptu creaturæ: ergo nec conſiſtit ex Thoma præfata creaturæ poſſibilitas, non inquam prima- ò conſiſtit in tali denominatione extrinſeca, vel non repu- antia, ſed in entitate quadam intrinſeca & poſitiva, ſigniſica

tamen & ſolum nominaliter accepta ſupra quam cadat denominatio illa extrinſeca, & quâ creatura præintelligatur in ſe & ad ſe & ſub genere cauſæ formalis, prius quam in ordine ad aliud & ſub genere cauſæ efficientis.

Secundò hoc idem colligo ex his, quæ habet D. Thomas 1. *p. Qu.* 14. *art.* 10. ubi docet, & quidem cum omnibus ferè Theologis cognoſcere Deum privationes rerum creatarum per ſuas formas poſitivas quibus privant: ex quibus arguo ſic.

Deus per ſcientiam ſuam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit privationes in rebus, cum per eam cognoſcat res poſſibiles, in quibus plures haud dubiè reperiuntur privationes: ergo ex præfata doctrina S. Doctoris attingit etiam Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ formas aliquas poſitivas in rebus creatis; alias cognoſcere non poſſet privationes per poſitivas formas: jam ſic eſt, quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſolum attingit eſſentias rerum poſſibilium per modum eſſentiæ & poſſibilitatis: ergo ex D. Thoma cognoſcit Deus in ente poſſibili qua tali aliquid poſitivum: ſed hoc non verificaretur, ſi conſiſteret poſſibilitas in præfata non repugnantia ſive privatione: ergo non in tali non repugnantia conſiſtit eſſentialiter poſſibilitas rerum ex D. Thoma, ſed in aliquo poſitivo.

Tertiò demum id colligo ex 1. *p. qu.* 15. *art.* 3. *ad primum* & alibi, ubi ſæpè docet D. Thomas, non habere Deum ideam propriam privationum vel negationum, ſed cognoſcere illas per ideas formarum poſitivarum: ex quibus ſubſumo ſic: ſed Deus habet ideas rerum poſſibilium, ut admittunt omnes Theologi cum Divo Thoma in omnibus locis, in quibus agit de ideis divinis: ergo ex Divo Thoma non conſiſtunt poſſibilia qua talia in privationibus, nec conſequenter in denominationibus extrinſecis, ſed in aliquo poſitivo, ſenſu ſupra expoſito.

Dices: Hæc habet D. Thomas 1. *p. qu.* 9. *art.* 2. *in corpore. Omnes creaturæ antequam eſſent non erant poſſibiles eſſe per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum ſit æternum, ſed per ſolam potentiam Dei, in quantum Deus poterat eas in eſſe producere*; Hæc S. Doctor, qui idem ſimiliter docet *in* 1. *p. qu.* 46 *art.* 1. & aliis in locis; ſed ſi poſſibilitas creaturarum in aliquo conſiſteret poſitivo, ſive in alio quam in denominatione præfata extrinſeca, videtur non poſſe tunc verificari relata illa verba D. Thomæ: ergo non poteſt ex D. Thoma conſiſtere poſſibilitas creaturæ in aliquo poſitivo.

Reſpon-

eſpondeo Negando Minorem, vel claritatis gratiâ diſtin-
ſic: ſed ſi conſiſteret poſſibilitas creaturarum in aliquo
tivo, verificari non poſſent præfata illa verba S. Doctoris,
nſiſteret in aliquo poſitivo ſumpto exercitè & participia-
, Concedo; ſumpto nominaliter ſolum & in actu ſigna-
Nego. Dico igitur quod cum ait Divus Thomas, crea-
s non eſſe poſſibiles per aliquam potentiam creatam, ſed
m per potentiam activam Dei, quod ſolum intendit S. Do-
excludere omnem potentiam creatam exercitè poſitam
a ſuas cauſas, non autem prætendit excludere potentiam
tam ſolum poſſibilem & ſignatam, quæque ſit ſolum ens
inaliter. Quod autem ſit hoc intentum Divi Thomæ ex
bus apertè colligo: primò quidem ob rationem quam
ſſignat Divus Thomas & ob quam dicit creaturas non eſſe
ibiles per potentiam aliquam paſſivam ſe tenentem ex
e earum: ait enim; *non erant poſſibiles eſſe per aliquam po-
iam creatam, cum nullum creatum ſit æternum:* Ergo ex-
it & prætendit ſolum excludere S. Doctor potentiam ex
e creaturarum, quæ ſit durans in rerum natura: atqui
tio præſupponit rem exiſtentem, & ut in actu exercito
articipialiter ſumptam, ut per ſe patet: ergo intendit ſo-
Divus Thomas excludere ex parte creaturæ poſſibilis
ntiam omnem paſſivam poſitam exercitè extra cauſas
x.ſtentem, non autem potentiam & entitatem ſolum
inaliter acceptam & ſignatam. Secundò verò hoc idem
igo ex intento literæ Divi Thomæ: intentum enim lit-
in locis citatis eſt defendere mundum non fuiſſe æter-
, nec quoad materiam ſeu potentiam paſſivam, nec quoad
nam, nec quoad totum ex his partibus reſultans; unde
itur per conſequens & de facto de potentia durante ab
terno: ſed duratio ſupponit exiſtentiam: ergo ne-
gat ſolum Divus Thomas in ente poſſibili poten-
tiam exiſtentem, non autem acceptam ſolum
nominaliter & ſub eſſe poſſi-
bili.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De ente modali: an & ubinam admitti debeant modi, ſive modales entitates.

PRamittendum primò, Pro quæſiti intelligentia, quod per Iy *modus*, prout uſurpatur pro modali entitate, non aliud intelligendum venit, quam exercitium ultimum alterius entitatis, ſeu entitas quædam, quæ per ſe ipſam actuet alteram entitatem & illam reducat ad actum ſecundum alicujus lineæ, quæque propterea eſſe debet exercitium ultimum & ipſa actuatio illius, aliàs non per ſeipſam actuaret & reduceret ad actum exercitum, ſed per aliud quod eſſet tale exercitium & talis actuatio. Unde hæc eſt, quantum ego aſſequi poſſum & potui, hæc, inquam, eſt quidditas entitatis modalis, quod ſcilicet ſit exercitium ultimum & ipſa actuatio alterius entitatis, quod quidem hac ratione ſuaderi poteſt. Omne exercitium ultimum creatum; cum conſiſtat in exercitio ipſo, nequit etiam divinitus poni ſine tali exercitio ſecum eſſentialiter identificato, ſicut non poteſt poni ſine ſeipſo: ergo cum non tam ſit exercitium ſui, quam alterius [ut v. g. exiſtentia eſt exercitium eſſentiæ, & intellectio eſt exercitium intellectus] conſequenter fit, quod omne hujuſmodi exercitium ultimum, hoc ipſo quod tale dependeat eſſentialiter à re illa, quam exercet & reducit ad actum ſecundum, ac proinde & habeat hoc ipſo quod tale, quod eſſe non poſſit ſine ipſa re ſeu entitate, quam reducit ad actum & quam modificat: jam ſic eſt, quod per modalem entitatem intelligitur apud omnes Philoſophos entitas quædam, quæ talis ſit naturæ, quod ſeparari nequeat à re, cujus eſt modus, ad differentiam ipſius rei, quæ poteſt manere ſeparata à modo, aut ſaltem quæ quamvis conſervari non poſſit ſine aliquo modo, hoc ſcilicet vel illo vagè ſumpto [quod dico propter rem creatam, quæ conſervari non poteſt ſine aliqua dependentia paſſiva à prima cauſa, & propter eſſentiam, quæ conſervari non poteſt ſine aliqua exiſtentia] poteſt tamen ſine hoc determinato & ſingulari modo conſervari, & ab eo manere ſeparata; Unde & humanitas Chriſti exiſtit ſecundum communiorem ſententiam ſine propria exiſtentia, ſed tamen cum aliena: ergo

Nota.

modalis entitas debet ex ſui quidditate, vi cujus exigit rari non poſſe à re cujus eſt modus, debet inquam conſi- in exercitio ultimo alterius entitatis. ſive in entitate qua- ,quæ ſit ipſummet exercitium & ipſamet actuatio & mo- atio,ad differentiam rei quæ conſiſtit potius quidditativè tu primo potenti actuari & reduci ad actum exercitum alem modum.

e hac ergo modali entitate, aut modalibus entitatibus iri ſolet,an ſint de neceſſitate admittendæ,adeo ut in om- ea,in qua reperitur & verificatur aliquid quod ſit in a- liquo exercito,debeat diſtingui res ipſa quæ eſt in actu cito,& ipſum modale ſeu ultimum exercitium, quo ſit res reducta aut reducenda ad præfatum actum. Circa d ſunt plures negantes generaliter pro omni linea neceſ- is eſſe modales illas entitates: ſunt alii vero concedentes itti debere talem modalem entitatem pro linea operan- deo ut actio & operatio ſit quædam modalis entitas ſu- addita potentiæ operativæ, ſed negantes debere admitti pro linea eſſendi,aut ſubſiſtendi; Unde & negant exiſten- n & ſubſiſtentiam eſſe exercitium, ſeu modum ſuperaddi- ,quo res exiſtat aut ſubſiſtat,Sunt tandem alii, inter quos plures Thomiſtæ,qui concedunt communiter, non ta- n generaliter pro omni linea modales entitates; unde ne- t quod in linea unitivâ dari debeat modus unionis, quo unibiles fiant actu & in actu exercito unitæ. Nihilominus a eadem principia,& quidem alta & profunda, ex quibus probare ſolent diſtinctionem & neceſſitatem modalis en- tis in linea eſſendi,operandi & aliis concludunt [meo judi-] generaliter pro omni linea,ideo exiſtimo ego, quod in ni linea,in qua verificatur de aliquo,quod ſit in actu aliquo rcito diſtingui & admitti debeat præter rem ipſam, quæ in actu exercito, ipſum modale ſeu ultimum exercitium o ſit talis res reducta aut reducenda ad hujuſmodi actum rcitum:unde,

Præmittendum ſecundò pro declaratione principiorum, ad e concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt a- d omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura princi- reſpectu concluſionis inferendæ, puta quod *nihil creatum* *pereſt à ſe perfectum*; quod *omne creatum eſt finitæ tantum* *ualitatis*;quod *omne quod eſt in actu exercito, eſt in eo acci- ntáliter ſolum & contingenter*.Ratio autem primi eſt, quia nus eſt eſſe, quam perfectum eſſe,cum ly *perfectum eſſe* in-

 volvat

volvat eſſe, eique ultra ſuperaddat: Jam ſic eſt quod nullum creatum poteſt habere eſſe à ſe, ut ex ipſis terminis conſtat: ergo multo minus poteſt creatum ens eſſe à ſe perfectum. Ratio vero ſecundæ propoſitionis, puta quod omne creatum eſt finitæ tantum actualitatis, eſt; quia actualitas, hoc ipſo quod talis, eſt perfectio, ſicut actuabile hoc ipſo quod tale, eſt perfectibile; jam ſic eſt quod omne creatum, cujuſcumque ſit lineæ, eſt finitæ tantum perfectionis; cum omnis perfectio attendatur juxta aliquod eſſe quod tribuit, & creatum ens in quacumque linea ſit ens finitum: ergo & in quacumque linea eſt finitæ tantum actualitatis. Demum quantum ad tertium, quod ſcilicet omne quod eſt in actu aliquo exercito, eſt in eo accidentaliter ſolùm & contingenter, ratio eſt quia omne quod in creatis eſt in actu exercito, eſt in eo ex vi concurſus cauſarum, ut per ſe patet: atqui concurſus ille ſaltem ex parte cauſæ primæ liberè ponitur, ac per conſequens & contingenter: ergo & omne quod in creatis eſt in actu exercito, eſſe tantum poteſt accidentaliter & contingenter: his ergo tribus præmiſſis tanquam certis, & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit

Conclusio: *In omni linea in qua de aliquo verificatur, quod ſit in actu exercito, admitti debet modalis entitas; ſive modaliter diſtinguitur ipſum actuale exercitium ab eo quod eſt in actu exercito.*

Probatur primò, ex primo præmiſſo principio: *nihil creatum eſſe poteſt à ſe perfectum*: ergo nihil creatum poteſt ſibi identificare ſuum actuale exercitium, ſed ab eo modaliter diſtingui debet: *Probatur conſequentia*: ſi creatum quid identificaret ſibi ſuum actuale exercitium, non poſſet non eſſe in tali linea à ſe perfectum: ergo hoc ipſo quod nihil creatum in ullâ linea eſſe poteſt à ſe perfectum, nec poteſt in nulla linea ſibi identificare ſuum exercitium. *Probatur antecedens*, quod eſt in aliqua linea ſua perfectio, eſt in tali lineâ à ſe perfectum: ſed ſi creatum quid ſibi identificaret in aliqua linea ſuum actuale exercitiū, eſſet ſua perfectio in tali linea: ergo & eſſet in tali linea à ſe perfectum. *Minor* eſt evidens; ipſum enim actuale & ultimum exercitium alicujus lineæ eſt perfectio talis lineæ, cum eo adepto nihil ultra expectetur in tali linea, atq; ita quod eſt ſuum actuale exercitium, ſeu quod illud ſibi identificat, eſt etiam in tali linea ſua perfectio. *Probatur Major*: om-

quod eſt,& non eſt tale per cauſam, eſt à ſe tale ; ſed
d eſt ſua perfectio perfectum eſt , ut patet , & non
perfectum per cauſam ; ergo quod eſt ſua perfectio
ſe perfectum *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: *Nota*.
od eſt tale per cauſam formalem , ſeu quod non pen-
à cauſa formali , ut ſit tale ; à nulla habet cauſa
d ſit tale ; cum tale quid non habeat tunc materialem
am , utpote quæ correlativa eſt ad formalem , nec
n habeat cauſam efficientem & finalem , utpote quæ ,
extrinſecæ ſint,non poſſunt rem intrinſecè conſtituere
media formâ ſeu formali cauſa,quæ dat eſſe intrinſecum
pecificum rei ; ſed quod eſt ſua perfectio non pendet
uſa formali , ut ſit perfectum , alias penderet à ſe ip-
cum hæc formalis cauſa non alia eſſe poſſit quam
ſua perfectio , cum qua ſupponitur eſſe idem ; ergo
d eſt ſua perfectio,perfectum eſt , &non eſt perfectum
cauſam : ergo quod eſt ſua perfectio eſt à ſe perfectum:
hoc ipſo quod nihil creatum eſſe poteſt à ſe perfe-
n , nihil creatum poteſt eſſe ſua perfectio : ergo hoc
quod nihil creatum poteſt eſſe à ſe perfectum (quod
rimum præmiſſum principium) nihil creatum poteſt ſibi
tificare ſuum actuans & actuale exercitium , ſed debet ab
nodaliter diſtingui.

robatur ſecundò , ex ſecundo præmiſſo principio : *omne
tum eſt finitæ tantum actualitatis* : ergo in nulla creata
poteſt id, quod eſt in actu exercito ſibi identificare
ultimum exercitium , ſed debet ab eo diſtingui tan-
n à modo ſive modali entitate. *Probatur Conſequentia*:
od eſt in actu exercito ſibi identificaret ſuum actuale
citium, foret in tali linea infinitæ actualitatis : ergo hoc
quod omne creatum eſt finitæ tantum actualitatis, non
ſt id quod eſt in actu exercito , ſibi identificare ſuum ul-
im exercitium.*Conſequentia* eſt evidens. *Probatur ante-
ns* , quod identificat ſibi & adunat in ſe omnem actuali-
n alicujus lineæ, eſt haud dubiè infinitæ actualitatis in
inea;ſed ſi id quod eſt in actu exercito , ſibi identificaret
ultimum exercitium , ſibi identificaret omnem actuali-
n illius lineæ,ad quam ſpectaret talis actus exercitus;ergo
ud eſſet infinitæ actualitatis in tali linea.*Major* eſt evidẽs;
itum enim dicitur,quod in ſe adunat & congregat omnia;
roinde & eſt infinitæ actualitatis in aliqua linea quod ſi-
entificat & adunat omnem actualitatem talis lineæ.
Pro-

Probatur minor, & quidem tum à priori, tum à poſteriori. Primò actualitas cujuſcumque lineæ vel eſt pertinens ad actum primum, vel ad actum ſecundum; ſed ſi id quod eſt in actu exercito ſibi identificaret ſuum exercitium, ſibi & in ſe identificaret actum primum & actum ſecundum; cum idem eſſet & id quod eſt in actu exercito, & ipſe actus exercitus; ſeu ipſum exercitium: ergo ſi id quod eſt in actu aliquo exercito ſibi identificaret ſuum exercitium, ſibi & in ſe identificaret omnem actualitatem illius lineæ, ad quam pertineret actus ille exercitus. Secundò intellectus, qui ſibi identificaret ſuam intellectionem, omnem in ſe adunaret actualitatem lineæ intellectivæ, ut concedunt communiter Theologi, qui propterea id ſolum concedunt divino intellectui: ſed ſe habet intellectus ad intellectionem ut id quod eſt in actu exercito ad ſuum exercitium: ergo ſi id quod eſt in actu exercito ſibi identificaret ſuum exercitium, ſibi etiam identificaret omnem actualitatem illius lineæ ad quam ſpectaret talis actus exercitus: ergo ſi quod eſt in actu exercito ſibi identificaret ſuum exercitium foret infinitæ actualitatis: ergo hoc ipſo quod omne creatum eſt finitæ tantum actualitatis [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] in nulla creata linea poteſt id quod eſt in actu exercito ſibi identificare ultimum ſui exercitium, ſed debet ab eo diſtingui tanquam à modali entitate.

Probatur tertiò, ex tertio præmiſſo principio: *omne quod in creatis eſt in actu exercito, eſt in eo accidentaliter ſolum & contingenter*; ergo in nulla creata linea poteſt id quod eſt in actu exercito ſibi identificare ſuum ultimum exercitium, ſed debet modaliter ab eo diſtingui. *Probatur conſequentia*: quod ſibi identificat ſuum ultimum exercitium, eſt in actu exercito eſſentialiter: ergo hoc ipſo quod omne quod in creatis eſt in actu exercito, eſt in eo ſolum contingenter, non poteſt hoc ipſo ſibi identificare ſuum exercitium. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: ideo quod in creatis eſt in actu exercito, non eſt in eo eſſentialiter, quia ex eſſentialibus ſolum petit in eo eſſe, non autem habet quod in eo ſit: ſed quod ſibi identificat ſuum exercitium, non tantum petit ex eſſentialibus eſſe in actu exercito, ſed etiam habet in eo eſſe; ergo quod ſibi identificat ſuum ultimum exercitium habet eſſe in actu exercito eſſentialiter, & non tantum contingenter ſive accidentaliter. *Major* conceditur ab omnibus. *Probatur Minor*, impoſſibile eſt quod ipſummet actuale exercitium ſolum petat

ſſentialiter eſſe in actu:ſed quod ſibi identificat ſuum ulti-
n exercitium eſt ipſummet actuale exercitium:ergo quod
dentificat ſuum ultimum exercitium non tantum petit ex
ıtialibus eſſe in actu,ſed etiam habet in eo eſſe. *Minor* pa-
x terminis. *Probatur Maior*, quod ex eſſentialibus ſolum
t aliquid,ſalvari poteſt ſaltem conceptibiliter eo non ha-
ſeu non adepto:ſed impoſſibile eſt quod ipſummet actua-
ercitium ſalvetur etiam conceptibiliter, abſque eo quod
ſſe actu ſive in actu,ut per ſe patet; aliàs conceptibiliter ſal-
tur ſine ſeipſo:ergo impoſſibile eſt, quod ipſummet actua-
xercitium ſolum petat eſſe in actu ex ſuis eſſentialibus: er-
uod ſibi identificat ſuum ultimum exercitium non tan-
petit ex eſſentialibus eſſe in actu , ſed etiam habet in eo
ergo quod ſibi identificat ſuum ultimum exercitium ha-
ſſentialiter eſſe in actu exercito : ergo hoc ipſo quod om-
uod in creatis eſt in actu exercito, eſt in eo ſolum acciden-
er & contingenter [quod eſt tertium præmiſſum princi-
n] in nulla poteſt creata linea id quod eſt in actu exerci-
ɔı identificare ſuum ultimum exercitium, ſed debet ab eo
ngui tanquam à modo ſive à modali entitate.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolutionibus objectorum.

bjicies primò , ſi quod eſt in actu exercito diſtingueretur
nni linea à ſui exercitio tanquam à modo , ſive a modali
ate,vel diſtingueretur ab eo ut perfectius quid, vel ut im-
ectius:ſed neutrum dici poteſt: ergo quod eſt in actu ex-
o non debet in omni linea modaliter, diſtingui à ſui exer-
. *Probatur Minor* ; dici non poteſt quod perfectibile ſit
perfectius ſui perfectivo , neç etiam quod res ſit imper-
or ſuo modo:ſed ſi id quod eſt in actu exercito modaliter
ngueretur à ſui exercitio, compararetur ad illud & ut per-
bile ad perfectivum,& ut res ad modum: ergo nec diſtin-
etur ab eo ut perfectius quid , nec ut quid imperfectius,
ertè ſimul eſſet eo perfectius & imperfectius.

eſpondeo negando minorem;unde dico, quod ſi fiat com-
tio inter rem ipſam quæ eſt id quod eſt in actu exercito,
ſum modale exercitium, quod res ipſa debet abſolutè lo-
do dici perfectior,adeoque & ab eo diſtinguitur ut per-
us quid. Quia vero hoc etiam apud Thomiſtas contro-
tur,negantibus aliis ſaltem pro linea eſſendi,inter quos eſt
nes à S.Thoma,qui vult quod in linea eſſendi ipſum exer-

citium ſcilicet exiſtentia ſit ſimpliciter perfectius quid ipſa eſſentiâ, quæ eſt res, & id quod eſt in actu exercito; aliis verò è contra aſſerentibus in omni linea perfectiorem eſſe rem ipſam, quæ eſt id, quod eſt in actu exercito, ſuo modali exercitio, pro quo citantur Zumel, Soncinas, & alii; Quia inquam hoc ita controvertitur etiam apud Thomiſtas placet noſtram confirmare ſententiam duabus aut tribus rationibus quæ quidem (meo judicio) efficaciter intentum probant.

Primò omnis entitas modalis & omne creatum exercitium, quidquid illud ſit, non tam ſui eſt quam alterius, ſcilicet rei modificatæ; unde exiſtentia, de qua major videtur eſſe in præſenti difficultas non tam eſt ſibi quam eſſentiæ, id eſt non tam eſt ut ipſa exiſtat, quam ut faciat exiſtere eſſentiam: quare ipſa exiſtentia (& idem dic de aliis ultimis ſeu modalibus exercitiis in quavis alia linea) aliqualiter reſpicit ut finem ipſam eſſentiam, quatenus ſcilicet datur ad hoc ut reducat eſſentiam de potentia ad actum exercitum exiſtendi: ex his autem ſic rationem formo: id quod naturaliter eſt propter aliud, & non eſt tam ſui quam alterius nequit eſſe perfectius illo, ſed potius eſſe debet minus perfectum; cum ordo naturalis id exigat, quod minus perfecta ordinentur ad perfectiora: jam ſic eſt *Nota.* quod omnis modalis entitas ſive modale exercitium, eſt naturaliter propter aliud reducendum de potentia ad actum exercitum, nec eſt tam ſui quam alterius, ut oſtenſum eſt: ergo res ipſa, quæ eſt id quod eſt in actu exercito, eſſe debet in omni linea perfectius quid ſuo modali exercitio.

Secundo par eſt & videtur eſſe ratio de una & de altera linea quantum ad perfectionem modalis exercitii & rei quæ eſt in actu exercito, ut conſideranti patebit: jam ſic eſt quod in linea operandi ipſum principiū effectivum operationis, quod eſt id quod ponitur in actu exercito, perfectius eſt operatione quæ eſt modale ejus exercitium, ut verbi gratia intellectus eſt perfectior intellectione, & voluntas volitione; cujus ratio eſt quia intellectus eſt cauſa univerſalis æquivoca, licet proxima, quæ unica exiſtens in ſpecie & numero poteſt infinitas producere intellectiones diſtinctas numero & ſpecie; & licet quantum ad modum ſignificandi videatur actio perfectior & actualior, quia tamen actualitas præhabetur in ipſa potentia intellectiva ut in principio effectivo vitali, æquivoco, univerſali, eminentiori, & magis uno, inde fit quod ſimpliciter & in re ſit intellectus perfectior intellectione: ergo & in omni li-

nea

debet res, quæ eſt in actu exercito eſſe perfectius quid ſuo
ali exercitio.
ertiò denique hoc idem probo præcipuè contra Thomi-
contrarium aſſerentes, qui quidem communiter docent
exiſtentiam nec ſubſiſtentiam eſſe aſſumptibilem à verbo
o ſed ſolum naturam. Ex qua doctrina arguo ſic. Sola na-
& eſſentia aſſumptibilis eſt & elevabilis ad eſſe Dei & per-
litatem verbi divini media unione ſubſtantiali, adeo ut
cet unum per ſe & ſubſtantiale ex natura creata & perſo-
creata: jam ſic eſt quod hæc elevabilitas eſſentiæ ſig-
eſt majoris perfectionis, quam ſit perfectio exiſtentiæ: ſi
que interrogaretur humanitas Chriſti, an vellet perfectio-
exiſtentiæ creatæ inaſſumptibitis à verbo; vel potius per-
onem naturæ aſſumptibilis, haud dubiè reſponderet ſe
s velle perfectionem naturæ aſſumptibilis, quam habere
ctionem exiſtentiæ inaſſumptibilis: ergo ſecundum præ-
doctrinam communiter admiſſam apud Thomiſtas,
r importatur perfectio in natura quam ab exiſtentia, ſi-
exercitio in linea eſſendi, ac proinde & idem ſimiliter
dum de aliis rebus quæ ſunt in actu aliquo exercito &
rundem exercitiis, cum ut conceditur major ſit difficul-
linea eſſendi quoad utriuſque perfectionem, quam in
is alia linea.
tabis: Implicat, aut certè implicare videtur in terminis,
perfectibile perfectius ſit perfectione: ſed id quod eſt in
exercito ſe habet in hoc caſu & ſuppoſitione modalis
ctionis ad ſui exercitium ut perfectibile ad ſui perfe-
em, ut patet: ergo implicat quod res ipſa quæ eſt id quod
actu exercito perfectior ſit in hoc caſu ultimo & moda-
xercitio.
ſpondeo diſtinguendo majorem: ſi ſermo ſit, de perfecti-
mpliciter dicto Concedo, ſi autem ſermo ſit de perfecti-
uod eſt potius ſimpliciter perfectum, & perfectibile ſo-
ecundum quid & cum addito, puta in eſſe tali nego. Pro
otandum eſt, perfectibile illud ſolum dici ſimpliciter &
itè perfectibile, quod dicitur tale comparativè ad *Nota.*
primum, eumque reſpicit ut perfectivum; propterea
cum antecedenter ad actum primum in eo receptum
in eo ſit actualitas nec conſequenter perfectio, inde fit
illud ſit & dici debeat ſimpliciter perfectibile; è contra
lud dicitur perfectibile ſolum ſecundum quid & cum
, quod dicitur tale reſpectivè ad aliquem actum,
ſecun-

ſecundum quem proinde reſpicit ut perfectivum; ex eo ſcilicet quod cum jam in tali perfectibili ſupponatur actus primus & conſequens primum perficiens, eſt per conſequens illud perfectibile jam ſimpliciter perfectum, & ſolum perfectibile quantum ad tale eſſe ſecundum, quod per actum ſecundum tribui debet: cum ergo res quæ dicitur id quod eſt in actu exercito, ſit ſolum perfectibilis per ultimum ſui exercitium tanquam per actum ſecundum, atque jam ſupponatur perfecta per actum primum cum jam ſupponatur conſtituta in eſſe rei & in eſſe talis naturæ, quod quidem non niſi per actum primum fieri poteſt, cujus eſt dare eſſe rei, ut dicitur communiter, conſequenter fit quod quamvis comparetur ad ſui exercitium tanquam perfectibile ad perfectivum, adhuc ſit & eſſe poſſit perfectior ipſo ſui exercitio.

Vrgebis: quod aliud reſpicit tanquam finem propter quem eſt, eſſe non poteſt illo perfectius; ſed ſuppoſita modali diſtinctione inter id quod eſt in actu exercito & ejus exercitium, tunc tale quid reſpicit ſui exercitium tanquam finem propter quem eſt: ergo eſſe non poteſt perfectius quid ſuo exercitio. *Major* conſtat ex dictis ſupra. *Probatur Minor*, ſuppoſitâ tali diſtinctione, eo modo reſpicit id quod eſt in actu exercito ſuum exercitium, quomodo reſpicit unumquodque operativum ſuum operari: ſed unumquodque operativum ſuum reſpicit operari tanquam finem propter quem eſt; eſt enim axioma Philoſophicum quod *unumquodque eſt propter operari*: ergo & id quod eſt in actu exercito debet in hoc caſu reſpicere ſuum exercitium tanquam finem propter quem eſt.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, quod aliud reſpicit tanquam finem propter quem eſt, eſſe non poteſt illo perfectius, ſi illud reſpiciens tanquam finem, reſpiciat ut nude ſumptum Concedo: ſin minus ſubdiſtinguo: non poteſt eſſe eo perfectius, ſumpto conjunctim cum eo, cum quo habet eſſe finis Concedo; non poteſt eſſe eo perfectius ut nudè ſumpto Nego: Et ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro cujus ſolutionis intelligentia, notandum eſt, quod cum dicitur aut diceretur quod id quod eſt in actu exercito eſſet propter ſuum exercitium nudè ſumptum, quin imo exercitium illud, ut diximus ſupra, ita nudè ſumptũ eſt propter rem ipſam cujus eſt exercitium, cum utpotè modale non tam ſit ſui quam alterius; dicitur ergo & diceretur quod id quod eſt in actu exercito eſſet propter ſuum exercitium, id eſt propter ſeipſum ut perfectius ſuo exercitio; in quo ſenſu ſequitur quidem

quod eſſe non poſſit perfectius ſuo exercitio ita conjun-
ſumpto,ſub qua ratione habet eſſe finis,non tamen quod
non poſſit perfectius ſuo exercitio ut unde ſumpto. quod
d quod controvertitur.Quod ſi quæras unde hoc habeam,
quod id quod eſt in actu exercito dicatur ſolum eſſe pro-
ſuum exercitium non ut nudè ſumptum , ſed ut conjun-
ſumptum cum ipſa re cujus eſt exercitium, adeo ut ſen-
t quod eſſentia verbi gratia ſit non quidem propter exi-
tiam , ſed propter ſeipſam ut perfectiorem exiſtentia:re-
deo, me id colligere ex eo quod in eodem ſenſu dicitur &
cetur id,quod eſt in actu exercito eſſe propter ſuum ex-
ium, quo dicitur unumquodque eſſe propter ſuum ope-
ut concedit arguens:jam ſic eſt quod ſenſus hujus axioma-
t bene notat acutiſſimus noſter Cajetanus,non eſt, quod
nquodque ſit propter operari nudè & ſeorſim ſumptum,
certum ſit ſuppoſitum pro quo ſupponit ly *unumquod-
perfectius eſſe,ſuâ operatione nudè ſumptâ* , utpote acci-
ali,ſed ſenſus hujus eſt quod unumquodque eſt propter
um ut operantem:ergo idem & in eodem ſenſu dici debet
quod eſt in actu exercito & de ipſius exercitio.

rgeôis iterum : hæc habet D,Thom. *2.cont.gent.cap.52.*
. perfectius eſt in quocumque actu,quod eſt ipſe actus,
n quod eſt habens actum: ſed hæc aperte militant contra
trinam ſupra in ſolutionibus adductam : ergo non eſt
ata doctrina ad mentem D. Thomæ , qui præterea idem
t in pluribus aliis locis.

eſpondeo explicando verba S. Doctoris : perfectius eſt in
cumque actu,quod eſt ipſe actus, quam quod eſt habens
m., ita quod loquatur D.Thomas de majori perfectione
ad modũ ſignificandi,cõcedo:ita quod loquatur de majori
ctione quoad rẽ ſignificatam;nego:concedendum ergo &
ter concedimus, quod quantum ad modum ſignificandi
is importatur perfectio in eo quod eſt actus, quam in eo
d eſt habens actum , cum perfectio menſuretur juxta
alitatem,& quoad modum ſignificandi ſit ipſe actus ma-
ctualis,quam ly *habens actum*,ut ex terminis patet : attā-
quoad rem ſignificatam adhuc verificatur quod ly ha-
actum ſit quid perfectius , cum hæc ipſa actualitas quæ
ctus non tam ſit propter ipſum, quam propter rem quæ il-
habet,adeò ut ipſa actualitas exiſtentiæ v. g. non tam ſit
ter ipſam exiſtentiam, quam propter eſſentiam,ut ſcili-
eſſentia ſit in rerum natura , & exerceat in illa ſuas ope-

rationes : non ergo adverſantur verba illa ſancti Doctoris præfatæ noſtræ doctrinæ , cum tam genuinam patiantur explicationem.

Objicies ſecundò, & ſimul inſtabis contra probationem ſecundam Concluſionis. Ideo ex præfata probatione debet id quod eſt in actu aliquo exercito modaliter diſtingui à ſui exercitio, quia alias ſibi identificaret omnem actualitatem ſui generis, ſubindeque & foret infinitæ actualitatis : ſed falſum eſt quod propterea ſibi identificet omnem actualitatem ſui generis : ergo inſufficiens eſt præfata probatio. *Probatur Minor*: dato quod natura humana v.g. ſibi identificet actualitatem exiſtentiæ , non niſi humanam exiſtentiam ſibi identificabit: ſed in eodem genere exiſtentiæ alia reperitur exiſtentia quam humana , ut per ſe patet : ergo dato quod res ſibi identificet ſuum exercitium , non propterea ſibi identificabit omnem actualitatem ſui generis.

Reſpondeo negando minorem: ad cujus probationem nego majorem , dato enim quod natura aliqua ſibi identificet ſuum exercitium, tunc non tantum actualitatem hujus individualis exercitii ſibi identificabit , ſed omnem etiam in ſe adunabit actualitatem, adeò ut illud iſtud inferat arguitivè. Cujus ratio eſt quia ex eo quod aliquid ſibi identificet eſſe ſive actualitatem ſui exercitii rectè infertur , quod non habeat tale eſſe per participationem, cum [ut bene notat D. Thomas] in omni ente per participationem præter id quod participatur ſit aliud quod participat , quod quidem tunc non reperitur nec verificatur; ex quo ulterius ſequitur quod tale quid ita ſibi identificans eſſe ſive actualitatem ſui exercitii , cum hoc non habeat eſſe per participationem ſit conſequenter ens increatum & divinum, adeoque & ſibi identificans nedum actualitatem hujus individualis exercitii, ſed & cujuslibet actualis exercitii, & fiat ſic infinitæ actualitatis. Patet hæc ſolutio in exemplo de intellectu & intellectione : enim vero conceditur communiter, quod ſi intellectus humanus ſibi identificaret ſuam intellectionem, infinitus foret in genere intellectuali, non quidem ita quod remanendo intra limites intellectus humani eſſe poſſit infinitus, & in ſe adunare omnem actualitatem & perfectionem cujuslibet intellectionis , ſed quia hoc ipſo quod ſupponitur identificans ſibi ſuam ultimam actualitatem extrahitur, contra ſuppoſitionem factam, extra genus intellectus humani & creati, cui ſcilicet id non poteſt competere, & conſequen-

Nota.

uenter ſupponitur aut ſupponendus eſt eſſe divinus aut in-
atus intellectus, in quo per conſequens adunetur omnis &
evis actualitas intellectionis.

Objicies tertiò, & ſimul inſtabis contra tertiam probatio-
n: ideo ex hac probatione debet res modaliter diſtingui à
exercitio, quia alias eſſet eſſentialiter in actu exercito;
hac admiſſa diſtinctione adhuc verificatur quod ſit crea-
n quid eſſentialiter in actu exercito; ergo non vitatur per
ic diſtinctionem præfatum inconveniens. *Probatur Minor*:
admiſſa diſtinctione verificatur de ipſo exercitio quod
eſſentialiter exercitium & actuatio: ſed nihil magis eſt in
a exercito quam ipſum exercitium & ipſa actuatio; ergo
admiſſa diſtinctione inter id quod eſt in actu exercito &
s exercitium, adhuc verificatur quod ſit creatum quid eſ-
tialiter in actu exercito.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſed hac admiſſa diſtin-
one adhuc verificatur, quod ſit creatum quid eſſentialiter
ctu exercito, loquendo de creato ſe habente *ut quo* Con-
o: loquendo ut loquimur de creato ente ſe habente *ut
od*, ſeu ut id quod eſt Nego minorem & conſequentiam.
que enim eſt inconveniens quod aliquid creatum ſe ha-
s ut quo & ut modalis entitas, qualiter ſupponitur ſe
ere præfatum exercitium modaliter diſtinctum, ſit eſſen-
iter in actu & exercitè, bene quidem loquendo de ente
ato ſe habente ut quod & ut id quod eſt, cujus diſparita- Nota
atio eſt; quia creatum ens quod ſe habet ſolum ut quo
t modalis entitas, cum hoc ipſo quod tale & ex propria
dditate non tam ſit ſui quam alterius, ſcilicet actus
ni; ideo fit quod quamvis ſit eſſentialiter in actu & exer-
exiſtens, adhuc tamen poſſit deſtrui & deſinere eſſe,
eo ſcilicet quod tunc in deſtructione aut duratione præ-
exercitii ſe habentis ut quo, magis attendi debet ad id
od petit actus primus, qui quidem non petit quod ſem-
ſit & ſemper duret tale exercitium; atque ita poteſt ta-
exercitium hoc ipſo quod ſe habet ut quo & ut modus
eſſentialiter in actu & exercitè, & tamen adhuc eſſe crea-
n & defectibile quid: at vero ſi res ipſa quæ ſe habet ut
od, ſive ut id quod eſt in actu, eſſet eſſentialiter in actu,
od quidem fieret, ſi ſibi identificaret ſuum ultimum exer-
um ut dictum fuit in præfata probatione) cum in hoc caſu
a ſolum peteret eſſe in actu, ut ibidem dictum fuit,

 nec

nec conſequenter regulari poſſet in ſui duratione & permanentia penes aliquod, quod nō peteret & exigeret ſemper eſſe, inde fieret quod talis res nuſquā poſſet deficere & deſinere eſſe, ac proinde fieri non poteſt quod creatū quid ſe habens ut id quod eſt ſit eſſentialiter in actu exercito, nec conſequenter, quod ſibi identificet ſuam exiſtentiam.]

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo, D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod quidem inprimis colligo ex his quæ habet *Quodlibeto 2 articulo 3.* ubi hæc habet: *Quandocumque aliquid prædicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid eſſe præter id quod participat.* Hæc ille, ex quibus verbis ſubſumo ſic: atqui eſſe exercitè & in actu exercito prædicatur per participationem de omni eo, quod in creatis, eſt in tali eſſe & actu exercito, cum eſſe exercitium ſit eſſe perfectum, quod non niſi per participationem haberi poteſt in creatis: ergo in omni creato & in omni creata linea, aliud eſt ex D. Thoma id quod eſt in actu exercito, & aliud actuale illud exercitium, quod proinde in omni linea eſſe debet modus ſuperadditus, cum ex eo quod non tam ſui eſt quam alterius, eſſe non poſſit res.

Secundò hoc idem probo, ex eo quod D. Thomas perpetuus eſt in docendo, quod ſolius Dei proprium ſit quod ſit ſuum eſſe & ſua perfectio, & quod habeat eſſe irreceptum. Ex qua doctrina argumentor ſic. Illud quod proprium eſt ſolius Dei, illud in nulla linea poteſt competere creaturæ: ſed quod ſit ſuum eſſe & ſua perfectio hoc eſt proprium ſolius Dei ex D. Thoma: ergo ex D. Thoma in nulla linea verificari poteſt de ente creato quod ſit ſuum eſſe & ſua perfectio: ſed omne exercitium & omnis actuatio importat quoddam eſſe & quamdam perfectionem ut per ſe patet: ergo ex D. Thoma in nulla linea poteſt id quod eſt in actu exercito eſſe ſuummet exercitium in creatis, ſubindeque debet ab eo diſtingui: ſed non poteſt ab eo diſtingui niſi tanquam à modo, cum præfatum exercitium, utpote non tam ſui, quam ejus, cujus eſt exercitium, ſeparari non poſſit ſive ſeparatum manere ab eo cujus eſt, quod quidem eſt proprium & differentiale modi, ſive modalis

enti-

titatis: ergo ex D. Thoma in omni linea in qua verificatur de te creato, quod ſit in aliquo actu exercito, admitti debet odalis entitas, ſive modaliter diſtinguitur ipſum actuale ercitium ab eo, quod eſt in actu exercito.

QUÆSTIO V.

De ente ſingulari, ſeu individuali quodnam ſit in ſubſtantiis principium indivi-duationis.

Ramittendum primò, non procedere in præſenti quæſi-tum tituli de principio individuationis ſubſtantiæ, et-n prout in ea comprehenditur ſubſtantia ſpiritualis npleta; de hac enim agemus in ſequenti quæſtione, m de immultiplicabilitate individuorum in natura ſeu cie angelica; ibi enim Deo dante probabimus, non le-er, per idem conſtitui Angelum in eſſe Angeli & in eſſe jus Angeli, adeo ut idèm ſit principium individuans Ange-n, quod eſt eius conſtitutivum in ſua ſpecie. De ſolis o ſubſtantiis materialibus, quales ſunt homo, lapis, ius &c. procedit præſens quæſitum, circa quod quatuor tingui ſolent ſententiæ, quantum prima eſt Scotiſtarum; e vero tres controvertuntur apud Thomiſtas, & intra olam B. Thomæ, habentque ſingulæ authores & defen-es graves. Primus ergo dicendi modus circa principium ividuationis ſubſtantiæ, eſt Scoti & ſequacium, qui qui-n volunt, ipſam ſubſtantiam materialem individuam eſſe fieri per modum quemdam, ſeu entitatem modalem po-vam, determinantem ipſam naturam ad ſingularitatem, æ entitas vocatur apud illos *Hæcceitas*, quia ea mediante ſubſtantia *Hæc*; & eſt inquiunt modus intrinſecus condi-nctus contra formalitatem: unde volunt quod duo indivi-a ejuſdem ſpeciei eandem habeant naturam, ſive formalita-n & formalem unitatem, & ſolum differant per Hæcceita-s ſive modos intrinſecos.

Secundus vero dicendi modus, qui primus eſt, ſed minus communis inter illos, qui intra ſcholam B. Thomæ controvertuntur, eſt dicendi modus Nazarii, qui *prima parte quæſtione tertia, articulo ſecundo controverſia unicâ*, contendit individuationem ſubſtantiæ materialis deſumi immediatè ab ipſa Quantitate, ut à forma intrinſeca ipſam actuante ſubſtantiam. Tertius vero dicendi modus qui multum communior eſt apud Thomiſtas, & quem ſequuntur patres Salmanticenſes, ſeu Carmelitæ diſcalceati de doctrina Thomiſtica bene meriti, eſt modus ille, in quo explicatur individuatio ſubſtantiæ per ordinem aptitudinalem ad ipſam quantitatem, qui quidem dicendi modus coincidit [meo judicio] cum modo dicendi Cajetani, qui vult individuari ſubſtantiam per ipſam materiam, non ſecundum ſe, ſed prout eſt radix quantitatis. Demum quartus dicendi modus, qui etiam multum communis eſt apud Thomiſtas, infra citandos eſt eorum, qui volunt deſumi individuationem ſubſtantiæ ab ipſis intraneis ſubſtantiæ, adeo ut, inquiunt, non concurrat quantitas ad ſubſtantiam individuandam, niſi quoad nos & quoad ſenſum, ſeu quoad individuationem, ut potentem ad ſenſum demonſtrari & determinari, non autem concurrat ad illam individuandam in re, ſed ita individuari ſubſtantiam per ſuammet entitatem; ita tamen ut ex duobus intrinſecè & entitativè ſubſtantiam componentibus, primario & principaliter, ſumatur individuatio & individualis unitas ab ipſa materia; ſicut è contra, ubi agitur de formali & ſpecifica unitate, quamvis & materia & forma ad eam concurrant, dicitur tamen & dici ſolet, quod primariò & principaliter deſumitur hæc unitas à forma.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum, ad quæ concluſio quoad ſingulas partes, ſeu partes quatuor aſſignatas reduci debet, quod hæc quatuor ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ, puta quod *non poſſunt duo pluſquam genere differentia eadem individuatione individuari*: quod *productio non eſt niſi ſingularium ſeu individualium*: quod *non poteſt materia non prius reſpicere primarium ſpecificativum*: denique quod *prædicamenta ſunt primo diverſa*. Ratio autem primi, puta quod non poſſunt duo pluſquam genere differentia eadem individuatione individuari, ratio inquàm, eſt quia quæ eadem individuatione individuantur, unum & unicum conſtant & conſtituunt individuum, ut ex terminis patet: jam ſic eſt quod quæ ita differunt pluſquam genere, non poſſunt

unum

um & idem conflare individuum;cum individuum ſit unum
 per ſe,& unius eſſentiæ,utpote in ſuo repoſitum prædica-
nto, tanquam baſis prædicatorum ſuperiorum & inferio-
n eſſentialium & ſubordinatorum , quæ proinde unicam
nſtituunt eſſentiam:non ergo fieri poteſt , quod duo pluſ-
am genere differentia eadem individuatione individuen-
. Jam vero quantum ad ſecundum dictum , quod ſcilicet
oductio non eſt niſi ſingularium & individualium; ratio eſt,
ia productio non tendit nec terminatur niſi ad rem ut exi-
ntem , utpote quæ tendit ad eam ut extra cauſas ſuas po-
idam : atqui res ſecundum quod exiſtens habet eſſe hic &
nc,ut per ſe patet, quæ quidem duo ſunt conditiones ſingu-
iſantes & individuantes:ergo productio non eſt,niſi ſingu-
ium & individualium. Ratio autem tertii, puta quod non
teſt materia non prius reſpicere primarium ſpecificativum,
quia de ratione ſpecificativi eſt reſpici à re ſpecificatâ , cum
ionem habeat ſpecificativi per hoc , quod per ordinem ad
d res ſpecificatur,ſive determinatur ad eſſe tale : ergo debet
 de ratione primarii ſpecificativi , quod etiam prius & pri-
rio reſpiciatur , ac proinde non poteſt materia non prius
piçere primarium ſpecificativum.

Demùm quantum ad quartum , puta quod prædicamenta
it primò diverſa,ratio hujus eſt, quia quodvis prædicamen-
n eſt coordinatio prædicatorum ſuperiorum & inferio-
n ſub uno ſupremo genere : ergo non poſſunt multiplicari
edicamenta , quin multiplicentur & ipſa ſuprema genera:
n ſic eſt quod ſi non eſſent primo diverſa,non poſſent mul-
licari ſuprema genera , ſed unum tantum eſſet ſupremum
nus;propterea quod, cum non differrent tunc per illud om-
 quod eſſet in ipſis , eſſet conſequenter aliquid in quo ipſa
gula ſimpliciter convenirent , atque ita cum illud eſſet ge-
s ad illa,illud ſolum per conſequens eſſet ſupremum genus ,
m eſſet ſuperius ad illa omnia : ergo debent prædicamenta
c ipſo quod talia eſſe primo diverſa;His ergo præmiſſis tan-
am certis & apud omnes indubitatis principiis,jam pro quæ-
 reſolutione,& concluſionis ad eãdẽ principia reductione ſit

CONCLUSIO : *Nec per hæcceitatem,ſive hæcceitatis mo-
m;nec per quantitatem tanquam per formam immediatam;
que per ipſum ordinem ad quantitatem ipſa individuatur
atertalis ſubſtantia;ſed per ſe ipſam,ita tamen ut ex duobus ex
ibus componitur primariò proveniat individuatio ab ipſa
ateria,potius quam ab ipſa forma.*

Probatur prima pars concluſionis ex primo præmiſſo principio: *non poſſunt duo pluſquam genere differentia per eamdem individuationem individuari*: ergo nec poteſt ſubſtantia per modum hæcceitatis individuari. *Probatur Conſequentia*: ſi individuaretur ſubſtantia per modum quemdam hæcceitatis, tunc duo quæ pluſquam genere differunt per idem individuarentur: ergo hoc ipſo quod duo pluſquam genere differentia non poſſunt per eamdem individuationem individuari, nec poteſt hoc ipſo individuari ſubſtantia per hujuſmodi modum hæcceitatis. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: modus, & quidditas ſive natura differunt pluſquam genere, ſed ſi per modum hæcceitatis individuaretur ſubſtantia, per idem individuarentur tunc modus, & quidditas ſive natura: ergo & tunc per idem individuarentur duo pluſquam genere differentia. *Major* per ſe patet, & conceditur. *Probatur Minor*: hæcceitas ut ſic & in communi ſe habet in hoc caſu & in hac ſententia ad ſubſtantiam, de qua eſt ſermo, ſicut modus ad quidditatem ſive naturam: ſed in hoc caſu per idem individuaretur hæcceitas ut ſic, per quod individuaretur ſubſtantia: ergo & per idem in hoc caſu individuarentur modus, & quidditas ſive natura, *Major* per ſe patet & conceditur. *Probatur Minor*: hæcceitas, per quam in hoc caſu individuaretur ſubſtantia, eſſe deberet hæcceitas talis & hæc, non autem hæcceitas in communi, quæ ſupponitur prædicari de omnibus hæcceitatibus; ſed per hæcceitatem hanc & talem ſupponitur etiam individuari in hac ſententia hæcceitas ut ſic, utpote quæ per eam ſit determinata & ſingularis: ergo ſi ita individuaretur ſubſtantia per hæcceitatem, per idem individuaretur hæcceitas ut ſic, per quod individuaretur ſubſtantia: ergo & per idem individuaretur tunc modus, per quod individuaretur quidditas: ergo & tunc per idem individuarentur quæ pluſquam genere differunt: ergo hoc ipſo quod duo pluſquam genere differentia non poſſunt per idem individuari [quod eſt primum præmiſſum principium] nec poteſt ſubſtantia per modum ſuperadditum hæcceitatis individuari.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex ſecundo præmiſſo principio: *productio non eſt niſi ſingularium & individuorum*: ergo non poteſt ſubſtantia ab ipſa individuari quantitate ut à forma immediata. *Probatur conſequentia*: ſi ab ipſa quantitate immediatè individuaretur ſubſtantia, non terminaretur tunc productio quà talis ad ſingulare: ergo hoc ipſo quod

d productio non eſt niſi ſingularium ſeu individuorum , poteſt hoc ipſo ſubſtantia ab ipſa quantitate ut ab imme- a forma individuari. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur cedens:* productio ad ſubſtantiam terminatur in aliquo ti ad quantitatem ; ſed ſi per ipſam quantitatem indivi- retur, non eſſet ſingularis in aliquo priori ad quantitatem : o ſi per ipſam quantitatem individuaretur ſubſtantia, non ninaretur productio quà talis ad ſingulare. *Minor* eſt evi- s. Inintelligibile enim eſt, conſtitutum qua tale eſſe in ali- priori ad conſtitutivum. *Probatur Major :* non poteſt pri- ius terminus productionis non intelligi in aliquo priori ad ndarium : ſed productio , quæ terminatur ad ſubſtantiam minatur ad illam ut ad primarium terminum, & ad quanti- m ut ſecundarium : ergo terminatur productio ad ſubſtan- n in aliquo priori ad quantitatem. *Major* patet ex terminis. *batur Minor :* productio quæ terminatur ad aliqua duo ſe entia per modum eſſentiæ & proprietatis , terminatur ad ut ad primarium terminum & ſecundarium , ut per ſe pa- cum proprietas utpote entis ens non poſſit non habere re- ctu illius rationem ſecundarii : ſed productio, quæ termina- ad ſubſtantiam , terminatur ad illam ut ad eſſentiam & ad ntitatem ut proprietatem : ergo & terminatur productio ad ſubſtantiam ut ad primarium terminum , & ad quanti- em ut ſecundarium : ergo terminatur productio ad ſub- ntiam ut ad aliquid prius ad quantitatem : ergo non habet ſtantia fieri talis per quantitatem , ſub ea ratione ſub qua ducitur : ergo hoc ipſo quod productio non eſt niſi ſub- ntiæ ut ſingularis (quod eſt ſecundum præmiſſum princi- m) non poteſt hoc ipſo ſubſtantia fieri per ipſam quantita- n ſingularis & individua.

Probatur tertia pars concluſionis ex tertio præmiſſo prin- io : *non poteſt materia non prius reſpicere primarium ſpecifi- ivum :* ergo nec poteſt materia nec conſequenter materia- ſubſtantia per ordinem ad quantitatem individuari. *Proba- conſequentia :* ſi individuaretur materia per ordinem ad antitatem, æquè primò reſpiceret ſecundarium ſpecificati- n, ac primarium : ergo hoc ipſo quod non poteſt materia n prius reſpicere primarium ſpecificativum , non poteſt per dinem ad quantitatem individuari. *Conſequentia* eſt evi- ns. *Probatur antecedens :* forma ſubſtantialis eſt primarium teriæ ſpecificativum, & completivum, & quantitas , utpote cidentalis forma, dumtaxat ſecundarium : ſed ſi individua-

 retur

retur materia per quantitatem, æquè primò reſpiceret accidentalem formam, ſeu quantitatem, ac ipſam ſubſtantialem formam: ergo æquè primo reſpiceret ſecundarium ſpecificativum ac primarium. *Major* eſt certiſſima & ex terminis patet,

Nota. *Probatur Minor:* ſicut ſe habet materia hæc ad hanc numero ſubſtantialem formam & ad hanc quantitatem, ſic & materia abſolutè ſumpta ad ſubſtantialem formam, & quantitatem abſolutè ſumptas: ſed ſi materia individuaretur per ordinem ad quantitatem; non prius hæc materia hanc reſpiceret ſubſtantialem formam quam hanc quantitatem; cum in hoc caſu nec materia nec forma eſſent hæc priuſquam reſpicerent hanc quantitatem: ergo ſi materia individuaretur per ordinem ad quantitatem, non prius reſpiceret ſubſtantialem formam quam quantitatem: ergo ſi materia individuaretur per ordinem ad quantitatem æquè primo reſpiceret ſecundarium ſpecificativum ſeu completivum, quam primarium: ergo hoc ipſo quod non poteſt materia non prius reſpicere primarium ſpecificativum [quod eſt tertium præmiſſum principium] nec poteſt hoc ipſo individuari per ordinem ad quantitatem.

Probatur quarta & ultima pars concluſionis ex quarto præmiſſo principio: *prædicamenta ſunt primò diverſa:* ergo ab alio individuari non poteſt ſubſtantia, quam à ſeipſa ſeu ex propriis intraneis & propria entitate. *Probatur conſeqnentia.* Non poſſunt prædicamenta eſſe primò diverſa, & unum ingredi coordinationem prædicatorum alterius, ſed ſi individuaretur ſubſtantia per aliud à ſeipſa, ingrederetur prædicamentum unum coordinationem alterius: ergo non poteſt individuari ſubſtantia per aliud à ſeipſa, hoc ipſo quod prædicamenta ſunt primo diverſa. *Major* per ſe patet; eſſe enim aliqua primo diverſa, eſt diſcrepare ab invicem, quantum duo aliqua diſcrepare poſſunt, quod quidem non verificaretur de duobus illis prædicamentis, quorum unum ingrederetur coordinationem alterius, ut per ſe patet, cum alia quæ non ingrederentur, magis adhuc diſcreparent. *Probatur Minor:* omnis coordinatio prædicamentalis conflatur & clauditur per ſupremum genus, de quo nihil ſuperius prædicatur & per ſubjectum infimum, cui nihil ultra ſubjicitur, quod eſt ſingulare & individuum: ſed ſi individuaretur ſubſtantia per aliud à ſeipſa, tunc aliud prædicamentum ipſam ingrederetur, ſecundum quod individuam & ſingularem, cum illud aliud ab ipſa, à quo individuaretur, alicujus eſſet prædicamenti: ergo ſi per aliud individuaretur ſubſtantia, quam à ſeipſa, ingrederetur tunc prædicamentum

tum unum coordinationem alterius: ergo ſi per aliud individuaretur ſubſtantia quam à ſeipſa, non eſſent prædicamenrimo diverſa: ergo hoc ipſo quod prædicamenta ſunt pridiverſa, [quod eſt quartum & ultimum præmiſſum princin] per aliud non individuaretur materialis ſubſtantia m à ſeipſa.

Dixi autem & addidi in concluſione, quod quamvis à ſeipſa ota entitate individuetur ſubſtantia, adeo ut & materia & ma ad hanc concurrant unitatem individualem adæquatè ptam, ab ipſa tamē materia primo, principaliter, & radicaliproveniat, ſicut ècontra quamvis formalis & ſpecifica unimaterialis ſubſtantiæ deſumatur adæquatè ſumpta & à for- & à materia, cum utraque pars ſit de eſſentia, dici tamen à forma primo & primario & radicaliter provenire. Poratio dicti hujus & hujus additi eſt, primo, quia de prima ſtantia, id eſt individua & ſingulari loquens Ariſtoteles, it eſſe illam, quæ neque de alio dicitur, neque recipitur in : jam ſic eſt, quod ut hoc verificetur de prima ſeu individi ſubſtantia, principaliter ſe habet materia reperta in individi; materia enim in nullo recipitur ſubjecto, cum tamen forin ipſa materia ut in ſubjecto recipiatur: ergo quamvis aque pars individuam componat ſubſtantiam, potiori tan jure eam in ratione talis componit materia, à qua proinprincipaliter provenit individuatio. Secundò id ſuaderi teſt ex eo quod una & eadem materia recipit & reſpicit pluformas, cum tamen una & eadem forma non recipiatur in ribus materiis: Ergo materiam reſpicit forma ut magis ticularem & ſingularem, quam materia reſpiciat formam; go melius & potiori jure contrahitur forma per materiam, am materia per formam: ergo & potiori jure individua- forma per materiam, quam materia per formam. Tertiò nique id colligitur ex eo, quod unitas individualis & indilualis diſtinctio potius materialis eſt quam formalis, cum extra rationem ſpeciei, ſeu unitatis & diſtinctionis ſpecifi- , quæ primo & radicaliter conſtituitur in eſſe talis per formam, ſubindeque & eſt formalis: ergo potiori jure materiæ tribuitur tanquam radici individualis unitas, quam ipſi formæ.

Solvun-

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Pro prima ſententia: individua verè & propriè differunt: ſed niſi individuarentur per præfatum hæcceitatis modum naturæ ſuperadditum, non verè ab invicem differrent: ergo debet individuatio provenire à præfato hæcceitatis modo. *Probatur Minor:* Omnis differentia differentium reduci debet ad aliqua primo diverſa: ſed niſi individuarentur individua per præfatum hæcceitatis modum, non poſſet eorum reduci differentia ad aliqua primò diverſa; ergo nec poſſent ipſa verè differre. *Major* eſt certiſſima, propterea quod ſi reduceretur differentium differentia ad aliqua, quæ non eſſent primo diverſa, ſed in aliquo convenientia; cum talia convenientia ulterius per aliquid differrent, deberet ulterius aſſignari aliquid in quo partim convenirent pro differentia, & ſic daretur proceſſus in infinitum. *Probatur Minor:* natura in iſto individuo, & natura in illo non ſunt nec eſſe poſſunt primo diverſæ, cum in natura potius conveniant; ſed niſi individuarentur individua per præfatum hæcceitatis modum, reduceretur tunc individualis eorum differentia ad eorum naturas: ergo non reduceretur ad primò diverſa. *Probatur Minor:* ad id eſt reducenda individualis differentia, à quo deſumi debet individuatio; ut per ſe patet: ſed niſi individuarentur individua per præfatum hæcceitatis modum naturæ ſuperadditum, per aliud non individuarentur individua, quam per proprias naturas, ut dictum & conceſſum fuit in quarta parte concluſionis: ergo niſi individuarentur individua per præfatum hæcceitatis modum, non poſſet eorum reduci differentia ad aliqua primo diverſa.

Reſpondeo Negando Minorem primi & ſecundi argumenti: ad tertium vero nego majorem, quod ſcilicet natura in iſto individuo & natura in illo non ſint ab invicem primo diverſæ: etenim dicuntur aliqua primo diverſa hoc ipſo quod differunt per totum illud quod eſt in ipſis; jam ſic eſt, quod natura Petri & natura Pauli habent differre per totum illud reale quod eſt in ipſis, cujus ſignum eſt, quod annihilato Petro pereat & deſtruatur totum illud, quod eſt realiter in ipſo, nec tamen aliquid perit ex his, quæ ſunt in Paulo realia & realiter: ergo natura in illo & natura in iſto individuo ſunt & eſſe poſſunt primo diverſæ, ac proinde quantumvis ſecluſo illo hæcceitatis modo ſuperaddito ad eas reduci debeat individualis eorum diffe-

entia, adhuc tamen verificatur reduci hujuſmodi diffe-
am ad aliqua primò diverſa, intellige diverſitate reali per
ſionem omnis identitatis ſive communitatis in aliquo
; quamvis non ſint, (nec etiam opus ſit) tales naturæ pri-
verſæ diverſitate, quæ talis dicitur per excluſionem con-
ntiæ etiam rationis, ſeu, quod in idem redit, per excluſio-
conformitatis ſpecificæ.
q; obſtat quod additum in fuit majori negata ad proba-
m, puta quod in natura potius conveniant individua, non
m hoc obſtat; quia non propterea ſequitur, quod eadem
c caſu eadem conveniant & differant, convenientiâ & dif-
tia, quæ in eodem opponantur; ex eo ſcilicet quod in
is realiter differunt & ſolum conveniunt ratione, ut in
o Tomo Logicæ in tertio libro exiſtimo demonſtraſſe;
æ propterea lectorem remitto; atque ita non propterea
tet ponere diſtinctas entitates, puta naturam in qua reali-
onveniant, & modum ſuperadditum hæcceitatis, in quo
er differant, cum potius per totum reale quod eſt in ipſis,
ant, & ſolum conveniant ratione.
Itabis: Sicut ſe habet natura generis ad differentiam ſpe-
m, ſic & natura ſpecifica ad differentiam individualem:
ontrahitur natura generis per differentiam ſpecificam
iam per ſuperadditum quid: ergo & contrahi debet ſive
iduari natura ſpecifica per differentiam individualem,
iam per quid ſimiliter ſuperadditum; ſed tale ſuperad-
n non aliud eſſe poteſt, quam modus & modus hæcceita-
m non ſit de conſtitutivo naturæ, ſed ei ſuperadveniat
onſtitutæ, & adveniat illi ut eam efficiat *hanc*: ergo non
am naturam reduci poteſt individualis differentia, ut
ndit præcedens ſolutio, ſed ad modum dumtaxat hæc-
is naturæ ſuperadditum.
ſpondeo Diſtinguendo Minorem: ſed contrahitur natura
is per differentiam ſpecificam tanquam per ſuperaddi-
quid, loquendo de contractione rationis, & de ſuperaddi-
r rationem, Concedo: loquendo de contractione reali, &
liter ſuperaddito Nego, quod ita contrahatur natura ge-
per differentiam ſpecificam, tanquam per ſuperadditum
: & ſub eadem diſtinctione concedo & nego conſequen-
Pro quo dico quod ſi nihil amplius prætendat aut præ-
ret Scotus, dum reducit individuationem & differentiam
dualem ad aliquid naturæ ſuperadditum, ſi, inquam, nihil
prætenderet, quam quod dum ratione contrahimus
natu-

naturam ſpecificam ad individuum, ibi intelligere debemus, & per intellectum diſtinguere differentiam individualem ipſi naturæ quaſi advenientem, quæ eam ſic ratione contrahat & determinet, ſicut & nos ſolemus dicere de differentia ſpecifica reſpectu naturæ genericæ, hoc quidem libenter concedimus, ſed nihil exinde concluderet Scotus contra Thomiſtas, nec aliquid reſolveret ad intentum præſentis quæſtionis; cum ibi non loquamur de individuatione rationis; ſic enim ſupponimus, eſſe hæcceitatem ſive differentiam individualem ratione advenientem ipſi naturæ, ſed de reali individuatione hic inquiramus.

Objicies 2. Contra ſecundam partem concluſionis, in qua ſcilicet dictum fuit, non individuari ſubſtantiam, ſive naturam per ipſam quantitatem tanquam per formam immediatam. Quandocumque aliquid competit alicui primo & per ſe, non niſi ratione illius poteſt aliis convenire: ſed in plures dividi partes ejuſdem rationis quantitati competit primo & per ſe ex Ariſtotele *lib.5. Metaph.* ergo cuicumque competit præfata diviſio, competere debet per quantitatem, ſeu ratione quantitatis: ſed natura ſpecifica dividitur in plura ejuſdem rationis: ergo non niſi ratione quantitatis naturæ competit talis diviſio: atqui unumquodque individuatur per illud unde habet eſſe ab alio diviſum: ergo non niſi per ipſam quantitatem individuatur natura in ſuis individuis.

Reſpondeo Diſtinguendo Minorem: ſed in plures dividi partes ejuſdem rationis quantitati competit primo & per ſe, loquendo de partibus numeralibus ſeu integralibus & extenſis, Concedo: quod diviſio in præfatas partes primo & per ſe competat quantitati; loquendo, ut in præſenti loquimur, de partibus ſubjectivis ejuſdem rationis, Nego minorem & conſequentiam. Pro quo notandum eſt, partes alias eſſe numerales & alias ſubjectivas: numerales ſunt, quæ ex continui diviſione oriuntur, quæque propterea per numerationem & replicationem ſui totum exhauriunt & adæquant continuum: & harum diſcretio & diſtinctio ab invicem haud dubiè provenit ex quantitate; qua de cauſa reponi ſolet numerus in prædicamento quantitatis: partes vero dicuntur ſubjectivæ, in quas totum aliquod potentiale ſeu univerſale eſſentiale dividitur, & deſcendit per prædicationem eſſentialem, & ideo dicuntur ſubjectivæ, quia de illis tanquam de ſubjectis realiter & eſſentialiter prædicatur totum illud potentiale, ſeu natura univerſalis, quæ illas in potentia & in confuſo continet: cum ergo

agatur

tur in præſenti de individuatione ſubſtantiarum materia-
n, de quibus ipſa prædicamentalis ſubſtantia tum generica
ı ſpecifica eſſentialiter prædicatur, tanquam de ſubjectis in-
is & fundamentis ipſius lineæ prædicamentalis ſubſtantiæ,
ſequenter fit, quod ibi agatur ſolum de individuatione par-
n ſubjectivarum naturæ, & de earundem diſcretione & di-
ctione individuali ab invicem: jam ſic eſt quod individua-
hujuſmodi partium ſubjectivarum provenire non poteſt *Nota.*
ıantitate, nec conſequenter quantitati poteſt per ſe primo
ɔpetere diviſio in hujuſmodi partes ſubjectivas; tum quia
ipſo quod ſubjectivæ ſunt & ut tales individuæ, ſunt con-
ıenter individuæ & individuatæ ſecundum quod claudunt
erminant coordinationem prædicamenti ſubſtantiæ, ſub
ratione nihil in ſe admittunt nec admittere poſſunt, quod
xtraneæ naturæ, ſive extranei prædicamenti, quale eſt præ-
ımentum quantitatis reſpectu prædicamenti ſubſtantiæ:
ı etiam quia quoties prædicatum aliquod reperitur, & in
dicamento ſubſtantiæ, & in prædicamento accidentis, hoc
prædicatum deſumi non poteſt ex ratione aliqua particu-
hujus vel iſtius prædicamenti, ſed ex ratione aliqua com-
ıi utrique prædicamento, ut per ſe patet: atqui partes ha-
ſubjectivas, ſeu ſubjectum habere infimum & individu-
de quo prædicata generica & ſpecifica prædicentur, repe-
r in quolibet prædicamento & quidem taliter, quod ſine
on poſſent ſtabiliri prædicamenta: ergo impoſſibile eſt
d individuatio partium ſubjectivarum ſubſtantiæ ab ipſa
veniat quantitate, alias ab ea proveniret gradus unus lineæ
dicamentalis ſubſtantiæ, quale eſt ſubjectum infimum, ſeu
viduum; atque ita dici non debet quod diviſio & diſcre-
artium hujuſmodi ſubjectivarum ab invicem ipſi tribui
ɛat quantitati.

ıſtabis: In tantum partes illæ ſubjectivæ ſubſtantiæ ma-
ılis ſunt individuæ, in quantum ſunt determinatæ ad hic &
c: ſed non niſi per quantitatem habent, quod ſint deter-
atæ ad hic & nunc: ergo non niſi per quantitatem indivi-
ıtur partes etiam ſubjectivæ materialis ſubſtantiæ. *Major*
tur certa: conditiones ſiquidem ſingulariſantes & in-
duantes non aliæ aſſignari ſolent quam *Hic*, & *nunc.*
batur Minor: eſſe ſubſtantiam materialem *Hic*, eſt eſſe in
o occupativè; ſed non niſi ratione quantitatis eſſe poteſt
oco occupativè; cum locus ſit ſuperficies corporis ambien-
abindeq; & eſſe in loco ſit ambiri & menſurari à ſuperficie,

&

& conſequenter à quantitate : ergo non niſi per quantitatem habent partes ſubjectivæ materialis ſubſtantiæ eſſe determinatæ ad hic & nunc.

Reſpondeo Diſtinguendo majorem : in tantum partes ſubjectivæ materialis ſubſtantiæ ſunt individuæ, in quantum determinatæ ſunt ad hic & nunc , loquendo de individuatione quoad nos & cadente ſub ſenſum Concedo : loquendo de individuatione in re,& quæ reipſa ſupponitur Nego , quod ad hujuſmodi individuationem in ſubſtantiis requiratur determinatio ad hic & nunc , nec conſequenter quantitas ; Porrò habet imprimis ſolutio hæc fundamentum in D. Thoma *in Opuſc.29.* ubi ipſemet explicat dicta aliqua quæ in ſuis operibus habere videntur contrarietatem circa individuationem ſubſtantiæ materialis, juxta præfatam noſtram diſtinctionem, & ait : *Quantum igitur pertinet ad hic & nunc, ſeu quoad nos & quoad ſenſum , eſt quantitas principium individuationis ; quantum vero ad ipſam ſpectat quidditatem materia ipſa eſt individuationis principium :* Hæc D. Thomas, ad quæ remitto Thomiſtas ſingulos nobis hic adverſantes.

Item deducitur & hæc ſolutio, ſeu præfata diſtinctio de individuatione quoad nos & cadente ſub ſenſu, & de individuatione in re , deducitur inquam ex eo, quod ſi confundi deberet individuatio quoad nos, quoad ſenſum , quoad hic & nunc, cum individuatione in re , ſequeretur abſurdum quod reputo ego maximum, puta quod ſicut non poteſt ſubſtantia individua quoad hic & nunc, quoad nos & quoad ſenſum, ſicut, inquam , non poteſt talis ſubſtantia ſeparari etiam divinitus à quantitate, ut per ſe patet, ita nec à quantitate ſeparari poſſet, & ſeparata manere ſubſtantia materialis individua in re ; ac proinde quod poſſet conſervare Deus quantitatem panis ſine ipſius ſubſtantia, ut fit in Euchariſtia ; nec tamen conſervare poſſet ſubſtantiam panis ſine quantitate. Scio quod hanc concedet ſequelam Nazarius, ſed valeat Nazarius, & hoc aliis ſuadeat : mihi enim nunquam id perſuadebit , qui nec volo nec valeo id credere. Addo quod ad minus de anima rationali certum eſt & de fide ſeparari poſſe à quantitate , in quo ſtatu ſeparationis ſit individua : ergo ejus individuatio non ſumitur à quantitate ut à forma immediata & primaria; jam ſic eſt quod individuatio animæ connexionem habet cum corpore : ergo ſimiliter tota ſubſtantia poterit conſervari individua ſine quantitate actuali ſibi actu inhærente, quod tamen , ut ſupra dicebamus, fieri non poſſet, ſi per idem individua eſſet in re &

reipſa,

oſa, & quoad nos ſeu individuatione cadente ſub ſenſu & erminata ad hic & nunc; cum ſit omnino certum & evidens n poſſe hanc individuationem reperiri ſine quantitate.

Objicies tertiò, Contra tertiam partem concluſionis, ideo tum fuit, non poſſe materiam ſive materialem ſubſtantiam ividuari per ordinem ad quantitatem, quia non poteſt non poni hæc antecedenter ad talem ordinem: ſed hoc eſt um: ergo & illud. *Probatur Minor*: ideo non poteſt ma- a non ſupponi hæc antecedenter ad ordinem ad quantita- n, quia non poteſt non prius reſpicere hanc numero for- m ſubſtantialem quam hanc numero quantitatem: atqui eſt prius reſpicere hanc numero formam ſubſtantialem, & uc fieri hæc per ordinem ad hanc quantitatem: ergo fal- i eſt, quod debeat materia ſupponi hæc antecedenter ad or- em habitum ad quantitatem. *Major* deducta eſt ex proba- ne concluſionis. *Probatur Minor*: ut materia fiat hæc per inem ad hanc quantitatem, ſufficit quod in aliquo genere ſæ prius reſpiciat hanc quantitatem, quam hanc numero nam ſubſtantialem: atqui poteſt materia prius in genere æ receptivæ reſpicere hanc formam ſubſtantialem, & ta- i in genere diſpoſitivo vel diſponibili prius reſpicere hanc ntitatem: ergo & poteſt materia prius in aliquo priori re- ere hanc formam ſubſtantialem, & tamen adhuc fieri hæc ordinem ad hanc quantitatem.

Reſpondeo Negando Minorem primi, ſecundi, & tertii argu- nti, quas quidem minores, quantumvis acutas reputo falſas mnino contrarias litteræ & menti D. Thomæ, in cujus ta- verba velut in verba Magiſtri jurant qui eas afferunt. E- n D. Thomas 1. *part. quæſtione* 76. *art.* 6. expreſsè agit de dentibus ſub ratione diſpoſitionis, ut patet ex ipſo titulo uli, & ex verbis quibus utitur in corpore & in ſolutione ar- entorum; & tàmen hæc ibi habet ſanctus Doctor: *Vn- mpoſſibile eſt, quod quæcumque diſpoſitiones accidentales ciſtant in materia ante formam ſubſtantialem*, &c. & in ione ad primum facta præſciſione per intellectum inter us formæ ſubſtantialis concludit: *Et ſic præintelliguntur ſitiones in materia ante formam, non quantum ad omnem ffectum, ſed quantum ad poſteriorem*: ergo ex D. Thoma n in genere diſpoſitivo ſive diſponibili præſupponi debet antialis forma ad aliud omne accidens, quantumvis con- etur ſub ratione diſpoſitionis. Ut autem hoc ratione con- etur, & quidem efficaciſſimâ, placet in medium proferre

totam rationem integram quâ utitur D. Thomas *in citato art.* 6. Et qua aliæ omnes quæ afferri poſſent impugnationes & diſtinctiones contra præfatam noſtram doctrinam omnino [meo judicio] præcluduntur : ſic ergo diſcurrit Divus Thomas loco citato : *Et hujus ratio eſt , quia cum materia ſit in potentia ad omnes gradus ordine quodam , oportet quod id quod eſt primum ſimpliciter in actibus primo in materia intelligatur ; primum autem inter omnes actus eſt eſſe : impoſſibile ergo eſt intelligere , materiam prius eſſe calidam vel quantam, quam eſſe in actu : eſſe autem in actu habet per formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimpliciter ut jam dictum eſt ; unde impoſſibile eſt quod quæcumque diſpoſitiones accidentales præexiſtant ante formam ſubſtantialem, & per conſequens ante animam.*

Hæc ibi D. Thomas, ex quibus argumentor ſic contra has acutas & acutiſſimas tum Salmanticenſium tum aliorum defenſorum ſententiæ Cajetani diſtinctiones : quantitas etiam conſiderata ut diſpoſitio non propterea dat eſſe ſimpliciter ipſi materiæ, ut concedunt omnes : ergo neque prius recipitur in materia, neque prius in picitur à materia. Ut enim elegantiſſimè dicit & docet D. Thomas ordine quodam recipit & reſpicit materia omnes actus, & primo actum ſubſtantialem, qui dat illi eſſe ſimpliciter : ergo cum quantitas neque in ratione accidentis, neque in ratione diſpoſitionis det eſſe ſimpliciter, quod eſt eſſe ſubſtantiale , evidentiſſimè ſequitur ſecundum doctrinam hanc expreſſam ſancti Doctoris fortiſſimam & elegantiſſimam, neque reſpici prius, neque prius recipi quantitatem etiam ut diſpoſitionem : neque enim etiam ut diſpoſitio pertinere poteſt ad primum ſpecificativum materiæ , quod eſt ſubſtantialis forma, & ſubſtantialis actus utpote primò & per ſe proportionatus materiæ quæ eſt ſubſtantialis potentia, ex qua & ex forma ſubſtantiali reſultat totum ſubſtantiale compoſitum.

Inſtabis : Ideo ergo non poteſt materia prius reſpicere hanc quantitatem, quam formam hanc ſubſtantialem, quia ex ordine quo actus reſpicit non poteſt non prius reſpicere actum ſubſtantialem quam accidentalem : ſed hoc non eſt generaliter verum : ergo neque illud. *Probatur Minor* : ideo non poteſt materia ex ordine quem ſervat in reſpiciendis actibus non prius reſpicere actum ſubſtantialem , quia non poteſt ſubſtantia ſeu ſubſtantiale quid per ſe primò reſpicere accidens : ſed hoc non eſt generaliter verum : ergo neque illud, *Probatur Minor*,

poten-

tentia in ſubſtantiali compoſito ad recipienda accidentia, is intelligibilitas, éjuſque natura ſunt haud dubiè ſubſtantia- quid, cum ſint realiter ipſamet entitas ſubſtantialis compo- a, ſed præfata potentia per ſe primò reſpicit accidentia ut ex rminis patet, & intelligibilitas per ſe primo reſpicit intelle- um, qui eſt ſimiliter accidens, & natura per ſe primo reſpicit otum & quietem, quarum definitur radix, & quæ ſunt pari- r accidentale quid: ergo non eſt generaliter verum, quod on poſſit ſubſtantia per ſe primo reſpicere accidens.

Reſpondeo Negando Minorem primi & ſecundi argumenti: l tertium verò diſtinguo majorem ſic: potentia in compoſi- ſubſtantiali, & ejus intelligibilitas, & ejus natura ſub ratio- e naturæ ſunt aliquid ſubſtantiale, ita ut ſint de primario con- eptu ſubſtantiæ Nego; ſunt aliquid ſubſtantiale, ita ut ſint e conceptu ſolum ſecundario ſubſtantiæ, Concedo: & con- eſſa minori diſtinguo ſimiliter conſequens: ergo non eſt ge- eráliter verum, quod non poſſit ſubſtantia per ſe primo reſpi- ere accidens, ſi ſit ſolum ſermo de ſubſtantia ſecundum ali- uem ſui conceptum ſecundarium, Concedo: ſi autem ſit ſer- no, ut eſt in præſenti, de ſubſtantia ſecundum aliquem ſui pri- narium conceptum, ſive in ſpecie, ſive in individuo, Nego.

Eſt ergo notandum, & quidem ſeriò & diligenter ad plures olvendas difficultates, quæ contra præfatam D. Thomæ & Thomiſtarum doctrinam in pluribus materiis objici poſſent, quod cum in hoc differant ſubſtantia & accidens, quod hoc ex proprio & primario conceptu ſit incompletum quid; ècon- tra verò ſubſtantia ſit quid completum; conſequenter fit, quod ſicut accidens, ex eo quod ita & taliter incompletum ha- bet ex primario conceptu reſpicere & quaſi quærere ad ſui complementum aliquid extrinſecum, ſeu aliquid extranei præ- dicamenti, puta ſubſtantiam; itaècontra non debet ſubſtan- tia, ex eo quod ita & taliter completa, reſpicere poſſe ex pri- mario conceptu aliquid extrinſecum, ſeu extranei prædica- menti, quale eſt accidens; cum quo per conſequens ſtat, quod ex conceptu ſecundario poſſit tale quid reſpicere, quandoqui- dem cum hoc adhuc ſtat & ſalvatur præfata differentia ſubſtan- tiæ ab accidente in reſpiciendo extrinſecum; unde cum poten- tia receptiva accidentium non ſit de primario conceptu ſub- ſtantiæ, neq; in ſpecie, neq; in individuo, cum prius & primari- um ſit in ſubſtantia ſubſiſtere, & eſſe per ſe & in ſe, quam ſubſta- re aliis, propterea fit quod poſſit ſubſtantia ſecundum hujuſ- modi potentiam per ſe primo reſpicere accidens; & ſimiliter Nota.

 ſecun-

ſecundum ſui intelligibilitatem, quæ nec etiam eſt de primario ſubſtantiæ conceptu, cum fundetur in entitate; & idem dicendum de natura ſub ratione naturæ ſeu radicis operationum, quæ quidem præſupponit in ſubſtantia rationem eſſentiæ, ſicut operari præſupponit eſſe: at vero ſi materia ſive ſubſtantia per ſe primo reſpiceret quantitatem ut per ſe talem ordinem individuaretur, tunc ordo ad aliquid extrinſecum ingrederetur primarium ejus conceptum in individuo: reſtat ergo, quod non poſſit materia ſive ſubſtantia per ſe primo reſpicere quantitatem, ut per talem reſpectum individuetur; quamvis ſubſtantiale quid poſſit ſenſu ſupra expoſito per ſe primo reſpicere accidentale quid.

Objicies Contra quartam partem concluſionis: inintelligibile eſt materiam ſive materialem ſubſtantiam eſſe à ſeipſa & per ſeipſam individuam: ergo vera non eſt pars illa quarta concluſionis. *Probatur antecedens*: materia ſive materialis ſubſtantia habet multiplicari poſſe individualiter, abſque eo quod multiplicetur ſpecificè; ſed ſi à ſeipſa & per ſeipſam individuaretur, non poſſet multiplicari individualiter, quin hoc ipſo multiplicaretur ſpecificè: ergo inintelligibile eſt materiam ſive materialem ſubſtantiam individuari à ſeipſa & per ſeipſam. *Probatur Minor*: natura quæ per idemmet habet eſſe natura & hæc natura, non poteſt multiplicari individualiter, quin etiam multiplicetur & ſpecificè, ut dicemus *in ſequenti quæſtione de Angelis*: ſed ſi materialis ſubſtantia à ſeipſa individuaretur, tunc per idemmet haberet eſſe natura & hæc natura, ut patet: ergo non poſſet tunc multiplicari individualiter, quin etiam multiplicaretur & ſpecificè.

Reſpondeo Negando antecedens; quin imo reputo ego omnino inintelligibile, quod per aliud individuetur natura ſive ſubſtantia, quod quidem, præterquam quod ex dictis ſupra ſufficienter colligitur, poteſt ulterius ſuaderi hoc argumento. Si per aliud individuaretur natura, vel intelligeretur illud aliud eam afficere ut repertam univerſalem, vel ut repertam particularem: ſed neutrum dici poteſt; non quidem primum; cum ſub ea ratione illam afficeret, qua eſſet illa illius receptiva, & univerſale non ſit receptivum ſingularis, aliàs unum oppoſitum eſſet ſuſceptivum alterius: ſed nec ſecundum dici poteſt, quod ſcilicet illam afficeret ut repertam particularem; cum eam afficeret, ut illam potius efficeret particularem & ſingularem: ergo omninò inintelligibile eſt; quod per aliud individuetur natura quam per ſeipſam & à ſeipſa. Nego igitur antecedens:

Nota.

cedens: ad cujus probationem nego minorem; & ad tertium, in quo ſita videtur vis argumenti,& cujus difficultas eſt haud dubiè graviſſima,nego ſimiliter minorem.

Pro quo notandum eſt & quidem ſeriò & diligenter, quod aliud eſt dicere quod ſi materialis ſubſtantia eſſet à ſeipſa individua & non per aliquid extrinſecum ; tunc idemmet eſſet natura,& hæc natura; & aliud quod tunc per idemmet principium eſſet natura & hæc natura ; primum quidem eſt verum & concedendum,quia cum nihil extrinſecum naturæ requiratur ut fiat *hæc*,conſequenter fit quod eademmet intrinſeca entitas quæ eſt natura,ſit hæc natura,attamen non propterea verum eſt dicere,quod per idemmet principium,vel ſaltem eodem modo ſe habens conſtituatur natura & hæc natura ; quia cum talis natura non ſit natura ſimplex,ut eſt natura Angeli,ſed compoſita , fieri poteſt quod in conſtitutione illius ſub ratione naturæ , unum ex componentibus ſe habeat primo , principaliter & radicaliter , & èContra in conſtitutione illius ſub ratione hujus naturæ ſe habeat minus principaliter: & de facto ita fit in præſenti: nam in conſtitutione ſubſtantiæ ſub ratione naturæ concurrit primo & principaliter forma,adeo ut verum ſit dicere , quod habeatur eſſe naturæ per formam,ſeu ex forma,quamvis non niſi cum materia ; & è-contra in conſtitutione ſubſtantiæ materialis ſub ratione hujus naturæ concurrit,ut diximus,primo & principaliter materia,adeo ut verum ſit dicere, quod natura hæc habet eſſe talis ex materia & per materiam , quamvis non niſi cum forma , ſeu in quantum determinat formam. Quod autem deducatur inde multiplicabilitas ſubſtantiæ materialis intra eandem ſpeciem,ad differentiam ſubſtantiæ Angelicæ,dicemus & probabimus *in ſeqq. quæſt.*

Hic unum tamen notandum velim,quod objecta difficultas non premit ſpecialiter noſtram ſententiam,ſed communis eſt omni & cuivis ſententiæ de individuatione,ſiquidem & in ſententia eorum qui volunt individuari per hæcceitatem , vel per quantitatem,adeo ut hæcceitas vel quantitas ſeipſis individuentur,inſtare poſſum ego & dicere , quod nec hæcceitas nec quantitas per idem habent eſſe hæcceitas & hæc hæcceitas , nec per idem habet eſſe quantitas & hæc quantitas, aliàs non poſſet quantitas multiplicari individualiter, quin multiplicaretur & ſpecificè: ad hoc ergo reſpondeant & illi, & quod ipſi dixerint ad hoc ſolvendum , hoc ipſum dictum volo contra difficultatem objectam. Sed pro majori declaratione,

Inſtabis: Inintelligibile eſt, materiam ſive materialem ſubſtantiam ſecundum rationem ſpecificam naturæ, communem eſſe huic & illi, & incommunicabilem ſecundum rationem individualem, ſine aliquo de novo addito & intellecto ex parte ipſius ut individuæ, quo deperdatur communitas ſpecifica, & acquiratur incommunicabilitas illa individualis: Ergo nulla ſolutio.

Reſpondeo Diſtinguendo antecedens: inintelligibile eſt materiam ſecundum rationem ſpecificam aut quaſi ſpecificam communem eſſe, non autem ſecundum rationem individualem, quin hoc ipſo intelligatur aliquid additum quo deperdatur communitas illa ſpecifica, & acquiratur incommunicabilitas individualis, ita ut tale quid additum ſit extraneum ipſi materiæ & extranei prædicamenti, ut prætendit arguens, Nego: ita ut tale quid additum ſit aliquid ipſius materiæ & teneat ſe ex parte materiæ, Concedo; & nego conſequentiam. Concedo igitur & ab omnibus concedendum puto; quod materia quæ quantum eſt de ſe & ſecundum prædicata ſpecifica aut quaſi ſpecifica communis eſt huic & illi, non poteſt intelligi hæc & individualiter incommunicabilis, quin hoc ipſo intelligatur additum quid, quo tanquam conditione fiat materia ſic individualiter hæc & incommunicabilis; & idem ſimiliter dicendum exiſtimo de natura, quæ ſecundum prædicata ſpecifica, ſive quæ ſecundum rationem naturæ communis eſt; neque enim ſine ullo adveniente intelligibile eſt, poſſe materiam ſive materialem naturam ſuam deperdere communitatem & fieri individualiter hanc & incommunicabilem.

Nota.

Neque tamen exinde inferri poteſt aliquid contra præfatam noſtram ſententiam, in qua ſcilicet diximus non individuari materiam ſive materialem ſubſtantiam per aliquid ſibi extraneum ſed per propriam entitatem. Enim vero quando à me inquiritur, quodnam ſit illud additum aut quaſi additum, cum quo tanquam cum conditione ſine qua non individuaretur, habet materia ex communi ſecundum rationem ſpecificam fieri hæc individualiter & incommunicabiliter, reſpondeo ego ad hoc quod tale quid additum aut quaſi additum quo ita determinatur materia, quæ de ſe eſt indifferens, non aliud eſt quam ſua cauſalitas receptiva & ſuſtentativa, ut hanc formam recipiat, ſuſtentet, & individuet, ſicut dici ſolet quod cauſa efficiens de ſe indifferens ad plures effectus producendos, hac nunc actione determinatur ad hunc effectum: jam ſic eſt, quod hæc materialis & receptiva cauſalitas ex parte materiæ ſe tenet, &

eſt

eſt aliquid materiæ, quamvis non ſit ipſa materia : ergo bene intelligitur quod ſit materia, ſive materialis ſubſtantia de ſe & ſecundum rationem ſpecificam indifferens & communis, non autem ex ratione individuali, abſque eo quod individuari debeat per aliquid ſibi extraneum, ſive abſque eo quod intelligendum ſit aliquid ſuperadditum, quod ſit extraneæ rationis, nec ſe teneat ex parte materiæ.

Hic objici ſolet difficultas illa graviſſima de individuatione animæ rationalis, quæ cum habeat eſſe elevatum ſupra materiam, non videtur individuati poſſe ex materia; ſed hanc relinquimus ſolvendam *in ſequenti quæſtione*, ubi probabimus eſſe Angelos immultiplicabiles intra eandem ſpeciem, bene tamen animas rationales. Unum tantum hic notandum velim, non eſſe ſcilicet inconveniens, unam & eandem materiam individuare plures formas; tum quia bene poteſt, imo petit principium, quod eſt in aliquo genere unicum exiſtens extendi ad plura, ſicut cauſa efficiens unica exiſtens plures habet effectus & actiones; tum quia ut dictum fuit ſupra cum non individuetur nec conſequenter individuet materia, niſi mediante cauſalitate ſua receptiva, & ſuſtentativa ac unione, & hæc cauſalitas & hæc unio multiplicentur cum multiplicitate formarum, conſequenter fit quod poſſit materia una plures recipere & individuare formas. *Nota.*

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo Præfatam noſtram concluſionem eſſe omninò conſonam menti & doctrinæ ſancti Doctoris, nec non & pluribus ex famoſioribus Thomiſtis. Pro quo placet Magiſtri Alphonſi de Luna Salmanticenſis, unius ex noſtris ſententiam de verbo ad verbum hic apponere, quia codex non facile habetur præ manibus. Iſte ergo *in additionibus ad 3. partem Magiſtri Medinæ in annotationibus ſuper Quæſtionem 2. in obſervatione præambula*, ſic ait.

Ex hoc autem infero contra vulgarem ſententiam, quod individualitas eſt modus ſubſtantialis, qui ad genus ſubſtantiæ reducitur: quod quidem colligo ex D. Thoma *1. p. qu. 29. art. 1.* ubi tenet quod ſubſtantia per ſeipſam individuatur, ad differentiam accidentium, quæ individuantur per ſubſtantiam : non ergo individuatur ſubſtantia per quantitatem, nec per accidentia quantitati ſupervenientia, niſi ad ſummum quoad nos & quoad ſenſum. Sed neque etiam individuatur per

ordinem proximum ad Quantitatem, quia ordo iſte accidentarius eſt : ſed eſt individuatio ſubſtantialis conveniens ſubſtantiæ per ſeipſum, ut docet D. Thomas, quod etiam evidenti ratione probatur, quia ſcilicet individuum ſubſtantiale formaliter eſt de genere ſubſtantiæ; imo non datur propriè individuum niſi in ſubſtantiis , ut habet ibi D. Thomas : ergo modus conſtituens individuum non erit accidens nec accidentalis ordo , ſed erit ſubſtantialis & ad genus ſubſtantiæ reducendus.

Poteſt hoc confirmari ex eo, quod prius intelligitur natura ut hæc & quatenus ſingularis, quam intelligatur ſub accidentibus & ut recipiens illa : ergo individualitas non eſt aliquid accidentale, ſed modus ſubſtantialis. Probatur autem ſic antecedens : quia prius intelligimus hanc materiam ſub iſta forma, &ècontra, formam iſtam actuare hanc materiam , quam, quod intelligamus illam ſubeſſe accidentibus : ergo prius intelligitur ut hæc & in ratione ſingularis ſubſtantialiter , quam quod reſpiciat accidentia. *Probatur conſequentia :* quia per hoc quod materia eſt ſub iſta forma , & forma reſpicit hanc materiam, jam utraque intelligitur ſingularis & determinata; tum ſimiliter natura ex materia & forma conſurgens ex illa ſingulari conjunctione etiam eſt hæc & ſingularis : ergo, &c.

Verum tamen eſt, quod individualitas completur in ordine ad quantitatem vel in ipſa quantitate, licet hoc complementum ſit ſolum accidentale , & ſuperadditum ad majorem rei perfectionem. Et ita intelligit D. Thomas, cum dicit quantitatem aut materiam ſignatam quantitate eſſe principium individuationis : ibi enim loquitur non de completivo quo conſtituitur individuatio ſubſtantialis quæ ad quantitatem & ad complementum iſtud ſupponitur , ſed de completivo loquitur prout complente individuationem per explicationem illius, illam ſcilicet manifeſtando quantum ad ſenſum. Unde verum eſt quod materia ſignata & quaſi ſigillata quantitate explicat & manifeſtat ſingularitatem naturæ ; ante tamen ratione, quam ſignetur materia quantitate habet ordinem proximum ad talem deſignationem , & antequam illi conveniat iſte ordo proximus ad accidentia, quæ ſunt quaſi ſigillum naturæ , habet ſubſtantialem modum ſingularitatis, ex quo quidem ſibi vendicat talem accidentarium ordinem, & determinata accidentia. Relinquitur ergo, quod ratio individui ſit ſubſtantialis, & ejus ſingularitas de genere ſubſtantiæ, præveniens de ſe quidquid eſt accidentale , & conveniens naturæ immediatè

poſt

poſt prædicata eſſentialia, &c. Hæc graviſſimus ille Thomiſta, quibus exiſtentibus veris & legaliter adductis, videat quiſque an hæc noſtra ſententia judicanda ſit aliena à ſenſu vel D. Thomæ vel Thomiſtarum; Maximè cum & eidem ſubſcribat Flandria *in lib. 7. Metaphyſica, quaſt. 22* per multos articulos; in quibus ait quantitatem ad individuationem ſubſtantiæ ſolum concurrere ut complementum ſecundarium & quoad nos ſenſibile. Item hoc idem docet Aravio *tomo ſecundo Metaphyſ. lib. 8 quaſt. 2.* ubi *fol. 267.* dicit ad finem primæ columnæ, dari poſſe divinitus individuum ſubſtantiæ ſine quantitate; & jam ſupra dixerat non dari in materia ordinem qui primario reſpiciat quantitatem, ſed ſolum ſecundario; Quod haud dubiè dicere non poſſet, ſi ſentiret, individuari ſubſtantiam per ordinem ad quantitatem, ſive ab alio quàm à ſeipſa & ab intraneis.

QUÆSTIUNCULA.

An & qualiter individuentur accidentia ex ſubjecto.

Reſpondeo 1. quod ita ad minus pendent accidentia in ſui individuatione à ſubjecto, ut eadem numero accidentia migrare non poſſint naturaliter de ſubjecto uno ad aliud, quidquid in contrarium dicant aliqui moderni, qui volunt quod multa accidentia ſint eadem ſecundum numerum in genito & in corrupto, eſto recipiantur in toto compoſito.

Fundatur autem hæc noſtra reſolutoria reſponſio, & fulcitur tum authoritate, tum ratione: authoritate quidem, quæ & magni eſt ponderis, utpote D. Auguſtini totius bonæ doctrinæ magni parentis, & præterea eſt expreſſiſſima: ſic enim diſcurrit D. Auguſtinus *l. 5 contra Iulianum cap.* 14 qui nolebat, tranſire peccatum originale ad poſteros, eo quod habebat ex dialectica accidentia non migrare de ſubjecto uno ad aliud: ſic inquam contra hunc hæreticum loquitur Auguſtinus: *ſed magnum aliquid te dialectica docuit, rem quæ in ſubjecto eſt ſine illa re eſſe non poſſe, in qua ſubjecta eſt; & ideo putas malum, quod eſt in parente ut in ſubjecto, alii rei id eſt proli ad quam non pervenit non poſſe reatum tranſmittere:* (& infrà) *neque ſane tibi dialectica illa mentitur, ſed tu non intelligis; verum enim eſt*

quod ibi advertiſti, ea quæ in ſubjecto ſunt, ſicut ſunt qualitates, ſine ſubjecto in quo ſunt nuſquam eſſe, ſicut eſt in ſubjecto corpore color aut forma: ſed afficiendo tranſeunt non migrando. Quemadmodum Ethiopes, quia nigri ſunt nigros gignunt. Non tamen in filios parentes colorem ſuum velut tunicam transferunt. ſed ſui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur afficiunt: (& infra) *ſic & vitia, quamvis ſint in ſubjecto ex parentibus in filios, non quaſi transmigratione de ſuo ſubjecto in ſubjectum alterum (quod fieri non poſſe cathegoriæ illæ quas legiſti veriſſimè oſtendunt) affectione & contractione pertranſeunt.* Hæc ibi Auguſtinus; quibus in confirmationem & pro ratione addo quod & dictum illud toties repetitum (accidentis eſſe eſt in eſſe) nihil aliud ſignificat quam naturalem ejus dependentiam ab illo ſubjecto in quo ſemel recipitur; & quod uni ſubjecto determinato conveniunt & convenire debent determinata accidentia; adeòque nec divagari debent de uno in aliud; Et quod formæ illæ ſubſtantiales quæ dependent à materia & ex materia educuntur non tranſeunt nec migrant de uno ſubjecto in aliud: ergo multò minus accidentia, quæ etiam dependent & educuntur ex iſto ſubjecto poſſunt naturaliter illud amittere & recipi in alio, atque ita ad minus in ſui individuatione à ſubjecto pendent, ut non poſſint eadem numero migrare naturaliter de uno numero ſubjecto in aliud.

Nota.

Reſpondeo ſecundò, individuari accidentia ex ordine ad ſubjectum, adeoque determinata eſſe & individualiter talia per hoc quod dicunt ordinem ad determinatum ſubjectum: etenim quod probatur individuari ex ordine ad ſubjectum ex eo etiam capite, ex quo videtur id negandum, haud dubiè ita & taliter individuatur, atqui probatur individuari accidens ex ordine ad ſubjectum, ex eo etiam capite, ex quo id negant & negare ſolent adverſarii: ergo ita de facto tenendum eſt. *Probatur Minor*: ideo negant moderni illi, qui nobis in hoc, & in pluribus aliis adverſantur, ideo, inquam, negant individuari accidens ex ordine ad ſubjectum, quia, inquiunt, unumquodque individuari debet ex propria entitate; ſed hoc ipſo quod individuatur accidens ex propria entitate, individuatur hoc ipſo ex ordine ad ſubjectum, cùm ipſa accidentis entitas ſit ordo ad ſubjectum, utpote eſſentialiter & tranſcendentaliter relativa ad ſubjectum: ergo ex eo capite ex quo negandum videtur, individuari accidens ex tali ordine, ex hoc eodem capite id efficaciter probatur. Ut autem magis explicetur

hæc

c ratio, quæ (meo judicio) efficaciſſima eſt & multum ur-
ns, inquiro ab adverſariis num hoc ipſo quod accidens eſt
ativum tranſcendentale reſpiciens ſubjectum, debeat ſimili-
& ejus individuatio eſſe tranſcendentaliter relativa, niſi
int quod ſit individuum ita relativum, & individuatio om-
io abſoluta, quod implicat in terminis: atqui accidens,
odcumque illud ſit, eſt relativum tranſcendentale, utpote
od eſt eſſentialiter entis ens, pro quo videantur quæ dicta
t in parte ſecunda Logicæ de relativis tranſcendentalibus
libro prædicamentorum: ergo & individuatio accidentis
bet eſſe tranſcendentaliter relativa; ſed extremum illud ad
od eſt ita tranſcendentaliter relativa, non aliud eſſe poteſt
am ejus ſubjectum, cui inhæret, aut petit inhærere: ergo in
lividuatione accidentium importatur ordo ad ſubjectum:
l ſubjectum illud ad quod talis importatur ordo non poteſt
pponere pro ſubjecto in communi vel indeterminato, cum
c concurrere non poſſit ad individuationem, ut per ſe patet:
go debet accidens ex ordine ad determinatum ſubjectum
lividuari.

Reſpondeo tertiò, quod quamvis ita individuentur accidentia
ordine ad determinatum ſubjectum; non propterea exinde
quitur quod nec divinitus poſſint duo numero accidentia eſſe
ſſe in eodem numero ſubjecto. Eſt autem hæc reſponſio
ntra plures ex noſtris, quos pluries audivi in diſputationibus,
contra aliquos alios ſcriptores Thomiſtas, qui nimis exten-
re ſolent doctrinam ſanctiſſimi præceptoris D. Thomæ, &
ordine ad potentiam Dei abſolutam multum facile, & mul-
ties multum ſine fundamento loqui ſolent; Unde & inferre
lent ex doctrina in præcedenti reſponſione allata, non poſſe
o accidentia ſolo numero diſtincta poni etiam divinitus in
dem numero ſubjecto. Probatur autem præfata mea re-
onſio ſic: manente eadem causâ, idem ſemper manere de-
t effectus; ſed dato quod ponat Deus de potentia ſua abſolu-
albedinem parietis B. in pariete A, jam ſuppoſito al-
, adhuc manet cauſa diſtinctionis numericæ utriuſque
bedinis: ergo non implicat, ponere Deum duo ac-
dentia ſolo numero diſtincta in eodem numero ſubje-
o. *Probatur Minor*, ordo ad parietem B. tanquam ad
nnaturale ſubjectum eſt cauſa individuationis, ſubindeque
diſtinctionis numericæ ipſius albedinis; ſicut ordo ad parie-
m A, tanquam ad connaturale ſubjectum eſt cauſa & ratio
indivi-

individuationis & diſtinctionis numericæ eiuſdem albedinis; atqui dato quod ponat Deus de potentia ſua abſoluta albedinem parietis B. in pariete A. adhuc manet in ea ordo ad parietem B. tanquam ad connaturale ſubjectum: ergo & adhuc manet ratio & cauſa diſtinctionis numericæ utriuſque albedinis.

Probatur Minor: quod comitatur inſeparabiliter albedinem manentem divinitus ſeparatam ab omni ſubjecto, illam haud dubiè comitari debet in quocumque repoſitam ſubjecto: ſed ſeparans Deus albedinem vel aliquod aliud ſeparabile accidens ab omni ſubjecto; illud tunc adhuc retinet ordinem ad ſuum connaturale ſubjectum, à quo ſeparatum eſſe miraculum eſt: ergo & adhuc præfatum ordinem retinere debet, in quocumque reponatur ſubjecto: ergo & adhuc retinet cauſam numericæ diſtinctionis ab alio accidente, licet in ejus reponatur ſubjecto: ergo & poſſunt divinitus duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem numero ſubjecto reperiri divinitus.

Dices contra primum reſponſum, magis pendet materia ſubſtantialis à forma ſubſtantiali, quam accidens à ſubjecto; cum in doctrina Thomiſtarum exiſtere nequeat etiam divinitus ſine forma, cum tamen divinitùs eſſe poſſit accidens abſque ſubjecto: ſed poteſt una materia naturaliter eſſe modo ſub una forma, modo ſub aliâ, ut patet; ergo idem ſimiliter dicendum de accidente reſpectu ſubjectorum.

Nota. *Reſpondeo* diſtinguendo majorem: magis pendet materia à forma ſubſtantiali, quam accidens à ſubjecto, loquendo quantum ad ſpeciem Concedo: loquendo quantùm ad hoc vel illud individuum formæ vel ſubjecti, Nego, quod magis pendeat ab hac determinata forma quam accidens ab hoc determinato ſubjecto; quin imò ipſa forma ab ipſa pendet materia, ut probavimus ſupra. Neque inconvenit quod aliquid magis pendeat ab aliquo quantum ad ſpeciem, & minus pendeat quantùm ad eſſe individuale & in individuo: ſunt enim diſtinctæ leges etiam in una eademque entitate de potentia ſpecifica, & numerica ſive individuali, ut patet in exemplis ſequentibus; multæ namque ſunt qualitates quæ ſpecificantur ab objectis magis eſſentialiter, & quæ magis formaliter reſpiciunt objectum quam cauſam effectivam; & nihilominus poſſunt exiſtere nullo exiſtente objecto, nec tamen exiſtere poſſunt nulla exiſtente causâ effectivà, nam ad minus debet prima cauſa exiſtere: ſic ſimiliter actiones non minus ſpecificantur ab objectis quam à principiis, & tamen ſolent exiſtere

natu-

uraliter nullo exiſtente objecto ſpecificante,licet nequeant am divinitus exiſtere abſque unico à quo egrediuntur ncipio.Non ergo multum urget adducta paritas, quam et- n retorqueo alterâ paritate multo urgentiori, quæque ma- eſt apta ad rem præſentem,dicendo ſcilicet,quod non po- t naturaliter forma ſubſtantialis tranſire & migrare de ateria in materiam? Ergo multo minus poteſt naturaliter grare accidens de ſubjecto in ſubjectum.

Dices ſecundo,contra ſecundum reſponſum,quod eſt princi- le in præſenti caſu,& principaliter reſolutorium. Ideo indi- duatur accidens per ordinem ad ſubjectum, quia eſt eſſen- liter & tranſcendentaliter ad illud relativum: ſed non pro- t hæc ratio quod debeat propterea per ordinem ad ſubje- um individuari: ergo non individuatur accidens per talem dinem. *Probatur Minor*, virtus intellectiva & volitiva non inus relativæ ſunt ad objecta puta ad verum & bonum, iam ad ſubjectum: ſed non propterea individuantur per ordi- m ad objecta: ergo quod ſit accidens tranſcendentaliter lativum ad ſubjectum, non propterea probat,quod debeat r ordinem ad illud individuari. *Probatur Minor*:quæ una & dem individuatione individuantur, non poſſunt alia indivi- ualiter diſtinguere nec conſequenter individuare;ſed objecta rtutis intellectivæ & volitivæ, puta verum & bonum unâ & dem individuatione individuantur, cum ſint entitativè & àliter unum & idem: ergo non poſſunt virtutem intellecti- am & volitivam individualiter diſtinguere, ut de facto di- inguuntur,nec conſequenter eas individuare.

Reſpondeo negando minorem, cuius falſitas abundè patet dictis,& ulterius oſtendi poteſt ex ratione, quâ utitur D. hómas:ſi namque ſubſtantia quia habet eſſe ad ſe;& non ad liud, neque conſtituitur in ſuo eſſe per ordinem ad aliquod ccidens,fit quod ejus unitas, ejuſque individuatio ſumi ne- ueat ex ordine ad accidens,numquid è contra philoſophandũ ſt de accidente, & dicendum quod cum habeat eſſe in ordine d aliud,debet conſequenter & ejus unitas, ejuſque individua- io ſumi ex ordine ad aliud. Unde ad probationem diſtinguo najorem ſic:virtus intellectiva & volitiva non minus relativæ int ad objecta quam ad ſubjecta, loquendo de virtute intel- ctiva & volitivâ ut ſpecificandis,ſeu ſpecificabilibus,Conce- o;loquendo de illis ut individuandis,Nego;& conceſſa mino- nego conſequentiam. Pro quo dico quod cum unitas indi- idualis ſit veluti materialis comparativè ad ſpecificam quæ

eſt

eſt formalis; conſequenter fit non ex quocumque ordine ad aliud debere vel poſſe accidens unitatem accipere individualem, ſed ſolum ex ordine ad aliud, quod habet ſe ut materialis cauſa: unde cum præfatæ virtutes ſubjecta reſpiciant ut cauſam materialem, ſua verò reſpiciant objecta, ut cauſam formalem & ſpecificantem, ideo fit, quod quamvis & ad objectum & ad ſubjectum ſint relativæ, ab iſto tamen, & non ab illo debeant unitatem accipere individualem.

Dices tertiò, contra tertiam reſponſionem: ideo poſſunt duo accidentia diſtincta ſolo numero eſſe divinitus in eodem numero ſubjecto, quia poteſt Deus albedinem parietis B, reponere in pariete C, ſimiliter albo, retenta eadem numericâ unitate; ſed hoc eſt impoſſibile; ergo & illud. *Probatur Minor*; in tantum retinetur in præfato caſu eadem numerica unitas, in quantum manet ſemper *hæc* albedo: ſed ſi reponatur in alio numero ſubjecto, non amplius manet hæc albedo: ergo impoſſibile eſt quod reponatur albedo parietis A, in alio pariete albo retentâ eadem numerica unitate. *Probatur Minor*, albedo dicitur & eſt *hæc*, per hoc & hocipſo quod eſt *hujus* ſubjecti; ſed in præfato caſu nō eſt amplius albedo hujus ſubjecti, putà parietis A, ſed alterius putà parietis B, in quo eſt: ergo ſi reponatur in alio ſubject non amplius manet hæc albedo.

Reſpondeo negando minorem primi & ſecundi argumenti: ad tertium autem diſtinguo majorem; albedo dicitur & eſt *hæc*, per hoc & hoc ipſo, quod eſt *hujus* ſubjecti per connaturalem illius exigentiam, Concedo, per hoc quod eſt hujus ſubjecti quomodocumque, ſive per manutenentiam divinam, Nego; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. *Nota*, Non ergo dicitur & conſtituitur accidens *hoc*, in quantum ly *hoc* unitatem exprimit & importat individualem, per eſſe hujus ſubjecti quomodocumque, ſed per eſſe hujus ſubjecti quod connaturaliter exigit, cujus quidem ratio eſt & afferri poteſt duplex Primò quia in tantum accidens eſt hoc numericè, in quantum eſt determinatum, & determinatè tale, quam quidem determinationem non habet, niſi ex ſubjecto, ex quo connaturaliter dimanet; cum illam habeat ex vi hujus principii ſive axiomatis, putà quod ex determinato ſubjecto, ſive ex determinata natura oriuntur determinata accidentia. Secundò hoc idem oſtenditur ex eo quod illud, quod accidens conſtituit *hoc*, debet in omni priori ei competere & convenire, alias in aliquo priori eſſet *hoc* accidens ſine eo quo in eſſe *hujus* conſtitueretur; jam ſic eſt, quod exigentia connaturalis

ſubie-

jecti convenit accidenti in omni priori, non autem inhæ-
tia vel ordo ad aliquod aliud ſubjectum; cum id quod con-
turaliter & ex intrancis competit, prius ſemper intelliga-
r convenire, quam id quod ab extrinſeco convenit: non
go dicitur vel conſtituitur accidens hoc numericè per
e hujus ſubiecti quomodocumque, ſed per eſſe hujus ſub-
cti quod connaturaliter exigit; unde cum in præfato caſu
beret ſemper albedo, quod eſſet albedo parietis A, per con-
turalem exigentiam, quantumvis eſſet in pariete B. per mi-
culum, conſequenter fit quod adhuc in præfato caſu retine-
t unitatem ſuam numericam; ac proinde & quod poſſit cum
ia albedine numericè tantum diſtincta in eodem numero
bjecto divinitus reperiri.

Quia vero ſunt Thomiſtæ quam plures, qui ægrè nec
m facilè huic acquieſcunt, placet hoc idem confirmare
ico ſyllogiſmo, ſed cujus major & minor communiter re-
pitur apud Thomiſtas: argumentor ergo ſic. In eodem cor-
ore Chriſti Domini in Euchariſtia ſunt multæ reales præ-
ntiæ ad multas ſpecies Sacramentales: ſed præſentiæ illæ
ures ſolo numero diſtinguuntur, ſicut ſpecies ipſæ panis
lo numero diſtinguuntur in diverſis Hoſtiis: ergo plura
cidentia ſolo diſtincta numero poſſunt divinitus in eodem
umero ſubjecto reperiri, ratione ſcilicet ſolius ſervati ordi-
is ad plura. *Nota.*

QUÆSTIO VI.

De Ente creato ſpirituali, ſive Angelico ſecundum ſubſtantiam.

Vtrum natura Angelica multiplicari poſſit in plura individua intra eandem ſpeciem.

Præmittendum primò, ens creatum ſpirituale dividi in
completum & incompletum: incompletum illud dicitur,
uod ex natura ſua eſt pars totius conſtitutiva, ut anima ra-
onalis; completum verò èontra. Hic autem agitur
de

de ente incorporeo ſubſtantiali completo, ſeu de ſubſtantiis immaterialibus; cujuſmodi ab antiquis vocantur *intelligentiæ*; tum *ſubſtantiæ ſeparatæ*; nos vero vulgo appellamus *Angelos* id eſt nuncios & miniſtros Dei, quibus varia imponit munera ad procurandum bonum univerſi; Angelus namque eſt potius nomen officii quam naturæ. Eſſe autem poſſibiles hujuſmodi ſubſtantias ſpirituales ſeparatas, ſive Angelos ex eo evidenter colligitur, quod creata eſſentia quo concipitur magis ſimplex, eò etiam magis eſt Deo ſimilis, qui ſimpliciſſimus eſt, magiſque imitatur eius perfectionem: ergo rationem habet magis oppoſitam nihilo; Ergo & minus impoſſibilis eſt, quam quæ involvit compoſitionem. Imò cum neceſſaria ſit conſequentia ab actu ad potentiam, certum eſt poſſibiles eſſe Angelos, cum certum ſit, eos actu exiſtere. Probatur namque exiſtentia hujuſmodi ſubſtantiarum ſpiritualium ab experientia, petita ſcilicet ex energumenis. Nam ad ſenſum patet, ea præſtare quæ vires humanas penitus excedunt: nempe ignotâ linguâ loqui, cujus omnino imperiti ſint illi homines arreptitii. Item quæ procul diſtant & tenentur occulta, ea patefacere. Tum robur exercere ſupra ætatem, & præter aliorum hominum conſuetudinem; ut alia id genus prætermittam quæ viribus humanis fieri nullo modo poſſunt. Nec merito illa refunderentur certos in morbos: Qua enim vi morbi panderentur occulta, aut intelligerentur peregrina idiomata? item neque ut dixere alii, poſſunt hæc referri ad ſeparatas animas, quæ dicantur tunc ſubire in hominum ejuſmodi corpora: Cum animæ illæ in ſtatu ſeparationis non ſint virtutis præſtantioris quam ubi corpora informant, nec plura poſſint in alieno corpore quam in proprio. Demùm nec effectus illi præternaturales Deo ut cauſæ particulari attribuendi ſunt, ut volunt aliqui; cum ſæpè mentiantur & blaſphement energumeni; quæ in Deum cadere non poſſunt.

Eſſe autem hujuſmodi Angelos de facto immateriales & incorporeos, ita fert modo communis Doctorum & totius Eccleſiæ conſenſus, ut videatur eſſe doctrina fidei proxima; ſitque eius definitio ferè manifeſta; cum ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. habeatur, Deum ab initio temporis ſimul utramque condidiſſe naturam, *ſpiritualem & Corpoream, Angelicam videlicet & mundanam*: hoc autem ex eo à poſteriori colligitur, quia dæmones penetrant corpora, ubi varias in mundi partes deferuntur. Item ſimul poſſunt plures exiſtere eodem in loco, & eodem in corpore; quo modo legimus

us *Luc.*8.extitiſſe in uno homine legionem Dæmonum,hoc
ngentem multitudinem:ergo neceſſe eſt, ut non ſint cor-
ci;nam corpora ſimul penetrativè non poſſunt naturaliter
tere : Quod autem non raro SS. Patres cum Platonicis
lant Angelos eſſe quædam animalia rationalia immorta-
c proinde eſſe corporeos, reſpondetur olim quidem gra-
mam extitiſſe inter SS.Patres eâ de re controverſiam:at ſo-
eſt tandem, vicitque Eccleſiæ ac Doctorum communis
ſenſus.Hoc ergo ſuppoſito, jam quod in præſenti inquiri-
eſt utrum ſint aut poſſint eſſe Angeli intra eandem ſpe-
n numero multi;an verò ſit hoc omnino impoſſibile, ex
cilicet quod ſola materia, qua quidem carent Angeli ut-
e incorporei, videatur eſſe principium multiplicationis nu-
icæ,juxta illud Ariſtotelis 12. *Metaph.c.*8.*text.* 49. *Quæ-*
que numero ſunt multa,ea materiam habent.

ræmittendum 2. pro declaratione principiorum ad quæ
cluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud
nes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii
ectu concluſionis inferendæ,putà quod *Angelus quia ma-*
*a caret habet eſſe ſpecificum irreceptum:*quod *Angelus quia*
eria caret & eo quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma; quod
elus quia materia caret, eſt ſub ratione naturæ omnino ſim-
*& incompoſitus.*Ratio autem primi eſt quia cum eſſe ſpe-
cum habeatur per formam ſive per actum, de qua propte-
dici ſolet,quod forma eſt quæ dat eſſe rei, in tantum per
ſequens ipſum eſſe ſpecificum poteſt eſſe receptum, in
ntum forma cujus eſt formalis effectus,habet eſſe recepta;
ſic eſt quod Angelus quia materia caret, non habet nec
ere poteſt formam ſeu actualitatem quam importat, aut
ius in qua conſiſtit, in aliquo receptam,cum receptivum
næ non ſit aliud quàm materia : veriſſimum ergo eſt pri-
m illud,quod ſcilicet Angelus quia materia caret habet eſſe
ificum irreceptum.

ecundum verò,putà quod Angelus quia materia caret, ca-
& eo quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma,ex ſe patet,nec
uci poteſt quid evidentius quo clarius pateat,cum id quod
eſt formæ non aliud ſit quam materia; quæ ſcilicet actua-
& informatur per formam, quæque cum nullam habeat
nam ſibi cœnam,utpote pura potentia, poteſt per conſe-
ens eſſe indifferenter ſub hac vel illa forma : ergo quia An-
us caret materia,caret & eo quod eſſe poteſt ſub hac vel illa
ma.

Quantum verò ad tertium, quod ſcilicet Angelus quia materia caret, eſt etiam ſub ratione naturæ omnino ſimplex & incompoſitus, ratio hujus eſt, quia cum ex una parte omnis compoſitio ſit ex actu & potentia, & ex altera compoſitio naturæ ſub ratione naturæ non ſit nec eſſe poſſit, niſi ex eſſentialibus, ſeu ex partibus quæ ſint de eſſentia, conſequenter fit quod omnis natura quæ compoſita eſt ſub ratione naturæ conſtare debeat ex aliquo quod ſit eſſentialiter potentia, & ex aliquo quod ſit eſſentialiter actus: jam ſic eſt quod Angelus quia caret materia, non poteſt conſtari ex aliquo quod ſit eſſentialiter potentia; cum potentia quæ eſſentialiter talis eſt, non aliud ſit quam materia, cum ut talis condiſtincta ſit contra actum, ſitque per conſequens pura potentia, in quo ipſa conſiſtit materia: ergo receptiſſimum eſt, & veriſſimum illud tertium, puta quod Angelus quia materia caret, eſt etiam ſub ratione naturæ omnino ſimplex & incompoſitus. His ergo tribus ſuppoſitis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione, & concluſionis ad eadem principia reductione ſit

CONCLUSIO: *Natura Angelica, quia materia caret, non poteſt intra eandem ſpeciem numericè multiplicari.*

Probatur 1. ex primo præmiſſo principio: *Angelus quia materia caret habet eſſe ſpecificum omnino irreceptum*; Ergo quia materia caret non poteſt intra eandem ſpeciem numericè multiplicari. *Probatur conſequentia*, omne eſſe irreceptum eſt immultiplicabile: ergo hoc ipſo quod Angelus, quia materia caret, habet eſſe ſpecificum omnino irreceptum, non poteſt hoc ipſo intra eandem ſpeciem multiplicari. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*, omne ens multiplicatum eſt etiam hoc ipſo quod tale habitum modo limitato: ſed nullum eſſe irreceptum poteſt qua tale eſſe habitum modo limitato: ergo nullum eſſe irreceptum eſt ſecundum quod tale multiplicabile. *Major* eſt evidens; cum enim illimitatum ens dicatur tale per hoc quod in ſe adunat & congregat omnia, ſequitur per conſequens ex ratione oppoſitorum, quod hoc ipſo quod in ſe non adunat omnia ſed potius diſperſum eſt & multiplicatum in pluribus, debet eſſe hoc ipſo limitatum ens, & limitato modo habitum. *Probatur Minor*, eſſe habitum limitato modo eſt eſſe habitum ſecundum partem, & ſecundum partem relictum, ſubindeque & participatum: ſed nullum eſſe irreceptum poteſt ita eſſe participatum: ergo nullum eſſe irreceptum poteſt eſſe habitum modo limitato. *Major* patet ex terminis. *Probatur*

atur Minor, non datur eſſe participatum quin detur hoc ipſo liud quod ſit participans; cum participans ſit correlativum d participatum, ut per ſe patet: ſed eſſe irreceptum excludit a- ud quod ſit participans; alias cum in eo reciperetur fieret eſſe ceptum & habitum: ergo nullum eſſe irreceptum eſſe poteſt a participatum: ergo nullum eſſe irreceptum poteſt eſſe ha- tum modo limitato: ergo nullum eſſe irreceptum poteſt b tali ratione eſſe multiplicabile; Ergo hoc ipſo quod Ange- s, quia materia carens habet eſſe ſpecificum omnino irre- ptum, [quod eſt primum præmiſſum principium] non po- ſt, quia materia carens, intra eandem ſpeciem numericè mul- plicari.

Probatur ſecundò, ex ſecundo præmiſſo principio: *Angelus in materia carens, caret & eo quod eſſe poteſt ſub hac vel illa rma:* Ergo quia materia caret non poteſt intra eandem ſpe- m numericè multiplicari. *Probatur Conſequentia*, non aliud poteſt principium multiplicationis intra eandem ſpeciem, am id quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma: Ergo hoc o quod eo caret Angelus, nec poteſt hoc ipſo intra eandem ciem numericè multiplicari. *Conſequentia* eſt evidens. *Pro- ur antecedens*, principium multiplicationis intra eandem ciem debet eſſe aliquid ſpeciei: ſed nihil ſpeciei eſſe poteſt ncipium hujus multiplicationis, præter id quod eſſe poteſt hac vel illa forma: ergo non aliud eſſe poteſt principium ltiplicationis intra eandem ſpeciem, quam id quod eſſe po- ſub hac vel illa forma. *Major* eſt certiſſima, non enim po- ſpecies intrinſecè atque entitativè multiplicari per aliquid extraneum & extrinſecum. *Probatur Minor*, in qua ſita eſt icultas. Illud de quo verificatur, quod ſit talis ſpeciei, non d eſt quam id, quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma: ſed l ſpeciei eſſe poteſt principium præfatæ multiplicationis, ter id de quo verificatur quod ſit talis ſpeciei: ergo nihil iei eſſe poteſt præfatæ multiplicationis principium, præter uod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma. *Major* eſt evidens; id n de quo verificatur quod ſit talis ſpeciei, eſt illud idem d determinatur ad tale eſſe ſpecificum, ſubindeq; & eſt il- dem quod de ſe indifferens eſt ad eſſe talis ſpeciei, quod lem non eſt aliud quam id quod eſſe poteſt ſub hac illa forma. *Probatur Minor*: quidquid eſt ſpeciei, eſt quia eſt ipſa ſpecies, vel quia facit eſſe talis ſpe- , vel quia ſit talis ſpeciei; ſed præfatæ multipli- onis principium eſſe non poteſt ipſa ſpecies; cum

 ſpe-

ſpecies ſi id *quod* multiplicatur, ipſum vero principium non tam ſit id *quod* multiplicatur, quam id *quo* ipſa multiplicatur ſpecies, ut ex terminis patet: nec etiam præfatæ multiplicationis principium eſſe poteſt id quod facit eſſe talis ſpeciei, cum tale quid utpote conſtituens ſpecificè, ſit etiam ſpecificè diſtinguens, ac proinde eſſe non poſſit principium Numericæ ſolum diſtinctionis: ergo nihil ſpeciei eſſe poteſt principium multiplicationis intra eandem ſpeciem, præter id de quo verificatur quod ſit talis ſpeciei: ergo nihil eſſe poteſt principium præfatæ multiplicationis præter id quod indifferens eſt ad eſſe talis vel talis ſpeciei: ergo nihil eſſe poteſt præfatæ multiplicationis principium, præter id quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma: ergo hoc ipſo quod Angelus, quia materia carens caret & eo quod eſſe poteſt ſub hac vel illa forma, hoc ipſo etiam caret principio præfatæ multiplicationis, ſeu multiplicationis numericæ intra eamdem ſpeciem.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio: *Angelus quia materia caret eſt omnino ſimplex & incompoſitus ſub ratione naturæ*: ergo quia materia caret eſt immultiplicabilis intra eandem ſpeciem. *Probatur conſequentia:* hoc ipſo quod Angelus eſt per idem principium & Angelus & hic Angelus, eſt hoc ipſo immultiplicabilis intra eandem ſpeciem: ſed hoc ipſo quod eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex, per idemmet principium per quod conſtituitur Angelus, conſtituitur hic Angelus: ergo hoc ipſo quod eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex eſt immultiplicabilis intra eandem ſpeciem. *Major* eſt certa, ſiquidem hoc ipſo quod per idemmet principium conſtituitur Angelus & hic Angelus, non poteſt multiplicari numericè, quin diſtinguatur & multiplicetur ſpecificè, cum principiũ tunc numericè diſtinguens, ſit etiam diſtinguens, & conſtituens ſpecificè. *Prob Minor*: quod eſt Angelus & hic Angelus ſecundũ quod eſt ſimplex, eſt per idem principium & Angelus & hic Angelus; cum in ente ſimplici ſecundum quod eſt tale non ſit aſſignabile aliud & aliud: ſed hoc ipſo quod eſt Angelus ſub ratione naturæ omnino ſimplex, eſt Angelus & hic Angelus ſecundum quod eſt ſimplex; ergo & hoc ipſo quod eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex, eſt per idem principium & Angelus & hic Angelus *Probatur Minor*: natura quævis Angelica eſt ſub ratione naturæ & Angelus, & hic Angelus, ſeu ſingularis; cum ſecluſo omni eo quod non eſt de ratione naturæ, ſit adhuc aſſumptibilis à perſona divina, quod fieri non poſſet ſi non eſſet ut talis ſingularis ſive hic Angelus ut per ſe patet: ergo

ergo hoc ipſo quod Angelus eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex, eſt ſecundum quod eſt ſimplex & Angelus & hic Angelus: ergo hoc ipſo quod Angelus eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex, per idemmet principium conſtituitur & Angelus, & hic Angelus: ergo hoc ipſo quod Angelus eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex multiplicari nequit numericè ſeu ut hic Angelus, quin multiplicetur ſpecificè, ſive ut Angelus: ergo hoc ipſo quod Angelus quia carens materiâ eſt ſub ratione naturæ omnino ſimplex [quod eſt tertium præmiſſum principium] eſt hoc ipſo immultiplicabilis intra eandem ſpeciem.

Solvuntur objectiones.

Videantur alia concluſionis fundamenta in ſolutionibus objectorum.

Objicies 1. ſi eſſet Angelus immultiplicabilis intra eamdem ſpeciem, idem foret dicendum de anima rationali: ſed in anima rationali hoc reperitur falſum; alias non differrent homines ſolo numero: ergo & ſimiliter falſum eſt in natura angelica. *Probatur ſequela Majoris.* Ideo dicitur Angelus immultiplicabilis intra eamdem ſpeciem, ſive ſolum individualiter, quia non pendet a materia in ſui individuatione; ſed neque rationalis anima pendere poteſt à materia in ſui individuatione: ergo idem, quantum ad hoc, dicendum foret de anima rationali, quod de Angelo. *Major* colligitur ex dictis ſupra, ubi ſcilicet toties dictum fuit, quod quia Angelus materia caret, ideo eſt immultiplicabilis. *Probatur minor*: pari modo philoſophandum eſt de individuatione, ſeu unitate individuali quantum ad dependentiam, ac de entitate in qua fundatur, cum unitas nihil addat poſitivum ſupra entitatem, ſed ſit ipſamet entitas: atqui rationalis anima pendere non poteſt a materia quantum ad eſſe ſeu entitatem; alias penderet ab ea in fieri, & ſic educeretur, non autem fieret per creationem, quod eſt contra fidem, aut certè parum in fide tutum: ergo neque rationalis anima pendere poteſt à materia in ſui individuatione.

Respondeo negando ſequelam majoris: ut enim profundè diſcurrit D. Thomas 1, *part. quæſt. 76. art 2 ad primum*: *licet*, inquit, *anima intellectiva non habeat materiam ex qua ſit, ſicut nec Angeli, tamen eſt forma materiæ alicujus, quod Angelo non convenit; & ideo ſecundum diviſionem materiæ ſunt multæ animæ unius ſpeciei; multi autem Angeli unius ſpeciei omnino eſſe non poſſunt.* Hæc D. Thomas, ex quibus argumentor ſic: hoc

Nota. ipſo quod ex animabus rationalibus una eſt forma hujus materiæ, & altera forma illius, habent hoc ipſo numericè ſolum differre & intra eandem ſpeciem multiplicari, cum ut patet, reducatur tunc eorum differentia ad duo numericè tantum differentia, putà ad hanc & illam materiam: jam ſic eſt quod hoc habet anima rationalis, nec tamen hoc habet Angelus: ergo quamvis nec anima nec Angelus ſint ex materia, a qua petatur numerica multiplicatio, poſſunt hoc non obſtante multiplicari numericè & intra eamdem ſpeciem animæ rationales, abſque eo quod non ſit idem dicendum de Angelis. Unde ad probationem nego majorem, ſi nimirum ſumatur ut de facto ſumit arguens, ly *dependere* propriè & in rigore termini. Non enim ideo eſt ita immultiplicabilis Angelus individualiter, quia non pendet à materia in ſui individuatione; cum ut bene probat argumentum neque etiam rationalis anima ab ea in hoc pendere poſſit, ſed ideo eſt immultiplicabilis Angelus; quia non eſt ejus individuatio connexa cum materia; in quo quidem differt ab anima rationali, quæ licet dependens non ſit a materia in ſua unitate individuali, ſicut nec in ſua entitate, utpote quæ eſt elevata ſupra materiam, eſt tamen hæc anima rationalis connexa cum materia in ſua individuatione, in quantum eſt hæc individualiter prout eſt forma hujus materiæ: ac proinde quamvis non ſit anima rationalis dependens à materia in ſua individuali unitate, ſicut nec Angelus; adhuc tamen habetur ex quo peti poſſit multiplicatio numerica animarum, non Angelorum, ratione ſcilicet connexionis quam habent animæ in ſui individuatione cum materia numericè diviſibili, & quam habere non poteſt Angelus, ex eo ſcilicet quod ex propria natura eſt ſubſtantia ſpiritualis completa.

Nota.

Inſtabis: non minus excludit anima rationalis in unitate ſua individuali connexionem cum materia, quam dependentiam à materia: ergo non minus eſſe deberet immultiplicabilis intra eandem ſpeciem, quam ipſe Angelus. *Probatur antecedens*: elevatio alicujus entis ſuper aliud non minus excludit connexionem cum illo, quam dependentiam ab illo: ſed unitas individualis animæ rationalis ſuum habet eſſe elevatum ſupra materiam, ut probatum fuit in ſuperiori argumento: ergo minus excludit connexionem cum materia, quam dependentiam à materia.

Reſpondeo negando antecedens, Pro quo placet afferre locum unum ex D. Thoma, in quo apertè inſinuatur connexio animæ cum materia quantum ad unitatem individualem;

&

& ibidem expreſſis terminis omni excluditur dependentia. Sic ergo diſcurrit D. Thom. *lib 2. contra gent. cap. 81. ſi igitur eſſe formæ dependet à materia, multiplicatio ipſius à materia dependet, & ſimiliter unitas: ſi autem eſſe formæ à materia non dependet, erit quidem neceſſarium multiplicari formam ſecundum multiplicationem materiæ [id eſt ſimul cum materia] & proportionem ipſius non autem ita, quod dependeat unitas vel multitudo ipſius formæ à materia : oſtenſum eſt autem quod anima humana eſt forma ſecundum ſuum eſſe à materia non dependens; unde ſequitur quod multiplicentur quidem animæ ſecundum quod multiplicantur corpora, non tamen multiplicatio corporum erit cauſa multiplicationis animarum.* Hæc D. Thomas, ex quibus arguo ſic. Non poteſt verificari, quod neceſſarium ſit multiplicari animas ſecundum multiplicationem materiæ, ſive ſimul cum materia, quin ſit connexio quædam ſive neceſſitudo inter ejus unitatem & multiplicitatem individualem cum ipſa materia, ut per ſe patet: ſed hoc verificatur ex D. Thoma, ſeclusâ omni à materia dependentia ; ergo ex D. Thoma ſalvatur connexio inter individuationem animæ rationalis cum materia, omni ſecluſa dependentia. Unde ad probationem nego majorem, cujus quidem falſitas patet & exemplo & ratione : divina namque omnipotentia eſt omnino elevata ſuper eſſe poſſibile creaturarum & omnino independens; item prius ſecundum quod tale eſt etiam elevatum ſuper poſterius & ab eo independens; tum etiam cauſa reduplicativè ut cauſa elevata eſt ſuper effectum , nec ab eo dependens; & nihilominus Dei omnipotentia connexa dicitur cum eſſe poſſibili creaturarum , & prius cum poſteriori , & cauſa cum effectu : non ergo elevatio entis ſuper aliud, nec conſequenter animæ ſuper materiam excludit connexionem quamvis excludat dependentiam. *Nota.*

Ratio autem hujus doctrinæ , quam quidem multum notandam velim pro multis ſolvendis difficultatibus , hujus, inquam , ratio eſt quia ad connexionem unius cum alio, ſufficit, quod tale quid, quod ſolum dicitur connexum , terminet dependentiam, ordinem, & habitudinem alterius ad illud ; cum terminus haud dubiè connexus ſit cum eo quod terminat, utpote qui eſt alicujus terminus; unde cum non repugnet, immò omnino congruum ſit & conſonum naturæ rerum , quod id quod eſt ſuper aliud elevatum, ejus terminet dependentiam, ordinem & habitudinem, conſequenter ſit, quod non repugnet quod anima humana quantumvis indepēdens & elevata ſuper conditiones materiæ , adhuc connexa ſit cum ipſa materia, *Nota.*

adeo ut ad multiplicationem materiæ ſive corporum multiplicari debeant & ipſæ animæ, atque numericè diſtingui. Unde dicendum reſtat quoad individuationem animæ humanæ, ipſam individuari ex ſe ipſa, ſed ut connexa cum materia, id eſt ut terminante habitudinem & ordinem materiæ ad ipſam, non vero ex ordine vel habitudine, vel dependentia à materia, neque ex cauſalitate materiæ quam materia exerceat circa animam. Ex quo ulterius infero ego, quod aliud eſt dicere ordinem, habitudinem, & dependentiam; & aliud dicere connexionem; unde & ſoleo dicere, cauſam reduplicativè ut cauſam non dicere ordinem neque habitudinem, neque dependentiam ab effectu, ut poſteriori reduplicativè ut tali, ſed ſolum connexionem.

Vrgebis: anima rationalis intelligitur ſingularis & individua, etiam priuſquam intelligatur connexa cum materia: ergo ruit tota noſtra doctrina. *Probatur antecedens*: in tantum anima intelligitur connecti cum materia, in quantum intelligitur potens uniri materiæ, & potens materiam actuare: ſed intelligitur anima ſingularis & individua, priuſquam intelligatur ut potens uniri materiæ: ergo prius intelligitur ſingularis & individua, quam intelligatur connexa cum materia. *Probatur Minor*: priuſquam intelligatur anima potens uniri, intelligitur potens creari, & potens exiſtere; ſed ſingularia ſunt, quæ poſſunt creari & poſſunt exiſtere: ergo prius intelligitur anima ſingularis, quam intelligatur potens uniri. *Minor* eſt evidens.

Nota. *Probatur Major*: eumdem ſervant ordinem potentiæ inter ſe, quem ſervant earum actus inter ſeipſos: atqui prius intelligitur in anima exiſtentia & terminatio creationis, quam unio: ergo & prius intelligitur in eadem anima potentia correſpondens exiſtentiæ & creationi, ſive potens exiſtere & potens creari, quam potentia correſpondens unioni, ſive potens uniri.

Reſpondeo negando antecedens; cum enim ſingularitas, ſeu individuatio animæ rationalis, non ſit ſingularitas & individuatio utcumque, ſed ſingularitas & individuatio quæ ſit intra eandem ſpeciem multiplicabilis, propterea fit, quod cum ſine connexione cum materia haberi nequeat talis individuatio, ut fuſè ſupra oſtendimus, nec etiam intelligi poſſit in anima hujuſmodi ſingularitas & individuatio, priuſquam intelligatur in ea connexio cum materia. Unde ad probationem nego minorem: Ad tertium vero nego majorem, cujus quidem falſitatis ratio eſt, quia non poteſt anima intelligi potens creari, vel potens exi-

exiſtere, niſi ad modum actus corporis phyſici organici; cum ſit hoc de ejus definitione, ſive niſi ut ſubſtantia incompleta & partialis, cum per hoc eſſentialiter diſtinguatur ab Angelo qui eſt ſubſtantia & forma completa, ſubindeque & ſit hoc ei eſſentiale: Jam ſic eſt quod anima hoc ipſo quod intelligitur ut actus corporis, & ut ſubſtantia incompleta & partialis, hoc ipſo intelligitur ut materiæ unibilis, ut per ſe patet; ergo in eo priori quo ante actualem unionem intelligitur anima ſingularis, quia intelligitur potens creari & potens exiſtere, intelligitur etiam in eo priori unibilis ſeu potens uniri.

Unde ad ultimum reſpondeo, dictum illud, quod ſcilicet eundem ſervant potentiæ ordinem inter ſe, quem ſervant inter ſe eorum actus, verificari quidem, quando terminus unius potentiæ non explicat, quo intelligatur & exprimatur potentia altera; & ita ſicut prior eſt intellectio quam volitio, ita & prior eſt potentia intellectiva quam volitiva, quia ly *potens intelligere* non explicat reduplicativè ut tale, ex quo intelligatur & exprimatur ly *poſſe velle*: at in præſenti non ita accidit, ſiquidem loquendo, ut loquimur, de anima, terminus potentiæ ad creari & ad exiſtere, talis eſt naturæ, ut ſimul explicet, ex quo intelligatur potentia ad actum alterum, ſeu ad uniri; cum terminus ille ex proprio & definitivo conceptu explicet actum corporis phyſici organici, & dicat explicitè eſſe ſubſtantiam incompletam & partialem, quo quidem & in quo conceptu exprimitur & intelligitur unibilitas, ſeu potentia ad uniri: ergo hoc non obſtante communi dicto, adhuc verificatur de anima rationali, non prius intelligi potentem creari aut exiſtere, nec conſequenter ſingularem, quam intelligatur potens uniri, & conſequenter ut habentem connexionem cum materia.

Objicies ſecundò, Si eſſet Angelus immultiplicabilis intra eandem ſpeciem, idem ſimiliter dicendum eſſet de ente materiali, verbi gratia de homine: ſed falſum eſt conſequens: ergo & antecedens. *Probatur ſequela majoris*, ideo dicitur Angelus immultiplicabilis intra eandem ſpeciem, quia per idemmet eſt Angelus & hic Angelus; ſed etiam homo verbi gratia per idemmet eſt homo & hic homo: ergo ſi eſſet Angelus intra eandem ſpeciem immultiplicabilis, idem dicendum foret de homine. *Major* conſtat ex dictis ſupra in tertia probatione. *Probatur Minor*: homo per idem eſt homo & hic homo, ſi idem quod eſt hic homo ſit homo: ſed idem quod eſt hic homo eſt homo; aliàs non eſſet vera hæc propoſitio, in qua præfata

importatur identitas; *Hic homo eſt homo*, ergo & homo per idemmet eſt homo & hic homo.

Reſpondeo Negando ſequelam majoris: ad probationem vero conceſſa majori, puta quod quia Angelus per idem eſt Angelus & hic Angelus, ſit immultiplicabilis intra eandem ſpeciem, ob rationem ſupra in tertia probatione expoſitam, nego minorem, puta quod etiam homo per idem ſit homo & hic homo. Cujus ratio eſt, quia cum homo ad differentiam Angeli compoſitus ſit in ratione naturæ, fieri poteſt, quod in conſtitutione illius ſub ratione naturæ, unum ex componentibus ſe habeat primò, principaliter, & radicaliter, & è contra in conſtitutione illius ſub ratione hujus naturæ, ſeu hujus hominis ſe habeat minus principaliter: Et de facto ita contingit; nam in conſtitutione hominis ſub ratione hominis concurrit primò & principaliter forma, adeo ut verum ſit dicere quod habeatur eſſe hominis per animam, ſive ex anima, licet non niſi cum materia; & è contra in conſtitutione hujus hominis concurrit, primo & principaliter ipſa materia, quamvis non niſi cum forma ſeu in quantum determinat formam, ut dictum fuit in quæſtione præcedenti; cumque non currat nec currere poſſit hæc ratio in Angelo, utpotè qui incompoſitus eſt ſub ratione naturæ, & hujus naturæ, adeoque nec habens aliud quod principaliter illum conſtituat in ratione naturæ, & aliud quod principaliter conſtituat in ratione hujus naturæ, conſequenter fit quod quamvis immultiplicabilis ſit Angelus intra eandem ſpeciem, eo quod per idem ſit Angelus & hic Angelus, non propterea idem ſit dicendum de homine, vel altero ente compoſito & materiali; neque urget quod additur in tertio argumento, puta quod idem quod eſt hic homo eſt etiam homo, hoc enim non impedit, quo minus unum ex componentibus poſſit ſe habere primo & principaliter in conſtituendo hominem ſub ratione hominis, & è contra aliud componens ſe habeat principaliter in eundem conſtituendo ſub ratione hujus hominis; adeoque quod idem ſit homo & hic homo, non propterea facit, quod per idem radicale & principale principium conſtituatur & homo & hic homo, ut fit in Angelo, in quo ſcilicet propter ſimplicitatem non eſt aliud & aliud aſſignabile principium, ſub ratione Angeli & hujus Angeli.

Nota. (margin, beside "mo. Cujus ratio eſt")

Nota. *Inſtabis:* Ideo ergo non eſt homo per idemmet principium & homo & hic homo, quia primo & principaliter eſt homo per formam, & principaliter ac radicaliter eſt per materiam hic

hic homo: ſed hoc nihil facit, aut certè nihil videtur facere pro multiplicabilitate hominis intra eandem ſpeciem: ergo neque facit ad immultiplicabilitatem Angeli, quod per idem prorſus principium ſit & Angelus & hic Angelus.

Reſpondeo, Negando Minorem: quod enim homo ſit principaliter homo per formam; & principaliter hic homo per materiam, inde fit quod differens homo ab alio homine per hoc quod eſt hic homo, non differat tunc per principium, cujus ſit proprium dare & tribuere eſſe ſpecificum, nec conſequenter per principium ſpecificè diſtinctivum, & ſic exinde ſequitur quod poſſit unus homo differre ab alio homine, abſque eo quod ſpecificè diſtinguatur, atque ita infertur inde diſtinctio & multiplicabilitas intra eandem ſpeciem. Neque urget quod addunt aliqui, quod etiam materia ſpectat ad naturam ſpecificam hominis, cum homo eſſentialiter conſtet ex materia & forma; ex quo ulterius inferunt, quod adhuc in præfata doctrina differens homo ratione materiæ, differret, hac non obſtante, ſpecificè, cum differret per aliquid ſpeciei. Non inquam hoc urget, ſiquidem ex eo quod homo primo & principaliter conſtituitur homo ſive ſpecificè per formam, & minus principaliter per materiam, inde fit quod ſit quidem materia aliquid ſpeciei, ſed per modum partis determinabilis, non autem per modum partis determinativæ ſpecificè, nec conſequenter ſpecificè diſtinctivæ. *Nota.*

Objicies tertiò, Si Angelus quia materia carens eſſet intra eandem ſpeciem immultiplicabilis, omne quod materia careret, eſſet etiam ſimiliter immultiplicabile: ſed hoc reperitur falſum: ergo & illud. *Probatur Minor:* accidentia ſpiritualia non minus materia carent quam Angelus: ſed talia accidentia intra eandem ſpeciem haud dubiè multiplicantur; gratia enim Petri non eſt ſpecie diverſa à gratia Pauli: ergo vera minor.

Reſpondeo Negando Minorem: ad cujus probationem nego majorem; cujus ratio eſt, quia quamvis accidentia ſpiritualia materia careant quantitativa, non tamen materia carent individuante, ſive quamvis materia careant, non tamen carent ſubjecto in hoc gerente vices materiæ: ſiquidem per hoc quod accidens unum ſpirituale eſt hujus ſubjecti & in hoc ſubjecto, & aliud in altero, habetur inde ſufficiens principium eorundem multiplicabilitatis, ſubindeque & multiplicabilitatis intra eandem ſpeciem, cum habeatur tunc principium diſtinctionis & multiplicitatis, non ex quidditate ſpecifica, ſed ex aliquo extraneo huic quidditati, ſcilicet ex ſubjecto:

cum

cum autem non habeat hæc ratio locum in Angelo, quin imo in eo currat oppoſita ratio, conſequenter fit, quod quamvis dicatur Angelus, quia materia caret intra eandem ſpeciem immultiplicabilis, non tamen idem ſequitur dicendum de accidente ſpirituali.

Inſtabis: Ex multiplicitate ſubjecti non petitur multiplicitas accidentis ſpiritualis: Ergo nulla ſolutio. *Probatur antecedens*, pari modo philoſophandum eſt quantum ad hoc de accidentibus ſpiritualibus; & de accidentibus modum habentibus accidentis ſpiritualis: ſed accidentia modum habentia accidentis ſpiritualis non hauriunt ſuam multiplicitatem ex multiplicitate ſubjecti: Ergo neque accidentia verè & reipſa ſpiritualia. *Probatur Minor*: præſentiæ Sacramentales corporis Chriſti ſunt accidentia modum habentia accidentis ſpiritualis, cum ſint modo inextenſo & indiviſibili, ſintque totæ in toto & totæ in qualibet parte Hoſtiæ; ſed præſentiæ illæ ſunt plures abſque multiplicitate ſubjecti; cum corpus Chriſti Domini, quod eſt ſubjectum, unicum ſemper maneat: ergo accidentia modum habentia accidentis ſpiritualis non hauriunt ſuam multiplicitatem ex multiplicitate ſubjecti.

Reſpondeo Negando antecedens. Ad probationem vero nego minorem. Ad tertium autem, in quo ſita eſt vis argumenti diſtinguo minorem: ſed præſentiæ illæ ſunt plures abſque multiplicitate ſubjecti, ſumpto ly ſubjecto cum omni proprietate, ſeu pro ſubjecto inhærentiæ, Concedo: ſumpto ly ſubjecto paulo latius, ſeu pro ſubjecto denominationis, & in quo quaſi inhærent Nego, quod abſque multiplicitate talis ſubjecti multiplicentur præſentiæ. Pro quo notandum eſt, quod cum præſentia hoc habeat præ cæteris peculiare, quod reddat id cujus eſt præſentia præſentialiter exiſtens in hoc, vel huic, ita ut præſentia ſit quidem illius, ſed tamen ſit præſentia *in hoc*, vel *huic*, conſequenter fit quod cum ly *in hoc*, vel *huic* ſint particulæ denotantes ſubjectum, ſive ponentes denominativè ſaltem rationem ſubjecti in eo ſupra quod cadunt, inde inquam fit quod præſentia præter ſubjectum illud cujus eſt per realem inhærentiam, aliud præterea ſubjectum afferat quod ſit ſaltem denominativè tale, & eſt illud *cui*, aut *in quo* eſt præſentia; jam ergo dico multiplicitatem illam præſentiarum Sacramentalium corporis Chriſti Domini non peti quidem ex multiplicitate ſubjecti, quod tale dicitur per veram & realem alterius in eo inhærentiam; hoc enim ut bene dicit arguens, eſt in hoc caſu unicum, ſcilicet corpus Domini: non tamen propte-

propterea ſequitur quod multiplicentur tales accidentales præſentiæ, abſque omni multiplicitate ſubjecti, quomodocumque ſubjecti, cum non multiplicentur niſi ad multiplicitatem ſpecierum Sacramentalium; & hujuſmodi ſpecies habeant ſubjecta, ſintque ſubjectum denominativè, cum ſint id *in quo*, ſive *cui* ſunt præfatæ præſentiæ, & ly *in quo*, & *cui* ponant, denominativè ſaltem, rationem ſubjecti in eo quod aſſiciunt & ſupra quod cadunt.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa præſentem difficultatem.

Reſpondeo D. Thomam perpetuum eſſe in docendo immultiplicabilitatem Angelorum intra eandem ſpeciem: quod quidem inprimis colligo ex his quæ habet 2. *contra gent. cap.* 95. ubi ſic dicitur: *Quæcumque ſunt idem ſpecie, differentia autem numero, illa materiam habent: differentia enim quæ ex forma procedit, inducit diverſitatem ſpeciei: quæ autem ex materia, inducit diverſitatem ſecundum numerum; ſubſtantiæ autem ſeparatæ non habent omnino materiam neque quæ ſit pars earum, neque cui uniantur ut forma: impoſſibile ergo eſt quod ſint plures unius ſpeciei.* Hæc D. Thomas.

Secundò hoc idem colligo ex his quæ habet *in* 1. *part. quæſt.* 76. *art.* 2. ubi ſic habet: *Ad primum ergo dicendum, quod licet anima intellectiva non habeat materiam ex qua ſit, ſicut nec Angelus, tamen eſt forma materiæ alicujus, quod Angelo non convenit; & ideo ſecundum diviſionem materiæ ſunt multæ animæ unius ſpeciei; multi autem Angeli unius ſpeciei omnino eſſe non poſſunt.* Hæc idem.

Tertiò tandem id colligo ex profundo & multum notando diſcurſu, quem habet idem ſanctus Doctor *in ſecundo contra gentes, capite octuageſimo primo*, ubi ſic loquitur: *Multitudo igitur animarum à corporibus ſeparatarum conſequitur quidem diverſitatem formarum ſecundum ſubſtantiam, quia alia eſt ſubſtantia hujus animæ & illius: non tamen illa diverſitas procedit ex diverſitate principiorum eſſentialium ipſius animæ, neque eſt ſecundum diverſam rationem ipſius animæ, ſed eſt ſecundum diverſam commenſurationem animarum ad corpora: hæc enim anima eſt commenſurata huic corpori, & non illi; illa autem alii, & ſic de omnibus.* Hæc Divus Thomas ex quibus ſic arguere licet.

Ideò ex Divo Thoma non differunt animæ eſſentialiter, quam-

quamtumvis differant ſecundum ſubſtantiam, quia diverſitas illa ad aliud reducitur & reduci poteſt, quam ad diverſitatem principiorum eſſentialium, puta ad commenſurationem tali vel tali corpori: ſed diverſitas Angelorum ſecundum ſubſtantiam ad aliud reduci nequit quam ad diverſitatem principiorum eſſentialium, cum ſint veluti animæ non commenſurandæ, neque commenſurabiles huic vel illi corpori: Ergo ex Divo Thoma non poſſunt Angeli non differre eſſentialiter, adeoque nec poſſunt non eſſe immultiplicabiles intra eandem ſpeciem.

QUÆSTIO VII.

De Ente ſpirituali creato, ſive Angelico in ordine ad locum.

Per quid Angeli conſtituantur in loco.

PRæmittendum primò, Duas circa propoſitam difficultatem diſtingui & referri celebres ſententias, Thomiſtarum aliam, & aliam Scotiſtarum. Exiſtimant Scotiſtæ Angelos ſicut & Deum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam tanquam per rationem formalem, ita quod ipſa ratio ſubſtantiæ in Deo ſicut & in Angelis ſit ratio immediata contactus, quem habent cum rebus & locis, eo ferè modo, quo quantitas in corporibus eſt ratio quaſi formalis locandi corpora, & quâ & ex qua habent corpora contactum cum locis & rebus: juxta quam ſententiam hæ duæ conſtituuntur propoſitiones: *Subſtantia Angeli eſt in loco; & Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam,* quarum tamen primam omnino concedunt Thomiſtæ, & poſteriorem negant & reputant falſiſſimam: ſenſus namque propoſitionis hujus, *ſubſtantia Angeli eſt in loco,* eſt, quod ſubſtantia Angeli præſens ſit loco tanquam ſubjectum ſeu res quæ eſt in loco & quæ movetur localiter, quod haud dubiè veriſſimum eſt: at vero propoſitio altera, *Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam* falſa eſt, & omnino negatur à Thomiſtis, quia ſignificat etiam in ſenſu Scotiſtarum, ſubſtantiam Angeli ſecundum ſe ac intra propriam lineam conſideratam, & ut prævenit & operatio-

nem

nem & omnem modum accidentalem ſuperadditum eſſe rationem formalem, qua Angelus in loco conſtituitur, quod reputant & probant Thomiſtæ omnino à veritate alienum; unde negantes, quod ſubſtantia ſive in Deo ſive in Angelis eſſe poſſit ratio immediata tangendi locum, eoſque in loco conſtituendi docent communiter operationem ipſam quaſi formalem & immediatam, unde habent Deus & Angeli locum tangere, ſive fieri præſentes rebus, eſſe ipſorum operationem virtualiter tranſeuntem.

Huic ergo ſententiæ, quæ communis eſt in ſchola Thomiſtarum, & à D. Thoma in pluribus locis tradita & expreſſa, ſubſcribo ego quantum ad duo quæ docet, ſed minimè ei ſubſcribo quantum ad unum, quod ſimiliter communiter, quodque reputo ego & à veritate & à mente D. Thomæ omnino alienum. Subſcribo igitur huic ſententiæ quantum ad hoc quod docet contra Scotiſtas, quod ſubſtantia nec in Deo nec in Angelis poteſt eſſe ratio formalis & immediata eorundem præſentiæ in loco: ſubſcribo pariter & quantum ad hoc, quod neque Angeli neque Deus ſunt in loco localiter, ſeu in rebus tanquam in loco niſi per operationem virtualiter tranſeuntem: ſed minimè ei ſubſcribo, quantum ad illud quod etiam communiter docet, puta quod neque Deus neque Angeli poſſint illatenus eſſe in rebus, ſive rebus præſentes, niſi per hujuſmodi operationem; ſive quantum ad hoc quod confundit præfata ſententia modum eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco; & modum eſſendi in rebus indiſtanter præciſè, & quaſi penetrative & intromiſſive; adeo ut duobus illis modis eſſendi unam & eandem aſſignet rationem formalem, operationem ſcilicet virtualiter tranſeuntem. Exiſtimo enim, ut ſtatim oſtendam & authoritate D. Thomæ, & ratione & exemplo, quod per aliud habent Deus & Angeli eſſe præſentes rebus indiſtanter præciſè & quaſi penetrative, & per aliud eſſe præſentes rebus localiter & tanquam in loco: adeo ut hoc ſecundum habeant quidem per prædictam operationem, non tamen primum, ſed illud habeat Deus per immenſitatem ut condiſtinctam ab operatione, & illud idem habeant Angeli per modum accidentalem ſuperadditum reducendum ad prædicamentum ubi, qui ſit participatio attributi immenſitatis, non operationis. Igitur

Præmittend. 2. Aliud eſſe Deum & Angelos eſſe in loco ſive rebus præſentes, indiſtanter præciſè, ſeu quaſi penetrativè & intromiſſivè; & aliud eſſe in loco, ſive in rebus localiter & tanquam in loco: licet enim hoc ſecundum involvat primum,

non

non tamen primum præcisè ut tale involvit ſecundum ; hoc autem dictum, quod in ſolvendis objectionibus fuſius probabo, deduco, & colligo in præſenti ex tribus, authoritate ſcilicet D. Thomæ, ratione, & exemplo. Primò quidem id colligo ex D. Thoma in ſua ſumma, in qua poſtquam quæſivit S. Doctor *in 1. art. q. 8. 1. p.* utrum ſit Deus in omnibus rebus, quærit deinde in ſecundo articulo, utrum ſit ubique. Licet autem poſſet videri alicui ſciolo ſuperfluere ſecundum articulum poſt reſolutionem primi, falleretur tamen, ut falli ſolent, qui per tranſſclam & à limine ſalutant doctrinam D. Thomæ, nec ingrediuntur intra : magna enim continetur profunditas in diſtinctione horum articulorum, in qua videtur inanis repetitio: Nam cum in primo articulo quærit D. Thomas utrum Deus ſit in omnibus rebus, & non addit tanquam in loco ; videtur agere de modo eſſendi in rebus ex vi immenſitatis, qui eſt, ut diximus modus eſſendi in rebus indiſtanter præcisè, & quaſi intromiſſivè & penetrativè ; Quando verò in ſecundo articulo explicat S. Doctor quomodo ſit Deus ubique loquitur ibi & loqui debet de modo eſſendi in rebus localiter tanquam in loco, & non tantum indiſtanter ; alias diſtinctio illa articulorum eſſet inanis repetitio. Pro quo videantur & aliæ authoritates infra adductæ pro exponenda mente S. Doctoris. Secundò hoc idem colligo & ratione ; ſiquidem modus eſſendi in alio indiſtanter tantum, & quaſi intromiſſivè non affert nec exigit diſcrimen in modo ſe tangendi inter id quod eſt præſens alteri ita indiſtanter, & illud alterum cui ita præſens eſt, ut per ſe patet, & amplius patebit in exemplo ſequenti : atqui modus eſſendi in alio localiter & tanquam in loco diſcrimen exigit in modo ſe tangendi ; cum exigat quod locus & locatum ſe tangant & habeant ſe ad modum contenti & continentis, vel ècontra : ergo ex ratione deducitur, aliud eſſe Deum & Angelos eſſe in loco indiſtanter præcisè, ſeu quaſi penetrativè & intromiſſivè, & aliud eſſe tanquam in loco & localiter. Demùm hoc idem colligo ab exemplo, & quidem duplici, & utroque [meo judicio] irrefragabili ; primum eſt in duobus corporibus miraculosè penetratis ; tunc enim duo illa corpora minimè diſtant ab invicem, adeo ut unum ſit in alio, aut potius cum alio indiſtanter ; & tamen neutrum ſe habeat ut locus alterius, cum non diſcriminentur in modo ſe tangendi, ſeu in modo indiſtantiæ & approximationis, nec ſe habeant, ut continens & contentum : ergo modus eſſendi in rebus indiſtanter ſolum, eſt alius à modo eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco.

Aliud

Aliud verò exemplum appono in duobus Angelis, quorum uterque operatur in eodem loco: tunc enim uterque Angelus eſſet in eodem loco, & conſequenter uterque eſſet alteri approximatus & ab altero indiſtans, & tamen neuter eſſet in altero tanquam in loco, cum de facto neuter operaretur in alterum, vel ad minus inferior Angelus non eſſet in ſuperiori Angelo tanquam in loco: Ergo differunt ab invicem duo illi modi eſſendi in rebus, ut infra ulterius probabitur; ac proinde ratio formalis eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco reſpectu Angelorum ſicut & Dei, ſcilicet operatio, nequit eſſe formalis ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter, ſed eſt alia aſſignanda, quam, deo dante aſſignabimus.

Præmittendum ultimò, Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionum veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ, puta quod *prius eſt eſſe ſimpliciter, quam ubicatum eſſe*; quod *inter locum & localiter locatum debet eſſe diſcrimen in modo ſe tangendi*; quod *conveniunt Deus & Angeli analogicè ſaltem in ratione eſſendi in loco.* Ratio autem primi eſt quia unumquodque, niſi ſit relativum prædicamentale, prius eſt in ſe, ad ſe, & quaſi ſibi, quam quod ſe habeat in ordine ad aliud, ſive ad extrinſecum: jam ſic eſt quod Angelus qui eſt ens abſolutum inquantum ubicatus ſe habet in ordine ad aliud, ſive in ordine ad locum ſibi extrinſecum: ergo prius eſt in ſe, ad ſe, & quaſi ſibi, quod quidem habet per eſſe ſimpliciter, quam quod intelligatur ubicatus; ac proinde veriſſimum eſt primum illud dictum, quod ſcilicet prius eſt eſſe ſimpliciter, quam ubicatum eſſe.

Ratio verò ſecundi eſt, quia præciſo tali diſcrimine inter locum & locatum in modo ſe tangendi, non eſt tunc potior ratio cur locus ſit locus locati, quam quod locatum ſit locus loci, ut patet in duobus corporibus ſe mutuò penetrantibus, quæ indifferenter dici poſſunt & locus & locatum, aut potius quorum neutrum rationem habet loci vel locati reſpectu alterius, eo quod ſcilicet non ſit inter illa diſcrimen aliquod in modo ſe tangendi: verum igitur eſt ſecundum illud dictum, quod ſcilicet inter ipſum locum, & ipſum localiter locatum, eſſe debet diſcrimen in modo ſe tangendi. Demum quantum ad tertium, quod ſcilicet conveniunt Deus & Angeli analogicè ſaltem in ratione eſſendi in loco, ratio hujus eſt, quia duplex tantum diſtinguitur modus eſſendi localiter in rebus, vel ad modum corporis, vel ad modum ſubſtantiæ incorporeæ: cum ergo

Deus & Angeli conveniant in hoc, quod non ſint in loco ad modum corporis, con ſequenter fit quod eadem proportionaliter ratione conſtituantur & conſtitui debeant in loco, ſive præſentialiter exiſtentes in rebus. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione, ſit:

Concluſio I. *Formalis & immediata ratio eſſendi in loco reſpectu Angelorum, eſſe non poteſt eorumdem ſubſtantia.*

Concluſio II. *Formalis & immediata ratio eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco reſpectu Angelorum eſt eorumdem operatio virtualiter tranſiens.*

Concluſio III. *Formalis & immediata ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter reſpectu Angelorum non eſt eorumdem operatio, ſed modus quidam accidentalis reducendus ad prædicamentum ubi.*

Probatur prima concluſio ex primo præmiſſo principio: *prius eſt eſſe ſimpliciter, quam ubicatum eſſe*: ergo formalis & immediata ratio eſſendi in loco reſpectu Angelorum eſſe non poteſt eorumdem ſubſtantia. *Probatur conſequentia*: ſi formalis ratio eſſendi in loco eſſet in Angelis eorum ſubſtantia, tunc eſſe ubicatum eſſet de priori conceptu ipſius eſſe, ſive ſubſtantiæ Angeli: ergo hoc ipſo quod in Angelo prius eſt eſſe ſimpliciter, quam ubicatum eſſe, non poteſt ejus ſubſtantia eſſe formalis ratio eſſendi in loco. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: Pari modo philoſophandum eſt & philoſophantur Scotiſtæ, contra quos hic agimus de ſubſtantia Angeli in ratione eſſendi in loco, ac de ſubſtantia Dei: ſed eſſe ubicatum eſt de priori conceptu ſubſtantiæ Dei, hoc ipſo quod ſubſtantia eſt Deo formalis ratio eſſendi in loco: ergo & idem dicendum eſſet de Angelo. *Major* conceditur, & patet ex dictis ſupra in exponendo tertio principio. *Probatur Minor*; quod eſt de conceptu ſubſtantiæ ſub ratione eſſentiæ, eſt de priori conceptu ſubſtantiæ: ſed hoc ipſo quod ſubſtantia Dei eſt illi formalis ratio eſſendi in loco, ut volunt Scotiſtæ, tunc eſſe ubicatum, ſive eſſe in loco, Deo competeret ratione ipſius eſſentiæ qua talis: ergo tunc eſſe ubicatum ſive eſſe in loco eſſet de priori conceptu ſubſtantiæ Dei. *Major* eſt evidens; cum ratio eſſentiæ ſit radix omnium aliarum entitatum, ſeu perfectionum attributalium; ſubindeque & ſit ex iis, quæ ſunt in re omnium primum. *Probatur Minor*: dum aſſerunt Scotiſtæ, eſſe ſubſtantiam Dei rationem formalem eſſendi in loco, vel

vel ibi nomine ſubſtantiæ intelligenda venit quæcumque ſubſtantialis entitas Dei vel intelligitur ipſa Dei eſſentia qua talis: ſed primum dici nequit, alias cum omnia in Deo ſint ſubſtantialis entitas, per quamcumque formalitatem eſſet Deus in loco, & ſic per ſuam etiam durationem eſſet in loco: ergo dicentibus Scotiſtis, eſſe ſubſtantiam Dei rationem formalem eſſendi in loco, hic nomine ſubſtantiæ intelligenda venit ipſa ratio eſſentiæ: ergo ſi eſſet Deus ratione ſubſtantiæ formaliter in loco, tunc eſſe ubicatum Deo competeret ratione eſſentiæ: Ergo ſi eſſet Deus formaliter in loco ratione ſuæ ſubſtantiæ, ut aſſerunt Scotiſtæ, tunc eſſe ubicatum eſſet de priori conceptu ſubſtantiæ: ergo & eſſe ubicatum eſſet de priori conceptu Angeli, ſi eſſet Angelus ratione ſuæ ſubſtantiæ formaliter in loco: Ergo hoc ipſo quod prius eſt in Angelo eſſe ſimpliciter, quam eſſe ubicatum [quod eſt primum principium] nequit hoc ipſo ſubſtantia Angeli eſſe formalis ratio eſſendi in loco.

Probatur 2. Secunda concluſio ex ſecundo præmiſſo principio. *Inter ipſum locum & ipſum localiter locatum debet eſſe diſcrimen in modo ſe tangendi:* ergo formalis & immediata ratio eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco reſpectu Angelorum eſt eorumdem operatio. *Probatur conſequentia:* ſecluſa operatione ex parte Angeli reſpectu loci, non diſcriminarentur locus & Angelus in modo ſe tangendi: ergo hoc ipſo quod inter ipſum locum & ipſum localiter locatum debet eſſe diſcrimen in modo ſe tangendi, eſt ipſa operatio reſpectu Angelorum ratio immediata eſſendi in rebus localiter, ſeu tanquam in loco. *Probatur antecedens:* diſcrimen quod requirunt locus & res locata in modo ſe tangendi, in hoc tantum conſiſtit, quod unum ſit continens & aliud contentum: ſed ſecluſa operatione ex parte Angeli reſpectu loci, non eſſet unum continens & aliud contentum: ergo ſecluſa tali operatione, non diſcriminarentur locus & Angelus in modo ſe tangendi. *Major* eſt evidens, & patet in omnibus locis & locatis, quæ cognoſcimus eſſe talia. *Probatur Minor:* non poteſt Angelus rationem habere contenti reſpectu loci; cum ly *contentum* inferioritatem denotet, quæ quidem eſſe non poteſt in Angelo reſpectu loci: ergo hoc ipſo quod unum eſſe debet continens & aliud contentum, debet ipſe Angelus rationem habere continentis: ſed ſecluſa præfata operatione non haberet Angelus rationem continentis reſpectu loci: ergo ſecluſa tali operatione, non eſſet unum continens & aliud contentum. *Probatur ſubſumptum:* non poteſt Angelus rem ſive

locum continere, niſi vel ut cauſa informans, vel ut cauſa recipiens, vel ut cauſa efficiens; ſed nec primum nec ſecundum admitti poſſunt, ut patet: ergo poteſt tantum Angelus rationem habere continentis reſpectu loci, ſub ratione efficientis cauſæ: ſed continere aliquid ſub ratione efficientis cauſæ, eſt continere ratione operationis circa illud exercitæ, ut per ſe patet: ergo ſecluſâ tali operatione ex parte Angeli reſpectu loci, non haberet Angelus rationem continentis reſpectu loci: ergo ſecluſa tali operatione non eſſet alius continens, & alius contentus: ergo ſecluſa tali operatione non diſcriminarentur locus & Angelus in modo ſe tangendi: ergo hoc ipſo quod inter ipſum locum, & ipſum localiter locatum debet eſſe diſcrimen in modo ſe tangendi [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] eſt hoc ipſo operatio Angeli reſpectu loci ipſa formalis ratio eſſendi localiter in loco.

Probatur Tertia concluſio ex tertio præmiſſo principio: *conveniunt analogicè ſaltem ſive proportionaliter Deus & Angeli in ratione formali eſſendi in loco*: ergo formalis ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter reſpectu Angelorum non eſt ipſorum operatio. *Probatur conſequentia.* Operatio non eſt in Deo ratio eſſendi in rebus ſive in loco merè indiſtanter: ergo hoc ipſo quod conveniunt proportionaliter Deus & Angeli in ratione eſſendi in loco, nec eſt Angelica operatio formalis ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens:* habet Deus ratione immenſitatis, quod ſit in rebus omnibus indiſtanter: ſed immenſitas eſt attributum in Deo diſtinctum ab operatione, ſive à potentia operativa: ergo operatio non eſt in Deo ratio unica eſſendi in rebus merè indiſtanter. *Major* per ſe patet, & eſt ex D. Thoma *in prologo quæſt. 7. primæ partis. Probatur Minor* multipliciter.

Primo ideo virtualiter diſtinguitur infinitas in duratione, ſive æternitas à potentia operativa in Deo; quia Deus unus exiſtens æquivalet ratione eminentiæ ſuæ & durationi, & potentiæ operativæ in nobis realiter diſtinctis: ſed ſimiliter Deus eadem eminentia æquivalet unus exiſtens & ubicationi & operationi in nobis realiter diſtinctis. ergo debet infinitas in ubicatione, quæ eſt immenſitas virtualiter, diſtingui in Deo ab operatione ſive à potentia operativa.

Secundo in ſingulis verſiculis ſymboli D. Athanaſii proponuntur diſtincta attributa; alias ibi ſuperfluè multiplicarentur verba, cum non multiplicarentur rationes formales per verba ſignificatæ: ſed de immenſitate, & de potentia operativa

Dei

Dei ſive omnipotentia fit mentio in diverſis verſiculis ſymboli: ergo immenſitas eſſe debet attributum diſtinctum ab operatione & potentia operativa Dei.

Tertio per hoc quod corpus Chriſti præſens eſt infinitis propemodum ſpeciebus Sacramentalibus participat immenſitatem Dei: ſed non propterea participat Dei operationem, cum nihil operetur in ordine ad ſpecies quibus ſit præſens: ergo participatur formaliter Dei immenſitas, non participata formaliter Dei operatione: ſed illa virtualiter diſtinguuntur in Deo quorum participato uno, aliud non participatur formaliter: ergo Dei immenſitas virtualiter diſtinguitur ab ejus operatione, ſive operativa potentia.

Quarto denique *ex prologo quaſtionis ſeptima prima partis* tribuit Deo Angelicus Præceptor, quod ſit ubique, inquantum eſt incircumſcriptibilis & infinitus: ſed eſſe incircumſcriptibilem idem ſignificat, quod eſſe immenſum, ſive immenſurabilem locali menſura: ergo ex D. Thoma in præfato prologo habet Deus quod ſit in rebus omnibus per ſuam immenſitatem: ſed per hanc immenſitatem non intelligit D. Thomas operationem ſive potentiam operativam ad extra; cum *ex prologo q. 25. prima partis* incipiat hic tractare de potentia operativa ad extra, & jam tractaverit *in quaſt. 7. de divina hac immenſitate & exiſtentia Dei in rebus*: ergo per hanc immenſitatem intelligit D. Thomas attributum aliud ab attributo operativæ potentiæ, ſeu operationis: ergo habens Deus eſſe in rebus omnibus per ſuam immenſitatem non habet hoc ipſo per operationem: ergo divina operatio non eſt formalis ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter: ergo hoc ipſo quod conveniunt proportionaliter Deus & Angeli in ratione eſſendi in rebus [quod eſt tertium præmiſſum principium] non eſt Angelica operatio formalis & immediata ratio eſſendi in rebus merè indiſtanter.

Reſtat igitur quod ſit Angelus ita indiſtanter in rebus per modum accidentalem ſuperadditum ipſius ſubſtantiæ, & reducendum ad ipſum prædicamentum ubi; cum ſupponatur ex dictis non eſſe ipſius Angeli operationem, & tamen conſtituat Angelum præſentem hic & ibi, licet non localiter, ſed præcisè indiſtanter. Dixi autem per modum accidentalem, non ſubſtantialem. Hæc eſt enim generalis regula ad cognoſcenda accidentia prædicamentalia: *quidquid convenit & advenit rei exiſtenti & ſubſiſtenti, illud omne eſt accidens prædicamentale*; eo quod ſcilicet ultimum ſubſtantiale terminativum, quo Notā.

clauditur & terminatur ſubſtantialis entitas eſt ſubſiſtentia atque exiſtentia, ac proinde reliqua quæ poſthæc adveniunt, intelliguntur advenire tanquam extranea ad extraneum prædicamentum pertinentia : jam ſic eſt quod ubi iſtud ſive hæc ubicatio angelica Angelo advenit exiſtenti & ſubſiſtenti : prius enim eſt Angelum ſubſiſtere & exiſtere quam ubicatum eſſe, & ideo manente eadem ſubſiſtentia atque exiſtentia diverſæ adveniunt ubicationes, quando ſcilicet movetur localiter : ergo præfatum ubi, ſive præfata ubicatio Angelica intelligitur advenire & ſuperaddi ſubſtantiæ Angeli, ut quid extraneum & extranei prædicamenti, proindeque ut accidens ſive ut modus accidentalis, non ſubſtantialis.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Contra primam & ſecundam concluſionem : quod eſt in loco localiter antecedenter ad operationem, non poteſt ita per operationem conſtitui in loco, ſed conſtitui debet in eo per ſuam ſubſtantiam : ſed Angelus eſt in loco localiter antecedenter ad operationem : ergo non poteſt per operationem ſic in loco conſtitui, ſed eſt in eo conſtituendus per ſuam ſubſtantiam. *Probatur Minor* : in tantum eſt Angelus in loco localiter inquantum eſt in eo per modum agentis & operantis : ſed ut ſit in loco per modum agentis & operantis, eſſe debet in illo antecedenter ad operationem : ergo eſt Angelus localiter in loco antecedenter ad operationem. *Major* patet ex dictis ſupra in probando ſecundam concluſionem. *Probatur Minor* : ſicut ſe habet eſſe ut ſic ad operari ut ſic, ſic ſe habet eſſe in loco ad operari in loco : ſed eſſe ut ſic antecedit operari ut ſic ; prius enim eſt eſſe quam operari : ergo & eſſe aliquid in loco ut operetur antecedere debet ipſum operari in loco.

Reſpondeo Negando Minorem primi & ſecundi argumenti. Ad tertium verò nego paritatem majoris, cujus diſparitas ſimul & falſitas patent evidenter in hoc argumento facto à ſimili, quod ego retorqueo in adverſarios. Sicut ſe habet ſubſtantia corporea ut ſic ad quantitatem ut ſic, ita & ſubſtantia corporea in loco ad quantitatem in loco : ſed ſubſtantia corporea ut ſic eſt prior quantitate ut ſic, ut per ſe patet : ergo & ſubſtantia illa ut in loco eſſe debet prior ipſa quantitate in loco, quod eſt falſiſſimum, etiam ex ipſo ore adverſariorum. Ratio autem hujus diſparitatis colligitur ex D. Thoma *quodlibeto 1. art. 4. ad primum*, ubi ait, quod nihil prohibet, aliquid eſſe

prius

prius ſimpliciter loquendo, quod tamen non ſit quantum ad hoc: ſicut ſubjectum eſt ſimpliciter prius ſuperficie, nec tamen eſt prius quantum ad hoc quod eſt colorari; & ſimiliter prius ſimpliciter eſt corpus quam tactus corporis, & nihilominus quantum ad hoc quod eſt eſſe in loco non eſt corpus prius, ſed potius poſterius ipſo tactu corporeo ſeu dimenſivæ quantitatis: ſic ergo ſimiliter dicendum eſt de Angelis quantum ad contactum virtutis. Hæc D. Thomas, ex quibus abunde ſolvitur argumentum & patet diſparitas præfatæ majoris; cui addo Ego, quod eſſe ut ſic ſimpliciter ſumptum ſe habet ad operari ſicut cauſa ad effectum, & ideo debet eſſe prius: at vero eſſe Angeli ut in loco non eſt cauſa operationis ſed magis eſt ejus effectus, cum operatio ſit illud per quod Angelus tangit locum localiter, ſeu ad modum continentis; ac proinde eſſe ipſius Angeli prout in loco non debet eſſe prius ejuſdem operatione. *Nota.*

Inſtabis: Applicatio agentis ad paſſum eſt conditio prærequiſita ad operandum: ſed hoc ipſo quod Angelus eſt in loco ad modum operantis, comparatur ad illum ut agens ad paſſum: ergo & debet eſſe applicatus loco, priuſquam operetur in loco.

Reſpondeo Diſtinguendo majorem ſic: applicatio agentis ad paſſum eſt conditio prærequiſita ad operandum, ſi ſit ſermo de agente corporeo, Concedo: ſi ſit ſermo, ut eſt in præſenti, de agente ſpirituali Nego. Ratio autem hujus diſparitatis eſt, quia in agente corporeo v.g. igne virtus ſeu potentia activa, cum ſit accidens materiale, præſupponit quantitatem quæ eſt primum inter accidentia materialia, ac proinde & illius applicatio ad locum præſupponit hujus applicationem, per quam corpus eſt in loco. At virtus agentis ſpiritualis nullam in eo præſupponit quantitatem per quam ſupponi poſſit applicatum, ſed ipſamet activa virtus eſt ejus virtualis quantitas; unde cum res non ſit in loco localiter ante applicationem ſuæ quantitatis, cum non niſi per illam in eo taliter ſit; & operatio agentis ſpiritualis, qualis eſt Angelus, ſit applicatio ipſius quantitatis, cum ſit applicatio ejus virtutis, quæ eſt virtualis ejus quantitas; propterea fit quod agens ſpirituale non debeat eſſe ita applicatum loco antecedenter ad operationem, ſed concomitanter, ſicut ſolemus dicere quod anima ut informet requirit corpus organicum, non quod ſit organicum ante illam, ſed quod per illam fiat organicum. *Nota.*

Objicies 2. quotieſcumque variatur ratio formalis variari debet & formalis effectus: ſed variata operatione tranſeunte Angeli

non propterea Angelus mutat locum : ergo non eſt Angelus per ſuam operationem tanquam per rationem formalem localiter in loco. *Major* conſtat : variato enim colore, v. g. non poteſt non variari & mutari coloratum. *Probatur Minor* : ſive producat aliquid Angelus circa aliquod corpus, ſive illud ſolummodo moveat, non propterea mutat locum : ſed Angelus, poſtquam produxit aliquid circa corpus, poteſt illud deinde movere : ergo variata operatione tranſeunte Angeli, non propterea Angelus mutat locum.

Reſp. Diſtinguendo Majorem : quotieſcumque variatur formalis ratio, variari debet & effectus formalis, ſi varietur formalis ratio formaliter ut talis, Concedo : ſi vero non varietur formaliter inquantum eſt formalis ratio, ſed ſolum materialiter & ſub alia ratione Nego : effectus namque formalis non eſt talis niſi per rationem formalem formaliter ut talem ; ac proinde niſi varietur formalis ratio formaliter, & inquantum talis, non propterea variari debet effectus formalis: jam ſic eſt quod Angelus ſive producat aliquid circa locum, ſeu circa corpus in quo ſupponitur eſſe localiter, ſive illud moveat, non propterea variatur ejus operatio formaliter, inquantum eſt ratio conſtitutiva Angeli localiter in loco, ſiquidem hæ duæ operationes [& ſic de cæteris operationibus tranſeuntibus] conveniunt & adunantur in hoc, quod ſint Angelo ratio continendi locum, cum continere nequeat Angelus locum ut cauſa informans, nec ut cauſa recipiens, ſed ſolum ratione efficientiæ ; unde cum ratio continendi locum ſit ratio formalis aut quaſi formalis eſſendi localiter in loco, ut conſtat ex dictis ſupra in probando ſecundam concluſionem, conſequenter fit, quod ſive producat Angelus aliquid circa corpus, ſive illud moveat, non propterea varietur ejus operatio, inquantum eſt formalis ratio eſſendi localiter in loco, ſubindeque nec mirum quod non varietur præſentia illa localis quam habebat Angelus per primam operationem circa locum.

Inſtabis : Eſto non varietur ibi formaliter formalis ratio eſſendi in loco, ſaltem formaliter & non tantum materialiter ceſſat, dum ceſſat Angelus operari : ſed tunc non propterea ceſſat præſentia localis Angeli : ergo non poteſt præfata operatio ſe habere ad præſentiam localem Angeli, velut ratio formalis ad effectum formalem. *Probatur Minor* : Angeli cuſtodes ordinariè præſentes ſunt localiter eis, qui eorum curæ commiſſi ſunt: ſed incredibile videtur, eos continua operatione circa clientes agere : ergo ceſſante operatione Angeli circa locum

non

non propterea ceſſat localis ejuſdem præſentia.

Reſpondeo negando minorem: ad cujus probationem, quam poſſunt adverſarii confirmare ex eo quod ſunt Angeli in Cœlo empyreo; in quo tamen nihil tranſeunter operantur, cum illud movere non poſſint nec alterare, in qua tamen motione & alteratione videtur ſita eſſe operatio tranſiens Angelorum, ad hanc, inquam, probationem dico, hanc magnam certe pati difficultatem in ſententia communi Thomiſtarum, qui omnem modum eſſendi in rebus, ſive localiter, ſive mere indiſtanter tribuunt ſoli Angelorum operationi; & licet multa & egregia proferant pro illius ſolutione, ut tamen ab eo ſe expediant, velint nolint, fateri debent, ſe in omne latus vertere, & pro evacuanda difficultate multum inſudare, neſcio an multum utiliter. At nullius plane eſt roboris hoc argumentum in ſententia noſtra ſupra expoſita, juxta quam dicendum eſt, quod in locis & rebus, in quibus nihil operantur Angeli, ſunt ibi quidem indiſtanter præſentia quaſi intromiſſionis, approximationis, & indiſtantiæ, qualiter unus Angelus eſt præſens alteri quando in eodem loco operantur; non tamen ſunt ibi localiter & tanquam in loco; cum ſecluſa operatione non ſe habeant tunc ad modum continentis locum, ut dictum fuit ſupra, qualiter tamen deberent ſe habere, ad hoc ut eſſent ibi localiter, ut etiam ſupra oſtenſum eſt in probatione ſecundæ concluſionis. *Nota.*

Objicies 3. contra tertiam concluſionem: eſſe Angelum in rebus merè indiſtanter, & eſſe in illis localiter & ut in loco coincidunt: ergo hoc ipſo quod niſi per operationem eſt Angelus in rebus localiter, ut ſtatuit ſecunda concluſio, non niſi etiam per operationem eſt Angelus in rebus indiſtanter. *Probatur antecedens*: non poteſt Angelus eſſe in rebus merè indiſtanter niſi ſit per contactum: ſed hoc ipſo quod in aliquo eſt Angelus per contactum, eſt in eo localiter ſeu per operationem: ergo eſſe in rebus indiſtanter & in illis eſſe localiter convertuntur, ſive coincidunt in Angelo. *Major* videtur evidens. *Probatur Minor.* Omnis contactus vel eſt proprius, ſeu quantitativus, vel Metaphoricus ſeu virtutis: ſed Angelus habere non poteſt contactum quantitativum: ergo habere tantum poteſt contactum virtutis: ſed contactus virtutis fit media operatione: ergo hoc ipſo quod in aliquo eſt Angelus pèr contactum, eſt hoc ipſo in eo per operationem, ſive localiter.

Reſpondeo negando antecedens, cujus quidem falſitas conſtat ex dictis ſupra, præcipuè in præmiſſis. Unde ad probatio-

nem diſtinguo majorem: non poteſt Angelus eſſe indiſtanter in rebus niſi per contactum, loquendo de contactu locali, ſeu continentiæ Nego: loquendo de contactu indiſtantiæ, intromiſſionis & quaſi penetrationis, Tranſeat. Similiter diſtinguo minorem: ſed eſſe in rebus per contactum, & eſſe in illis localiter ſeu per operationem coincidunt & convertuntur, ſi ſermo ſit de contactu locali, ſeu continentiæ Concedo; propterea quod ut notatum fuit ſupra non habet Angelus rationem continentis reſpectu loci, niſi ſub ratione efficientis cauſæ, ſubindeque & media operatione: ſi autem ſermo ſit de contactu aut quaſi contactu meræ indiſtantiæ & intromiſſionis, Nego minorem & conſequentiam.

Dixi autem ſupra loquendo de contactu indiſtantiæ & intromiſſionis, *Tranſeat*: Quia exiſtimo ego, nec ſine fundamento, quod contactus quo unum eſt in alio mere indiſtanter dicendus non eſt nec dici poteſt propriè contactus, quod quidem oſtendo ſic: quandocumque duo aliqua ſe habent mere indi-
Nota. ſtanter, tunc dici non poteſt propriè quod unum ſit in alio, eo quod ſcilicet ly *in alio* importet continentiam quæ ibi tunc minimè reperitur, ſed poteſt tantum dici quod unum ſit ubi eſt aliud: jam ſic eſt quod quæ ſe ita habent, ut unum ſit ubi eſt aliud, non autem unum ſit in alio, non poſſunt, ſi propriè loquemur, dici ſe tangere & habere contactum ad invicem; cum talia tunc ſe habeant veluti ſine connexione, & habeant utrumque ſuum ubi intrinſecum, ſive præſentiam ſuam quaſi abſolutam & quaſi intranſitivè acceptam; quod haud dubiè dici nequit de iis quæ habent contactum proprium ad invicem: ergo hoc ipſo quod eſt Angelus in aliquo merè indiſtanter, non eſt tunc in eo per contactum, cum ex vi indiſtantiæ ſequatur ſolum, non quod ſit in illo, ſed quod ſit ubi eſt illud per præſentiam quaſi abſolutam & quaſi intranſitivè acceptam, non autem connexam per contactum.

Inſtabis: pari modo philoſophandum eſt de Angelis & de Deo quoad rationem eſſendi in rebus: ſed non eſt Deus in rebus etiam indiſtanter niſi per contactum localem & continentiæ, per operationem habitum: ergo & idem dicendum de Angelis. *Probatur Minor*: non poteſt Deus eſſe in rebus etiam indiſtanter, quin rebus coexiſtat; ſed non poteſt rebus coexiſtere niſi per contactum continentiæ per operationem habitum; ergo nec eſſe poteſt in illis etiam indiſtanter niſi medio tali contactu. *Probatur Minor*: non habet Deus coexiſtere rebus, niſi exiſtentibus rebus; ſed res non habent exiſtere niſi

ipſius Dei operatione: ergo nec illis coexiſtit Deus niſi per operationem, ſive per continentiæ contactum per operationem habitum.

Reſpondeo negando minorem, cujus falſitas abundè colligitur ex dictis ſupra in probatione concluſionis tertiæ, ubi oſtenſum fuit, eſſe Deum in rebus omnibus indiſtanter ratione immenſitatis ut diſtinctæ virtualiter ab operatione, quod quidem dictum poteſt ulterius explicari exemplo æternitatis ad hoc aptiſſimo, & ex quo non parum confirmabitur præfata concluſio: enim vero ſicut æternitas talis eſt naturæ, quod extenditur ad omnes menſuras & durationes diſtinctas rerum, & extenderetur ad illas, eiſque coexiſteret, etiam ſi per poſſibile vel impoſſibile non produceret eas Deus: ita ſimiliter divina immenſitas talis eſt & debet eſſe naturæ, ut vi illius quaſi penetretur Deus cum quacumque alia re diſtinctâ, ac penetraretur, licet per poſſibile vel impoſſibile daretur talis res independenter ab ipſá Dei operatione. *Nota.*

Utriuſque enim eſt eadem ratio, ſcilicet infinitas utriuſque attributi in ſua linea: quia enim æternitas eſt infinita in ratione durationis, habet hoc ipſo coexiſtere cuicumque durationi, etiam quomodolibet factæ & exiſtenti, atqui etiam immenſitas eſt in linea ubicationis infinita: ergo ad inſtar æternitatis debet ratione ſui & ex vi propriæ lineæ intromitti & quaſi per indiſtantiam penetrari cum rebus omnibus, etiam quomodolibet fuerint factæ, & à quocumque fuerint productæ; atque ita falſum eſt, quod eſſe ita indiſtanter & penetrativè in rebus non niſi ex ipſa Dei operatione proveniat. Unde ad probationem Diſtinguo Minorem: ſed non habet Deus coexiſtere præſentialiter rebus niſi per contactum continentiæ ſeu operationis; Ita quod formaliter ſe habeat contactus ille operationis ad hanc coexiſtentiam, Nego: ita ut materialiter, præſuppoſitivè, & concomitanter ſolum ſe habeat, Concedo; ſed exinde nihil ad intentum, cum agatur hic de ratione formali & formaliter ſe habente. Dico igitur, quod ſicut æternitas, independenter à rebus creatis & ſine connexione cum illis convenit Deo, ita ſimiliter immenſitas; Et ſicut durantibus rebus creatis ex vi divinæ operationis, durat æternitas cum illis, ac intromittitur in ipſarum durationes ratione ſui, ſecluſa, formaliter loquendo, divina operatione, & ſolum concomitanter & materialiter ibi exercita; ſic ſimiliter exiſtentibus rebus omnibus ex vi divinæ operationis, ſeu

divinæ

divinæ omnipotentiæ intromittitur in eas Dei immenſitas,ſolum præſuppoſitivè & materialiter ſe habente exercitio omnipotentiæ ſeu divina operatione.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo. D. Thomam favere haud dubiè præfatæ noſtræ ſententiæ;adeo ut quamvis in infinitis propemodum locis doceat eſſe Angelos in loco per operationem, ibi ſolum loquatur de modo eſſendi in rebus localiter & tanquam in loco; non autem de modo eſſendi in rebus merè indiſtanter : quod quidem præterquam quod jam ſupra inſinuatum eſt, hoc prætereea ex tribus colligo.

Primò ex D.Thoma *quodlibeto 6.art.3.* poteſt Deus ponere Angelum extra cælum Empyreum : ſed eſſet ibi Angelus ſine operatione virtualiter tranſeunte, & tamen haberet ſuum ubi intrinſecum : ergo verum non eſt in doctrina D. Thomæ, quod nullum habeat vel habere poſſit Angelus ubi intrinſecum quam per operationem , ſive quod ſola operatio ſit ratio formalis ubicationis Angeli *Minor* quoad primam partem per ſe patet,cum extra cælum Empyreum nullum reperiatur corpus circa quod operetur. *Probatur* igitur quoad ſecundam partem. Actio illa,quâ moveret Deus Angelum, eumque poneret extra cælum Empyreum haberet terminum extra ſe;cum eſſet virtualiter tranſiens,& inferret aliquam mutationem: ſed terminus ille non alius imaginari poteſt , præter ubi intrinſecum Angeli de novo poſitum, nec illa mutatio in alio eſſe poteſt,quam in ubicatione,ut patet : ergo eſſet ibi Angelus ſine operatione virtualiter tranſeunte, & tamen ibi haberet ubi intrinſecum ; atque ita loquendo de ubicatione ſive præſentia Angeli abſoluta,& intrinſecâ & quaſi intranſitivè acceptâ, non ſentit D.Thomas,eam reducendam eſſe ad operationem Angeli,ſed ad quemdam modum intrinſecum ad prædicamentum ubi reducendum.

Secundò D.Thomas in infinitis propemodum locis eodem modo loquitur de Deo & de Angelis quantum ad rationem eſſendi in loco,ut *in 1. ſentent. diſtinct.* 37. &c. ſed Deus ex D. Thoma,quamvis ſit in loco localiter per operationem, eſt tamen in rebus indiſtanter per quid virtualiter diſtinctum ab operatione:ergo idem ſentit D.Thomas de Angelis. *Probatur Minor :* dicit D.Thomas *in prolog. quæſt.* 14. ſe ibi incipere tracta-

tractare de iis quæ ad divinam ſpectant operationem: ſed idem S.Doctor jam *in quæſt.*8. egerat de exiſtentia Dei in rebus,& conſequenter de modo eſſendi in illis indiſtanter : Ergo eſt Deus ex D.Thoma indiſtanter in rebus per quid ab ipſa operatione diſtinctum.

Tertiò hoc idem colligo ex his quæ habet D. Thomas *3.p. quæſt.52. art.2.* ubi docet animam Chriſti Domini dum ad limbos deſcendit fuiſſe ibi dupliciter,ſcilicet per operationem, & per ſubſtantiam.Ex qua doctrina argumentor ſic. Par eſt ratio de anima ſeparata & de Angelis, in ordine ad eſſendum in loco:ſed diſtinguit S. Doctor in anima ſeparata modum eſſendi in loco per operationem & per ſubſtantiam : ergo & in Angelis alius erit ex D.Thoma modus eſſendi in loco per operationem,& alius modus eſſendi per ſubſtantiam : jam ſic eſt, quod admittens D Thomas & in anima & in Angelis modum eſſendi in loco per ſubſtantiam , non ſumit ibi ſubſtantiam activè & ut locantem,ſed paſſivè & ut locatam; cum ex eodemD.Thoma infra *quæſt.54.art.4.* nulla ſubſtantia creata ſit per ſe ipſam activa & immediatè operativa: ergo ex D.Thoma ſubſtantia tum animæ tum Angelorum eſſe poteſt in loco per aliud quam per operationem : ſed ex eodem D. Thoma non poteſt Angelus eſſe in rebus localiter & tanquam in loco, niſi per operationem : ergo ex D. Thoma datur alius modus eſſendi in rebus reſpectu Angeli , quam modus eſſendi in illis localiter,qui non ſit habitus per operationem ; Qui quidem eſſendi modus non alius imaginari poteſt ; quam quem diximus ſupra modum eſſendi in rebus merè indiſtanter, qui ſcilicet habendus ſit per modum accidentalem Angelo ſuperadditum,ad prædicamentum Ubi reducendum, & per eius localem motum productum : licet enim localis motus comparatus ad rem extrinſecam à qua habet Angelus indiſtantiam, ſit modus ſolummodo adductivus, comparatus tamen ad Ubi ſucceſſivum,ſive ad localem præſentiam quam ſucceſſivè acquirit eſt productivus. *Nota.*

Dices:ex D.Thoma *quæſt.3. de potentia art.19.ad* 2. poteſt Angelus,ſi velit,non eſſe in loco : ſed ſi eſſet per aliud in loco quam per operationem tranſeuntem & liberam, non poſſet non eſſe in loco : ergo ex D. Thoma non datur alius modus eſſendi in rebus reſpectu Angeli quam per operationem.

Reſpondeo diſtinguendo & explicando dictum D. Thomæ: poteſt Angelus ex D.Thoma non eſſe in loco, ſi velit,& loquitur D.Thomas de modo eſſendi localiter , & ut in loco Con-

cedo.

cedo: & loquitur de modo eſſendi in rebus merè indiſtanter, Nego. Concedit igitur D. Thomas, poſſe Angelum non eſſe in loco localiter, quia eſt ibi tunc ad modum continentis, ſubindeque per operationem, quam cum poſſit ſuſpendere, poteſt conſequenter non eſſe in loco tanquam in loco; non tamen vult propterea nec velle poteſt D. Thomas, quod facta ſuppoſitione, ut ſupponit ipſe, quod maneat Angelus intra univerſum, quod nullo ſit in loco indiſtanter, adeo ut nullum habeat ubi intrinſecum per quod ſit non quidem in alio, ſed ibi ubi eſt aliud; cum ex eo colligat D. Thomas, poſſe Angelum non eſſe in loco: quia in eo eſt per operationem, quam quidem poteſt ſuſpendere; & poſſit Angelus eſſe in alio indiſtanter abſque operatione, ut conſtat ex dictis ſupra, & ulterius oſtendo ex caſu quem ipſe S Doctor admittit poſſibilem: admittit namque S Doctor *in quæſt. 6. art. 3.* poſſe Angelum poni extra cælum Empyreum, quo poſito Quæro à Thomiſtis nobis hic adverſantibus, numquid manente Angelo extra cælum Empyreum, eo modo quo eſſet ibi à Deo poſitus puta ſine operatione ab ipſo virtualiter tranſeunte, poſſet ibidem Deus ponere corpus ſaltem glorioſum; cum ex eodem D. Thoma locò citato, non tantum Angelus ſed etiam corpus glorioſum poſſit poni extra cælum, & aliunde non repugnet eſſe Angelum ubi eſt corpus glorioſum: jam ſic eſt, quod in hoc caſu qui poſſibilis eſt in doctrina D. Thomæ, eſſet Angelus indiſtanter in corpore glorioſo, nec tamen eſſet in eo localiter & tanquam in loco ſive ad modum continentis, cum ex ſuppoſitione factâ eſſet in eo ſine ulla operatione ab ipſo Angelo virtualiter tranſeunte: ergo ex D. Thoma aliud eſt eſſe Angelum in aliquo localiter & tanquam in loco, & aliud eſſe in eo merè indiſtanter.

Vrgebis: Dicit D. Thomas poſſe Angelum non eſſe in loco abſolutè loquendo: ſed eſſe in aliquo per indiſtantiam eſt abſolutè loquendo eſſe in loco: ergo intendit D. Thomas, poſſe Angelum non eſſe in loco etiam per indiſtantiam.

Reſpondeo negando minorem; non enim eſſe in loco præciſe per indiſtantiam, eſt eſſe in loco abſolutè loquendo, dato quod ſit eſſe in loco ſecundum quid & cum hoc addito, per indiſtantiam. Ratio autem hujus eſt, quia eſſe in loco abſolutè loquendo involvit connexionem inter id quod eſt in loco & locum in quo eſt, eo quod ſcilicet ly *in*, eſt relativum quid: modo ſic eſt, quod illud quod eſt in aliquo per indiſtantiam tantum, non importat per hoc præciſè connexionem cum illo,

ſed

ſed habet ſuum ubi intrinſecum & ſuam præſentiam abſolutam, & quaſi in ipſo immanentem, atque intranſitivè acceptam, non autem quaſi tranſeuntem ad illud aliud; propterea quod non eſt propriè loquendo in illo, ſed ſolum ibi ubi illud eſt, ut patet in duobus corporibus penetratis, quorum neutrum eſſe poteſt in altero tanquam in loco: ergo illud quod eſt ſolum in aliquo per meram indiſtantiam non propterea eſt tunc abſolutè loquendo in loco, ac proinde, ex eo quod docet D. Thomas poſſe Angelum non eſſe ſi velit in loco abſolutè loquendo, non propterea exinde ſequitur quod debeat poſſe non eſſe in aliquo aëre indiſtanter.

QUÆSTIO VIII.

De ente ſpirituali creato, ſive Angelico in ordine ad cognitionem.

Utrum aliquid adveniat Angelo, ut de novo cognoſcat ſingularia quæ de novo ponuntur.

P*Ræmittendum primò*, pro exponenda difficultate, quæ quidem (meo judicio & ut audivi à peritis viris) non caturalia in tota Metaphyſica ſortitu difficilior, præmittendum inquam tanquam certum & indubitatum in doctrina D. Thomæ & Thomiſtarum, non intelligere Angelos per ſpecies a rebus acceptas, ſed eas accepiſſe à Deo in primo inſtanti creationis, juxta illud ſcripturæ *Ezechielis* 28. ad Luciferum: *tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.* Ratio autem hujus eſt quia ſubſtantia quæ non eſt nec eſſe poteſt forma corporis accipere non poteſt ſpecies intelligibiles ab objectis corporalibus, cum ratio cur ſubſtantia puta anima ſpecies accipit a corporalibus ſit, quia eſt forma corporis; ex eo ſcilicet quod ratio cur uniatur corpori ſit, quia eſt corporis forma, & uniatur corpori ut ſpecies à rebus accipiat; propterea quod unitur anima corpori propter bonum ſuum, cum id exigat naturalis ordo, quod imperfectiora ſint propter perfectiora; & bonum quod advenit animæ ut intellectivæ ex corpore ſit in hoc quod miniſtrat intellectui corpus ſpecies intelligibilibus mediis phantaſmatibus: ergo,

ergo cum Angelus nec ſit nec eſſe poſſit forma corporis non habet per conſequens accipere ſpecies à rebus; ſed debuit eas accepiſſe à Deo infuſas ab initio creationis, & ſic perfectus ſit & plenus ſapientia à die conditionis ſuæ ut dicit ſcriptura. Porro hæc doctrina non ſolum concludit pro ſpeciebus repræſentantibus res in communi & in univerſali, ſed etiam pro ſpeciebus repræſentantibus res ſingulares & in ſingulari, quod quidem confirmari poteſt ex his quæ habet D. Auguſtinus *lib. 2. ſuper Geneſim ad litteram cap. 8. & lib. 4. cap. 24.* ubi aſſerit, res fuiſſe à Deo creatas prius in mente Angelorum, [puta in eſſe intentionali & repræſentativo quod habent in ſpeciebus] quam in proprio genere, ſeu in ſeipſis: jam ſic eſt quod res illæ à Deo creatæ creationem terminant ſecundum eſſe ſingulare, & in ſingulari, non autem ſolum in communi : ergo intendit D. Auguſtinus, mentibus Angelorum fuiſſe inditas ab initio creationis ſpecies intelligibiles repræſentantes res etiam in ſingulari, & non tantum in univerſali & in communi.

His ergo præmiſſis & ſuppoſitis ortum habet in via & doctrina Thomiſtarum & D. Thomæ difficultas graviſſima, quo ſcilicet modo incipiant Angeli cognoſcere ſingularia & contingentia quæ de novo ponuntur in rerum natura, & quæ ſupponuntur naturaliter cognoſci poſſe ab Angelis; cum ad hoc videatur opus eſſe quod fiat mutatio aliqua intrinſeca in Angelo quantum ad ipſas ſpecies quibus cognoſcit tunc, quod antea non valebat cognoſcere; Et ex alio capite inintelligibile eſt quid ſit illud additum, quo fiat præfata mutatio intrinſeca, cum ſupponatur Angelus accepiſſe ab initio creationis ſpecies omnes rerum naturaliter cognoſcendarum repræſentativas. Igitur pro hac tam gravi ſolvenda difficultate non ſervabimus ſolitam methodum, reducendo ſcilicet concluſionem ad præmiſſa & expoſita principia; propterea quod talis eſt conditionis concludens ſententia, ut non melius & clarius probari poſſit, quam eam objectionibus & quæſitis aliquibus examinando Quia vero in hoc ſolvendo non ſequar modum communiorem apud Thomiſtas; Quinimmò auget potius [meo judicio] talis dicendi modus difficultatem, nec uſquàm illi acquieſcere potui, ideo breviter refutabo communiorem illum ſolvendi modum, priuſquam ſtabiliatur & proponatur reſolutoria concluſio. Unde.

Præmittendum ſecundò, minimè evacuari propoſitam difficultatem, ſed magis potius implicari ex illo ſolvendi modo quem plures ſequuntur Thomiſtæ, dum dicunt cognoſcere

de

de novo Angelos ſingularia quæ de novo ponuntur in rerum natura, non quidem per aliquid additum ſeu de novo productum in Angelo, quod ſit veluti formalis cauſa novæ exurgentis cognitionis, ſed per hoc ſolum quod ſpecies impreſſa Angeli ſine ulla mutatione & variatione intrinſeca habet fieri poſſe ex non repræſentante repræſentans, adeò ut habeat repræſentare ſingularia exiſtentia quando ponuntur extra cauſas, quæ tamen non repræſentabat antea, quando non exiſtebant, defectu ſcilicet connotati ſeu defectu requiſitæ ad hoc exiſtentiæ prout de facto poſitæ, hoc, inquam, dicendi & ſolvendi modo augetur magis & magis implicatur difficultas, quia impoſſibile eſt, ex ipſis terminis, id quod ſupponitur, ſcilicet ſpeciem impreſſam tranſire de non repræſentante intrinſecè, [eſt enim repræſentatio omnino intrinſeca ſpeciei, imò & eſt totum ejus intrinſecum ut ſpecies eſt] tranſire, inquam, de non repræſentante intrinſecè ad repræſentantē intrinſecè de novo, & tamen id fieri abſq; mutatione & perfectione intrinſeca. Tranſire namq; de carentia alicujus formę poſitivæ ad eandem poſitivam formam eſt mutari, nec id negari poteſt in bona Philoſophia: ergo tranſire de privatione alicujus intrinſeci poſitivi & realis ad idem intrinſecum poſitivum & reale, eſt mutari poſitivè, & realiter: atqui ſpecies ſecundum hanc doctrinam tranſit de non repræſentante ad repræſentantem, & repræſentare iſtud, quod nunc habet, eſt in ea aliquid intrinſecum, quo intrinſeco antea carebat: ergo debet in tali ſpecie fieri mutatio intrinſeca. *Nota.*

Dices quod totum intrinſecum habebat antea ſpecies, & ſolum defectu extrinſeci connotati, ſcilicet exiſtentiæ ſingularis poſitæ à parte rei non repræſentabat de facto; qua tamen poſitâ ſtatim repræſentat: ſed contra hoc reſponſum urgeo ſic: Ex hac reſponſione totum quod intrinſecè eſt requiſitum ex parte ſpeciei ad repræſentandum ſingulare, erat in ſpecie ante exiſtentiam ſingularis: ergo antequam exiſteret, poterat illud repræſentare. *Probo conſequentiam*: ſpecies infuſæ animæ Chriſti repræſentant ſingularia antequam ſint, ut concedunt Theologi, quia ab intrinſeco ſunt potentes ad id faciendum, qua intrinſeca virtute ſuppoſitâ non pendent nec poſſunt pendere ab exiſtentia actuali ſingularium: ergo ſimiliter ſi ſpecies impreſſa Angeli habet quidquid intrinſecum requiritur ad repræſentandum, Angelus qui comprehendit totam intrinſecam virtutem ſuæ ſpeciei cognoſcet conſequenter in ea repræſentabilitatem talis ſingularis, quamtumvis non ſit poſitum, ſicut & qui comprehenderet totam virtutem intrinſecam ſpeciei infuſæ animæ Chriſti.

haud dubiè comprehenderet & cognoſceret contineri in illa repræſentabilitatem talis ſingularis, ſicut hoc cognoſcit & comprehendit ipſa anima Chriſti, Hoc ergo rejecto dicendi modo, utpote magis intricato & inintelligibili, quam ſit ipſa difficultas, ad quam adducitur, jam pro noſtrâ exponenda ſententia ſit.

CONCLUSIO RESOLUTORIA: *Cognoſcit Angelus ſingularia de novo poſita per hoc quod ſpecies impreſſa, quæ in repræſentando invariata manet, quia talia non niſi ſub ratione eſſentiæ repræſentat vim habet producendi ſpeciem novam expreſſam ea tunc in ſingulari & in actu exercito repræſentantem; cum tamen antequam in rerum natura ponerentur, ſolum produceret & produxiſſet ſpeciem expreſſam eadem ſub carentia exiſtentiæ repræſentantem:* Itaque fit in Angelo mutatio variatio & additio intrinſeca, ut actu de novo cognoſcat ſingularia, non quidem quæ ſe teneat ex parte ſpeciei impreſſæ, ſed quæ teneat ſe ex parte ſpeciei expreſſæ de novo productæ, utpote quæ repræſentat tunc ſingularia in actu exercito & in ſingulari, cum tamen ſpecies expreſſa quæ antea fuerat elicita ex vi ejuſdem ſpeciei impreſſæ non niſi ſub carentia exiſtentiæ repræſentaret, unde & alia entitativè & intrinſecè erat ab ea quæ nunc producitur, & quæ taliter ſub exiſtentia repræſentat. Ut autem pateat veritas hujus noſtræ reſolutionis, nec non & ut diſcutiantur plura, quibus non parum juvabitur animus ad alia plura percipienda & penetranda, juvat eam aliquibus objectionibus, ſive quæſitis examinare, & ſic veritatis radicem inveſtigare: igitur.

Objicies 1. fundatur hic dicendi, ſeu reſolvendi modus, in eo quod ſpecies impreſſa invariata manens in ſui repræſentatione, vim habet producendi aliam & aliam ſpeciem expreſſam, ſeu producendi nunc ſpeciem expreſſam repræſentantem objectum ſub ſingularitate & exiſtentia, & producendi tunc aliam ſpeciem expreſſam potius repræſentantem ſub carentia exiſtentiæ: ſed hoc videtur gratis dici & ſine fundamento: ergo nec ſufficienter fundatur præfatus dicendi & reſolvendi modus, ut dici debeat reſolutorius & verus.

Reſpondeo negando minorem: eſt enim verum & communiter admiſſum nedum in Angelis ſed etiam in nobis, quod nunc cognoſcimus objectum præſens & poſtea abſens, & quod in ſpecie expreſſa repræſentetur hoc cum variatione ejus intrinſeca, adeo ut alia ſit ſpecies expreſſa ſicut & alia cognitio rei ut abſentis, & alia repræſentativa rei ut præſentis: atqui non propterea fit variatio in ipſa ſpecie impreſſa, ſed una ſemper & eadem perſeverat, quod quidem ex eo communiter admittitur & conceditur verum, quia communiter conceditur quod ſemel elicita ſpecies im-

impreſſa lapidis v.g. ab intellectu agente, conſervatur ſemper eadem in memoria, & eâ modo abſentem, modo præſentem cognoſco ego lapidem: Non ergo gratis dicitur, nec ſine fundamento quod ſpecies impreſſa Angeli invariata manens in repræſentando, [quia; ut dicemus, habet ſolum repræſentare ſub ratione eſſentiæ] vim habeat producendi aliam & aliam ſpeciem expreſſam, ad cujus propterea ſpeciei expreſſæ variationem ſufficienter mutetur & varietur Angelus intentionaliter, ut dici poſſit cognoſcere nunc ſingularia ſub ſtatu ſingularitatis & exiſtentiæ, quæ antea non ita cognoſcebat.

Inſtabis: Quod ſpecies impreſſa invariata manens vim habeat producendi ſic aliam & aliam ſpeciem expreſſam ad variationem objecti abſentis vel præſentis, hoc ideo eſt quia non eſt ſpecies impreſſa repræſentativa niſi ejus quod in objecto invariatum manet, ſcilicet eſſentiæ; cum è contra ad expreſſam pertineat repræſentare ſtatus accidentales ejuſdem objecti, puta eſſe ſub exiſtentia & ſingularitate, vel ſub carentia: ſed hoc videtur gratis & ſine fundamento dici: ergo & illud.

Reſpondeo negando minorem. Hujus namque fundamentum habetur duplex: primo quidem, quia ipſa ſpecies impreſſa eſt comprincipium intellectionis & ſpeciei expreſſæ cum intellectu, quod quidem comprincipium habere debet [ſicut habet & alterum comprincipium putà intellectus] quod unum exiſtens cauſet diverſos actus, alium intuitivum & alium abſtractivum, ſubindeque & diverſas ſpecies expreſſas, aliã repræſentantem intuitivè, & alteram repræſentantem ſub abſtractione: jam ſic eſt quod ſi ſpecies impreſſa eſſet repræſentativa ejus quod variatur in objecto, ſeu ſtatuum ejus accidentalium, non poſſet tunc verificari, quod unum exiſtens comprincipium poſſet talia diverſa facere; cum tunc ad variationem ipſius objecti variaretur & ipſa in repræſentando, ſubindeque & intrinſecè & entitativè, ut probatum fuit ſupra in præmiſſis: ergo non gratis id dictum fuit. *Nota*

Item hoc idem colligo ex eo quod Deus in ſua eſſentia præciſo omni libero decreto non cognoſcit res creatas, niſi ſecundum quod eſt in eis invariatum, puta ſub ratione eſſentiæ & entis poſſibilis: ergo eſſentia Dei nuda ab omni decreto libero non repræſentat res niſi ſecundum id quod habent invariatum & invariabile, non autem ſecundum ſtatum variabilem & accidentalem earum, putà vel ſecundum exiſtentiam vel ſecundum carentiam exiſtentiæ, quorum quidem utrumque earum eſſentiæ omnino accidit: atqui ſpecies impreſſæ creatæ ſunt participationes eſſentiæ Dei prout repræſentantis naturaliter & independẽter ab omni *Nota*

decreto libero: Ergo dicendum eſt, quod ſpecies impreſſa ſolũ habet & accipit virtutem repræſentandi quidditatem & eſſentiam rerum, non vero exercitia accidentalia, quæ diverſa reperiuntur in eadem eſſentia & objecto; ſed quod horum repræſentatio ad ipſam pertinet ſpeciem expreſſam, ex eo ſcilicet quod cum talia exercitia ſint accidentia quædam accidentaliter conjungibilia cum objectis, eiſque convenientia ratione exiſtentiæ & durationis, debent per conſequens in ſui repræſentatione ad ipſas pertinere ſpecies expreſſas, quæ ſunt veluti exercitia & exiſtentiæ objectorum in eſſe intelligibili.

Vrgebis: nihil repræſentatur in ſpecie expreſsâ quod non repræſentetur in impreſſa, cum ſit illa expreſſio iſtius: Ergo vel debet ſpecies impreſſa ipſa exercitia ſeu ſtatus accidentales objectorum repræſentare, & non tantum quod eſt in ipſis invariatum; vel talia non poterit ſpecies expreſſa repræſentare.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: nihil repræſentatur in ſpecie expreſſa quod non repræſentetur in impreſſa, modo ipſi impreſſæ proprio, puta ſub ratione quidditatis, Concedo: quod non repræſentetur in impreſſa eodem modo quo in expreſſa puta ſub ratione exercitii, Nego. Concedo igitur quod ipſamet entitas exiſtentiæ & entitas præſentiæ ac ſingularitatis repræſentatur in ſpecie impreſſa; id tamen fit modo ipſi ſpeciei impreſſæ proprio, ſcilicet per modum quidditatis; cum tamen ſpecies expreſſa eaſdem entitates ſub ratione exercitli, ſi in re exercentur, vel exercitæ carentiæ, ſi non ſunt in re, repreſentet. Quæ doctrina non ineptè poterit explicari aliâ communiori, magiſque familiari, exemplo ſcilicet ſcientiæ Dei liberæ, & ſcientiæ Dei neceſſariæ, de quibus paſſim dicitur & docetur, quod nullam realitatem attingit ſcientia libera, quam non attingat ſcientia neceſſaria, cæterum cum diverſo modo; ſiquidem attingit ſcientia Dei neceſſaria per modum quidditatis & ſub ratione poſſibilis omnem entitatem, immò & omnem exiſtentiam ſingularitatem, ac quæcumque exercitia accidentalia, attingit, inquam, hæc omnia per modum quidditatis & ſub ratione poſſibilis, non vero per modum exercitii exerciti; cum è contra ſcientia libera attingat ſub ratione exercitii ſua objecta, & quatenus conjunguntur cum exiſtentia & ſingularitate exercitâ: Ita ergo quidquid attingit ſpecies expreſſa, attingit & impreſſa: diverſimodè tamen; nec mirum, cum ſint diverſæ rationis ad invicem.

Vrgèbis iterum: Inintelligibile eſt quod ſpecies impreſſa vim habeat producendi ſpecies expreſſas ita repræſentantes rès ſub ratione exercitii, & ſingularitatis exercitæ; & quod ipſa ita non repræſentet: ergo ruit Doctrina ſupra poſita. *Reſp.*

Reſpondeo negando antecedens: id enim facile intelligitur ſi ad ſequentia attendamus. Primò quod cum ſpecies impreſſa producere debeat expreſſam ut diverſæ rationis quamtumvis ſit ejus expreſſio, conſequenter fit quod cum ex illa diverſitate rationis, ſequi non poſſit quod aliquid repræſentetur in expreſſa quod nullo modo repræſentetur in impreſſa, alias male diceretur hujus expreſſio, inde inquam fit debere ſaltem ſequi quod alio modo repræſentetur in impreſſa & alio modo in expreſſa, proindeque quod in impreſſa repræſentetur ſub ratione quidditatis & poſſibilis, & in expreſſa ſub ratione exercitii, modo ſupra expoſito. Secundo id facile intelligitur ſi attendamus ad exemplum ſolis, quod quidem virtutem habet producendi aurum, quamvis diverſimodè contineatur aurum in ſole ac eſt in ſeipſo. Tertiò id facile intelligitur, ſi velimus attendere ad exemplum generationis naturalis & entitativæ, in qua quidem non continet generans omnia accidentia geniti, & tamen quia continet illud ſecundum naturam & quidditatem, poteſt illud generare cum variis illis accidentibus, propterea quod illa ſequuntur varia, hoc ipſo quod eſt generatio alterius: ergo & in generatione intentionali, qualis eſt productio ſpeciei expreſſæ, poterit ſpecies expreſſa intentionaliter genita & producta continere accidens, ſive ſtatus accidentales objecti, quamtumvis in ſemine ſeu ſpecie impreſſa objecti generantis minimè, aut certè non ita contineantur; quia, ut dicebamus ſupra, hoc de neceſſitate ſequitur, hoc ipſo quod ſpecies expreſſa quæ generatur & concipitur, generatur ut ſpecies diverſæ rationis. Tandem mirum eſſe non debet, quod admittamus nos, aliquid ita contineri in expreſſa, quod ita non contineatur in impreſſa; cum & ipſi, qui contra hoc arguunt, nobiſcum admittant, reperiri tum falſitatem, tum veritatem, tum diſcurſum in ſpecie expreſſa, quæ tamen in impreſſa non reperiuntur

Vrgebis ultimò, & inquires: Undenam ergo provenit quod ſpecies illa impreſſa, quæ talem vim habet producendi ſpeciem expreſſam ita repræſentantem res ſub ratione exercitii & ſingularitatis exercitæ, eam ab initio non produxit, ſed ſolum quando ponuntur de facto & in rerum natura ſingularia.

Reſpondeo, hoc ex eodem capite provenire in Angelis, quo & ipſe arguens cogitur reſpondere provenire in nobis, dum ex ſpecie impreſſa ſemel ab intellectu agente elicita, & in memoria conſervata, modo cognoſcimus objectum intuitivè & modo abſtractivè, ſive modo præſens, modo abſtrahens à præſentia. Si ergo hujus rationem quæram ab ipſo arguente, numquid & ipſe reſpondebit; & bene, hoc inde provenire quia ſpecies impreſſa ra-

tionem habet actus primi, qui quidem actus primus non eſt expeditus ut in actu ſecundo producat intuitionem objecti actualem, niſi objectum ipſum ſit actu exiſtens & præſens, quia actualis intuitio pendet ab exiſtentia & præſentia objecti. Cum verò poſtea ponitur & exiſtit objectum, fit tunc ſpecies illa impreſſa, ſeu actus ille primus intentionalis expeditus; non quidem per hoc quod mutetur intrinſecè ſpecies hæc impreſſa quoad actum primum, hoc enim totum habebat abſque tali extrinſeco; ſed quia ponitur iſtud connotatum extrinſecum à quo pendebat hæc ſpecies impreſſa quantum ad actualem influxum in ſpeciem expreſſam, quæ illud extrinſecum actu intuitivo repræſentaret.

Ita ergo ſimiliter dicendum de ſpecie impreſſa angelica; & ad majorem hujus intelligentiam placet id explicare exemplo fidei, ad hoc [meo judicio] aptiſſimo. Mea namque fides, v.g. quæ nunc eſt, poteſt obſcure cognoſcere omnia, quæ Deus revelaverit; Quod ſi Deus ea actu non habet revelata nunc, & poſtea revelet, quamvis nihil intrinſecum ponatur in fide, verificatur tamen quod ante revelationem actualem fides non poſſet ea credere ob defectum extrinſecæ applicationis, quâ factâ poteſt fides credere abſque intrinſeca mutatione ſui actus primi; iſta enim impotentia non erat intrinſeca, ſed extrinſeca modo explicato: ſic ergo à pari philoſophandum eſt de ſpecie impreſſa quoad productionem novam novæ ſpeciei expreſſæ quâ debet repræſentari ſingulare in àctu exercito & ſub exiſtentia. Notabis tamen, & quidem ſeriò quod vera eſt præfata doctrina, & à nobis ſolum admittitur ut vera in rebus, quæ conſiſtunt in actu primo, ut ſunt ſpecies impreſſæ & habitus fidei: at in rebus quæ conſiſtunt in actu ſecundo non ſic: Unde non poſſet Angelus eadem ſpecie expreſſa qua antea non cognoſcebat Petrum exiſtentem, nunc illum ita cognoſcere; Quia ſcilicet quidditas ſpeciei expreſſæ conſiſtit in actu ſecundo ſicut impreſſæ in actu primo; unde neque impreſſa abſque intrinſeca mutatione poteſt acquirere de novo vim repræſentativam, neque expreſſa poteſt de novo acquirere actualem repræſentationem abſq; intrinſeca mutatione.

Colliges igitur, ſpeciem impreſſam Angeli ſemper repræſentare eodem modo ſingularia; ſive exiſtant ſive non, non autem ita fieri de novo intrinſecè repræſentantem dũ producuntur ut volunt plures Thomiſtæ, quos, meo judicio, ſufficienter & ſatis efficaciter refutavimus in præmiſſis: eodem, inquam, modo repræſentare ſingulare, quia illud repræſentat, præciſè ut poſſibile, & per modum quidditatis: Neque propterea ſequitur de novo cognoſci & repræſentari ſingulare ſine ulla variatione & additione

facta

facta in Angelo ex parte ſpecierum ; quia quando ita cognoſcit Angelus ſingularia ut exiſtentia & præſentia, fit variatio & additio ex parte ſpeciei expreſſæ noviter productæ , non autem ex parte ſpeciei impreſſæ, quæ ſine variatione ſuæ repræſentationis per quam conſtituitur , habet poſſe producere diſtinctam ſpeciem expreſſam nunc poſito objecto à parte rei , quam non poterat antea, non quidem ob defectum virtutis intrinſecæ , ſed quia pendet eſſentialiter notitia intuitiva ab objecto præſenti; unde nequit cognoſcere Angelus an talia ſingularia futura ſint vel non: eo autem ipſo ac ſingularia ponuntur in rerum natura, expeditus eſt Angelus ad ea cognoſcenda & intueri, non quidem per additionem novæ ſpeciei impreſſæ, aut per variationem repræſentationis in impreſſa præſuppoſita , ut volunt illi contra quos egimus , ſed per additionem novæ ſpeciei expreſſæ, modo ſupra explicato.

COROLLARIUM.

In quo varia de Angelo expenduntur & reſolvuntur notatu digna.

Q*Vares* 1. utrum in Angelis poſſit eſſe diſcurſus proprie dictus.

Reſpondeo negativè. Pro quo notandum eſt quod ad verum & proprium diſcurſum non ſufficit, quod unum objectum ſit ratio cognoſcendi aliud: aliàs ſcientia Dei & viſio beatifica eſſent diſcurſivæ, cum eſſentia divina ſit ipſi Deo & beatis ratio cognoſcendi creaturas; imò & ipſa potentia viſiva eſſet diſcurſiva; cum lumen ſit illa ratio videndi colores : requiritur ergo ad verum diſcurſum quod non tantum ex parte objectorum exerceatur illatio & cauſalitas, ſed etiam ex parte actuum attingentium objecta , quod quidem accidit quando intellectus ex uno prius cognito devenit in cognitionem alterius poſterius cogniti: quamvis hæc prioritas & poſterioritas non ſit ſemper durationis, ſed ſæpe ſit naturæ & rationis : Jam ſic eſt quod in Angelis reperiri non poteſt talis ordo cognitionum, ſed ipſi potius uno & ſimplici intuitu & principia vident & in ipſis principiis concluſiones; tum quia id exigit natura Angelica ratione ſuæ perfectionis & exceſſus ſupra naturas intellectuales inferiores , ſeu rationales, in quibus ſcilicet ex imperfectione & debilitate lumi-

nis intellectualis provenit, quod non ſtatim intueantur ex vi viſionis principiorum concluſiones in ipſis contentæ; tùm quia quæ ſunt perfecta in aliquo genere non debent ſuam acquirere perfectionem eo modo quo illa quæ ſunt in eodem ordine imperfecta; qua de cauſa nec acquirit cœlum ſuam perfectionem per motum alterationis & augmentationis ſicut corpora inferiora; unde cum ſit Angelus perfectus in ordine intellectuali non debet conſequenter acquirere ſuam perfectionem per motum illum diſcurſivum, qualis eſt præfatus ordo cognitionum, eo modo quo intellectus humanus qui infimum tenet locum in eodem genere; non ergo diſcurrunt Angeli nec diſcurrere poſſunt; & ideo communiter dicuntur intelligentiæ, cum tamen homines appellentur rationales, quia ſcilicet homines ratiocinando ſeu diſcurrendo ad cognitionem veritatis perveniunt, Angeli vero per ſimplicem intuitum vident concluſiones in principiis & effectus in cauſis.

Quæres 2, ùtrum unus Angelus alium illuminet, & quomodo.

Reſpondeo, quod cum nomine illuminationis nihil aliud in præſenti intelligatur, quam manifeſtatio veritatis ignotæ, in quantũ ſcilicet, ſicut per lumen corporeum manifeſtantur colores, quando illuminantur; ita in ſpiritualibus cum veritas aliqua manifeſtatur dicitur fieri illuminatio, juxta illud ad Epheſios *5. cap.* Omne quod manifeſtatur lumen eſt, hinc colligunt communiter Theologi, quod unus Angelus alium illuminat putà ſuperior Angelus inferiorem, propterea quod accipiens à Deo veritatem in univerſali quadam conceptione quam inferior non poteſt percipere, utpote cui eſt connaturale attingere veritatem magis in particulari, cum non habeat ſpecies ita univerſales, ſicut Angelus ſuperior, ad ipſum conſequenter ſpectat ſuperiorem Angelum inferiori talem manifeſtare veritatem, utendo ſcilicet ſuis ſpeciebus inadæquatè & multiplicando actus, ut ita illam reddat proportionatam intellectui inferioris Angeli; Et hoc maximè ex eo quod ſicut Deus licet poſſit omnia per ſe ipſum immediatè cauſare, non tamen vult, ut ſcilicet perfectionem illam cauſandi tribuat creaturis; ita etiam nec vult omnes creaturas intellectuales per ſeipſum im̃ediatè illuminare, ſed aliquas aliis mediantibus, ut & hanc perfectionẽ illuminandi illis com̃unicet.

Nota. Quo autem modo fiat prædicta illuminatio, reſpondeo & dico cum D. Thoma, illam fieri ad modum cujuſdam artificioſi magiſterii, quatenus Angelus ſuperior proponit inferiori objectum anteà ipſi incognitum modo illi proportionato, & oſtendit medium ad illud concipiendum proportionatum. Ita D. Thomas

quæſt.

quæſt. 9. de verit. art 1. & 5. ubi ſic habet: Superior Angelus habet cognitionem de rebus per formas magis univerſales, unde inferior Angelus non eſt proportionatus ad accipiendam cognitionem à ſuperiori Angelo, niſi ſuperior Angelus cognitionem ſuam quodammodo dividat & diſtinguat, concipiendo in ſe illud de quo vult illuminare per talem modum quo ſit comprehenſibibile ab inferiori Angelo; & talem tunc conceptum ſuum alteri Angelo manifeſtando eum illuminat. Et eſt ſimile de Magiſtro qui videt diſcipulum non poſſe capere ea quæ ipſe cognoſcit, per illum modum quo ipſe cognoſcit, & ideo ſtudet diſtinguere & multiplicare per exempla, ut ſic poſſint à diſcipulo comprehendi. Hæc divus Thomas.

Quæres 3. quo modo fiat locutio Angelorum & in quo conſiſtat.

Reſpondeo, locutionem Angelorum conſiſtere in ſola ordinatione, ſeu directione conceptum per voluntatem loquentis ad eum cui loquitur, ut docet D. Thomas *quæſt. 9. de verit. art. 4.* adeo ut per hoc præciſè quod unus Angelus vult quod ſuus conceptus manifeſtetur alteri, per hoc præciſè fiat illi manifeſtus, ſubindeque & fiat locutio Angelica, quæ in tali conceptus manifeſtatione conſiſtit. Ratio autem hujus eſt, quia quilibet Angèlus natus eſt per ſpecies quas in ſe habet, ſine alia impreſſione vel actione objecti in ipſum, intelligere quidquid ad ſe pertinet: Jam ſic eſt quod per hoc præciſè quod unus Angelus voluntariè ordinat ſuum conceptum ad alium, eo ſcilicet fine, ut illi innoteſcat, eo ipſo reddit ejuſmodi conceptum de pertinentibus ad ipſum, cum eo ipſo cedat dominio & juri quod habet ſuper prædictum conceptum in quantum liberum, ut alteri occultetur: ergo per hoc præciſè quod unus Angelus ſuum ordinat conceptum ad alterum, eo fine ut ei manifeſtetur, eundem illi ſufficienter manifeſtat, ſubindeque Angelus ſic ſuum manifeſtans conceptum cenſetur ſufficienter alterum Angelum alloqui. Et hic dicendi modus facile ſalvat, quod locutio Angeli poſſit eſſe ſecreta & uni tantum cognita, quia ſcilicet Angelus loquens poteſt ſuum ordinare conceptum ad unum & non ad alios. Item facilè explicat quomodo poſſit unus Angelus alloqui ſimul plures alios etiam diſtantes, ſiquidem ad plures poteſt etiam diſtantes dirigere ſuum conceptum.

Quæres 4. ex quo, & ad quid diſtinguantur Angeli in Hierarchias & choros.

Reſpondeo diſtingui primo Angelos in Hierarchias, tum Hierarchias ſingulas in tres alios ordines ſeu choros pro diverſitate

munerum quæ ab iis exercentur ; unde tres primæ Hierarchiæ ordines, puta Seraphim, Cherubim, & Throni, ex ea dicuntur ordines primæ Hierarchiæ & primi ordines, quia Dei gloriam per ſe immediatè intendunt ; Seraphim quidem per amorem eximium ipſis proprium ; Cherubim per ſcientiam ; & ſic de aliis. Secunda vero Hierarchia dicitur ordine ſecunda, quia bonum commune mundi univerſi procurat, continetque dominationes, virtutes, ac poteſtates. Tertia denique Hierarchia dicitur ordine tertiâ ſive poſtrema, quia bono minus univerſali, puta hominibus gubernandis eſt deſtinata, ſuntque in ea. 1. Principatus, qui ſingulis gentibus præſunt, 2. Archangeli, iis hominibus addicti qui cæteros dignitate antecellunt, 3. Denique ſunt ij qui nomine communi appellantur Angeli, ac ſingulis hominibus ab ipſo ortu quaſi tutelares & cuſtodes dedicantur, juxta illud Davidicum: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Quæres 5. quænam ſint Angelorum naturales vires ad extra.

Reſpondeo, habere imprimis Angelos potentiam motricem, per quam non modo ſeipſos movent, ſed etiam & alia extra ſe. Ita enim movent cælos ; ita ſpiritus alios, perindè ac humanas animas ; ita moles corporeas è loco ad locum deferunt; item & projectis impetum imprimunt. Item poſſunt quoque ad extra per ſe & directè præter motum localem producere, & lumen, aut alias id genus qualitates perfectivas. Sic dicitur Angelus apparuiſſe D. Petro in carcere, & fulgorem emiſiſſe ; ſicque ab iis aſſumpta corpora plerumque refulgent. Nihilominus qualitates alterativas, iiſque mediantibus opera naturalia per ſe & directè attingere non poſſunt, ſed tantum indirectè per potentiam motricem, applicando activa paſſivis, ita vulgo omnes cum D. Thoma, cujus ratio eſt, quia quæcumque ſcimus fieri ab Angelis, hoc ſolum pacto poſſunt perfici : nec apparet quo modo rerum naturalium generationes ullæ in earum virtute activa aut formaliter aut eminenter & virtualiter contineantur. Quod enim ſint ſuperiores natura corporea, non ſequitur ut effectus illos naturales directè poſſint attingere ſatiſque aliunde fuit proviſum tuendo bono univerſi per agentia corporea. Licet autem ita applicando activa paſſivis plura & mira præſtare poſſint, puta ex corporibus inanimatis unum transformare in aliud, longè facilius quam Chymici ; creare aut curare morbos ; grandines, procellas, tonitrua & ſimilia meteorologica ciere, item extaſim ſeu raptum naturalem inducere, ligando ſenſus exterio-

res

res & obſtruendo aditus ſpirituum animalium, aut illos potius cogendo ad organum imaginationis; quo in ſtatu Magi ac Sagæ deludi ſolent à Dæmone, dum hac ratione putant ſe varia peragrare loca, frequentare varios hominum cœtus, menſis lautiſſimis accumbere, & cætera id genus, nunquam tamen à Dæmone patrantur vera miracula; cum ſupra naturæ vires nihil præſtare poſſit. Alioquin argumentum ad comprobandam Chriſtianæ fidei veritatem petitum ex miraculis non eſſet efficax; nec diceret Chriſtus Judæorum incredulitatem excuſari non poſſe, quia fecerat ſigna, quæ ab alio prodire non poterant quam à Deo. Item nec poteſt ordo univerſæ naturæ turbari ab Angelis ſeu Dæmonibus; non enim inquit S. Scriptura Deus illis ſubjecit orbem. Unde nec poſſunt inducere vacuum, ut docetur in phyſica; nec poſſunt totum aliquod elementum transferre alium in locum.

Quæres ultimò Quotupliciter fieri poteſt apparitio Angelorum & quænam requirantur conditiones ut corpus aſſumant?

Reſpondeo, Angelos tum bonos tum malos poſſe ſenſibiliter apparere variis modis. Primus eſt internus & purè imaginarius; quomodo apparent dormientibus; ut B. Joſepho *Matth. 1. & 2. cap.* quod quidem fit vel imprimendo aliquam ſpeciem imaginationi, vel ſpecies jam in ea exiſtentes convenienter eum in finem diſponendo. Secundus verò modus eſt per illuſionem ſenſuum externorum. Tertius eſt aſſumendo ſibi verum aliquod corpus, vel hominis vel animalis, vel alterius rei cujuſcunque. Quo pacto Dæmon aliquando ex ſtatuis & arboribus fundebat oracula; vel certè; quæ eſt maxima ejus induſtria & agendi facultas, formando & aptando ſibi corpus ex aere & exhalatione, vel alia ſimili ex materia. Quâ formâ olim apparuere Angeli Abrahamo, Tobiæ, aliiſque veteris teſtamenti Patriarchis. Quantum verò ad requiſitas conditiones, ut ſcilicet corpora aſſumant, dico ad hoc inprimis requiri, ut corpus aſſumptum ſit Angelo intimè præſens, ipſumque ſibi ſubordinet Angelus tanquam inſtrumentum ad aliquas operationes, nec ſit ſolum motor extrinſecus; ac maximè tandem ut per operationes illius corporis ſenſibiles dicatur repræſentari. Alioquin quamvis Angeli ſint præſentes cœlis quos movent, ipſiſque aſſiſtant tanquam motores mobilibus; non ideo dicuntur cœlos ſibi aſſumere, aut per eos ſe ſe repræſentare. Ita nec propriè dicuntur apparere in energumenis.

LIBER

LIBER II.

De ente increato ſive de Deo.

CUM ea, quæ non niſi revelatione nobis innoteſcunt de Deo, juris ſint Theologici, ideo hoc in libro ea tantum exponemus, quæ nobis per creaturas poſſunt de Deo innoteſcere, niſi forſan ſe ſe offerat occaſio admiſcendi nonnulla quæ & fides & Theologia nos edocent. Cæterum in probando ejuſdem exiſtentiam non multum immorabimur; cum fidem exiſtentis Dei omnia faciant, puta concentus ipſe omnium gentium, orbis hujus machinatio, pulchritudo & nexus rerum, conſpiratio ad unum eumdemque finem, adminiſtratio mundi, mentis noſtræ propenſio ad Deum tanquam ad finem ultimum, à quo ſolum poteſt perfectè ſatiari & expleri noſter appetitus, ut docebimus *in Ethica*. Quod ſi quæratur utrum exiſtentia Dei poſſit à Metaphyſico demonſtrari rationibus adeo firmis, ut ab iis nec infidelis quidem nec impius valeant ſe expedire. Reſpondeo ad hoc, quod ſi quæſtio inſtituatur de demonſtratione à priori, fateor, exiſtentiam Dei eſſe omninò indemonſtrabilem, quia nulla datur cauſa divinæ exiſtentiæ: ſi autem ſermo inſtituatur de demonſtratione à poſteriori, verè demonſtrari poteſt Dei exiſtentia, & quidem innumeris ferè rationibus, ſed inſtar omnium ſit ſequens.

Demonſtratur Dei exiſtentia. Omne ens factum eſt vel non factum: ſed impoſſibile eſt omne ens eſſe factum: ergo neceſſario datur aliquod ens non factum, quod eſt Deus. *Major* terminis conſtat contradictoriis, adeoque à nemine negari poteſt. *Minor* vero probatur ſic. Si tota entium collectio eſſet facta, vel eſſet facta ab aliquo ente quod ſit extra collectionem, vel ab aliquo ente quod intra totam entium collectionem contineatur: ſed nec primum nec ſecundum dici poteſt; non quidem primum, quia extra totam entium collectionem, nullo planè dempto, nullum poteſt reperiri ens: ſed nec poſterius dici poteſt, puta quod tota entium colle-

ctio facta eſſet & dependens ab aliquo ente, quod intra totam entium collectionem contineatur; alioqui ens illud debuiſſet à ſeipſo fieri & dependere, cum tota entium multitudo intra quam ipſum ſupponitur, ſupponatur ab eo facta & dependens, quæ tamen ſequela omnino implicat, ſic enim idem eſſet, & non eſſet; eſſet quidem quia ſeipſum primò produceret, & non eſſet quia primò produceretur: ergo impoſſibile eſt quod omne ens ſive tota entium collectio ſit facta; adeoque omnino efficaciter habetur inde & evidenter, dari ens aliquod non factum, quod quidem eſt quod ipſo Dei nomine intelligendum venit.

Quod ſi dicas, ſi ea vis eſt demonſtrationis à nobis propoſitæ, ut vel ab impiis quibuſvis, ac ſceleratis hominibus conſenſum extorqueat; cur ergo dixit inſipiens in corde ſuo; *non eſt Deus*? ad hoc reſpondeo primò eos omnes qui Deum inficiantur, non ſemper ex animo inficiari, & quovis tempore & modo: inſipiens enim dum in corde ſuo dicit Deum non eſſe, non tam Deum negat quam Deum judicem, ejuſque ſcelerum ac inſipientiæ ultorem: ſed addo an quia Oſtrea non audiunt, non olfaciunt; ideo nihil eſt ſoni & odoris? an quia Talpæ cæcutiunt, propterea nihil eſt coloris vel luminis? ergo à ſimili an quia cerebroſi & tenebroſi homines, ac malè feriati Deum non eſſe ſuſpicabuntur, his fidem adhibebimus, Deumque exiſtere negabimus? *Nota.*

QUÆSTIO I.

De entis increati conſtitutivo, per quid conſtituatur Deus ſub ratione natura.

PRæmittendum primò, Quod ſicut in rebus creatis non exprimimus unico conceptu omnem perfectionem unius objecti, ſed pluribus & diverſis conceptibus: & ſic rationem entis concipimus ut primam, uno & diſtincto conceptu ab alio, quo concipimus bonitatem, ut ſubſecutam: multo minus poterimus exprimere in Deo uno ſolo conceptu omnem Dei perfectionem, quantumvis ſimpliciſſimam, ſed neceſſitati debemus ad multiplicationem conceptuum, ut valeamus intelligere quæ ſunt in Deo. Unde ſequitur quæſitum tituli non procedere de Dei natura ut accepta ſecundum ſe, ut eſt in Deo & ut à Deo intelligitur; cum ut talis ſit una ſimpliciſſima & infinitè perfecta entitas.

omnia ſimpliciſſimo modo in ſe adunans, quæ non poteſt à nobis ita concipi nec conſequenter à nobis ſub hac ratione inveſtigari; ſed procedit quæſtio de Deo, ſecundum quod illum aut illius infinitam perfectionem diverſis explicamus conceptibus; itaut ſenſus ſit, quid ex noſtro concipiendi modo habeat in Deo rationem naturæ reſpectu aliorum quæ concipimus nos in Deo ut attributa, ſive quis ex multiplicatis conceptibus quos formamus de Deo obtineat ex parte objecti rationem naturæ?

Hinc autem manet rejecta ſententia Scoti & ſequacium, qui volunt quod natura Dei ſub ratione naturæ conſiſtat in cumulo illo infinito divinarum perfectionum, ſive in omnibus perfectionibus & prædicatis repertis in Deo, quatenus illa omnia à nobis intelliguntur per modum unius ſimpliciſſimæ entitatis: eſto enim quod vera ſit hæc aſſertio loquendo de Deo ſecundum ſe, *Nota.* eò quod ſcilicet ex modo eſſendi habent omnia hæc in Deo ſecundum ſe majorem ſimplicitatem, & unitatem, quam aliquis conceptus objectivus quantumlibet præciſus habet ex modo noſtro intelligendi, cum habeant illa ex modo eſſendi infinitam ſimplicitatem & unitatem: vera tamen eſſe non poteſt loquendo de Deo & de Dei natura juxta noſtrum concipiendi modum finitum, ut de facto loquimur, immò & ut poſſumus tantum loqui: ſiquidem tali concipiendi modo finito & limitato non valemus ea omnia quæ in Deo ſunt exprimere unico conceptu; ac proinde nec ſimpliciſſimam Dei naturam, quam quidem uno conceptu oportet exprimere, debemus ex his omnibus quæ ſunt in Deo adintegrare & conſtituere.

Præmittendum 2. Varia eſſe judicia & ſententias etiam inter Thomiſtas circa propoſitam difficultatem, inter quas tamen celebrior eſt ſententia eorum, qui dicunt, naturam Dei conſiſtere in gradu intellectivo, ſeu conſtitui debere per aliquid explicitè pertinens ad talem gradum, utpote qui inter gradus tres qui ſunt naturarum conſtitutivi, puta eſſe, vivere & intelligere eſt omnium perfectiſſimus, utpote omnium actualiſſimus. Quia verò in tali gradu intellectivo etiam ut ad Deum pertinente, hæc duo reperiuntur, puta ipſum intelligere puriſſimum & actualiſſimum, & ipſum principium radicale intelligendi: magna propterea & celebris eſt controverſia inter Thomiſtas, an ſcilicet conſtituatur Dei natura per ipſum intelligere puriſſimum, actualiſſimum & ſubſiſtens, ſive per ipſum gradum intelligendi ut redactum ad actum ſecundum actualis intellectionis.; an potius per ipſum gradum intelligendi ſub ratione principii radicalis & prout habens rationem prioris reſpectu ipſius actus ſecundi, ſeu actualis

intellectionis. Primum communiter amplectuntur hodie juniores Thomiſtæ cum Salmanticenſibus & Joanne a ſancto Thoma; & quia actus ille ſecundus intellectionis, ſeu intelligere puriſſimum & actualiſſimum, in quo ſtabiliunt ipſam Dei naturam, ſi ab ipſo diſtingueretur principio proximo vel radicali intelligendi, etiam virtualiter, non videretur eſſe primum, quod conciperetur in Deo, ſed aliud præſupponeret, ac proinde nec haberet rationem conſtitutivi; propterea prædicti authores nullam omnino admittunt diſtinctionem fundamentalem inter principium radicale, proximum, & actionem ſeu actum ſecundum cujuſcumque gradus in Deo reperti; hancque volunt eſſe regulam generalem, quantum ad diſtinctionem virtualem divinorum ab invicem, quod omnia quæ ſunt unius & ejuſdem lineæ in Deo, ſunt omnino indiſtincta.

Verum alii ex Thomiſtis contradicunt, aſſignantes pro ipſa Dei natura gradum ipſum intelligendi, non prout redactum ad actum ſecundum, nec prout dicit principium proximum intelligendi, ſed ſub ratione principii radicalis intelligendi, à quo intelligitur oriri & principium proximum intelligendi, & ipſam intellectionem, & etiam principium proximum volendi, & ipſam volitionem tanquam attributa ab eo virtualiter diſtincta, ſive diſtincta penès implicitum & explicitum. Hanc ſententiam docent Cornejo, Aravio, Serra, & alii plures, atque in eam omnino inclinaſſe Cajetanum colligo ego ex his quæ habet in commentario ſupra primam partem *quæſt.14. art.5.§. ad hoc dicitur*, ubi docet expreſsè in prima ſolutione, hanc propoſitionem [intelligere Dei eſt ejus eſſentia] ſolum eſſe veram in ſenſu identico, & non in formali; & licet in ſecunda ſolutione eam admittat in ſenſu formali, loquitur tunc expreſsè de eſſe Dei ſub ratione cauſæ; quia cum Deus operetur & cauſet per intellectum, eſſe Deum cauſam, eſt eſſe intelligentem, & cauſatio Dei eſt ejus intellectio. Unde infra *quæſt.85. articul. 4. §. circa differentiam* perſiſtit in prima ſolutione admittens expreſsè diſtinctionem rationis inter intelligere Dei & ejus eſſentiam.

Præmittendum ultimò, Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque vim habitura principii reſpectu inferendæ concluſionis, puta quòd *conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum*: quòd *conſtitutivum illud Dei de quo inquiritur, eſt conſtitutivum juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum*: quod *Deus etiam ſub ratione naturæ participabilis eſt & participatur.* Primò quidem

con-

conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum, cujus ratio eſt, quia hujuſmodi conſtitutivum debet eſſe tale, quod diſtinguat & Deum ab eo omni quod non eſt Deus ſive ab omni creatura, & Dei naturam ab eo omni quod in Deo non eſt natura, ſeu quod non habet rationem naturæ; jam ſic eſt quod id quod in Deo eſt primum & actualiſſimum hæc duo habet: habet enim inquantum actualiſſimum, quod Deum diſtinguat ab eo omni quod non eſt Deus, ſive ab omni creatura, utpote quæ habet ſemper aliquid potentialitatis admixtum; & habet inquantum primum quod diſtinguat Dei naturam ab eo omni quod in Deo non eſt natura, ſeu non habens rationem naturæ; id enim ſolum quod rationem habet naturæ habet rationem primi & prioris; cum tamen cætera rationem habeant virtualiter poſterioris & ſubſecuti: ergo veriſſimum eſt primum illud, quod ſcilicet conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum.

Quantum verò ad ſecundum puta, quod conſtitutivum Dei de quo inquiritur eſt conſtitutivum juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum præterquam quod fuit ſupra in primò præmiſſis inſinuatum, poteſt ulterius ſuaderi ſic: conſtitutivum quod inquiritur eſt & eſſe debet tale, quod à nobis inveſtigari poſſit atque reſolvi: ergo eſt & debet eſſe tale, quod per conceptus noſtros attingi poſſit: jam ſic eſt quod non niſi imperfectè concipimus pro hoc mortali ſtatu ea quæ Dei ſunt & ad modum rerum creatarum: ergo conſtitutivum quod inquiritur eſt conſtitutivum juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum; *Nota.* unde & ſenſus quæſiti eſt quinam ex multiplicatis conceptibus quos formamus de Deo, habet ex parte objecti rationem conſtitutivi, qui quidem ſenſus locum non haberet, ſi non ageretur de Dei conſtitutivo juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum, cum ſolum juxta illum multiplicentur ex parte objecti conceptus de Deo habiti.

Tandem quantum ad tertium, quod ſcilicet Deus etiam ſub ratione naturæ participabilis eſt & participatur, verificatur in gratia habituali, juxta illud ſecundæ Petri primo capite: per quam maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit; ut per hanc efficiamini divinæ conſortes naturæ; unde & docent communiter Theologi gratiam habitualem conſtituere homines filios Dei adoptivos, quia eſt participatio ſpecialis ejus quod in Deo habet rationem naturæ, non attributi. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit,

CON-

CONCLUSIO: *Non conſtituitur Deus ſub r..*'*ione naturæ per gradum intelligendi ſub ratione actus ſecundi, ſeu actualis intellectionis; ſed ſub ratione principii radicalis intelligendi.*

Probatur 1. Ex primo præmiſſo principio; *conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum*: ergo non ipſum intelligere actuale, ſed principium radicale intelligendi eſt conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ. *Probatur conſequentia:* Principium radicale intelligendi ut ab intellectione condiſtinctum rationem habet nedum primi, ſed etiam actualiſſimi: ergo hoc ipſo quod conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum, non ipſa intellectio ſed ipſum principium radicale intelligendi habet eſſe tale conſtitutivum. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: per hoc ſolum quod diſtinguitur principium radicale intelligendi ab intellectione penes implicitum & explicitum rationem habet primi: ſed per hoc quod diſtinguitur ſolum penes implicitum & explicitum rationem habet actualiſſimi: ergo principium radicale intelligendi ut ab intellectione condiſtinctum eſt in Deo & primum & actualiſſimum. *Major* per ſe patet, & ab adverſariis conceditur, qui propterea omnem excludunt diſtinctionem inter principium intelligendi & divinam intellectionem, eo quod tunc non haberet intellectio rationem primi, ſed ſolum ſecundi & poſterioris. *Probatur Minor* triplici medio.

Primò diſtinctio quæ eſt ſolum penes implicitum & explicitum excludit explicitè diſtinctionem majorem: ergo diſtinctio quæ eſt ſolum penes implicitum & explicitum, explicitè importat realem identitatem: ſed realis identitas inter principium radicale intelligendi & intellectionem dicit in utroque infinitam actualitatem; cum in utroque adunet omnem actualitatem ſui generis, puta tum actus primi tum actus ſecundi: ergo principium radicale intelligendi, ut ſolũ diſtinctũ ab intellectione penès implicitum & explicitum dicit explicitè infinitam actualitatem, ſubindeq; & ſervat rationẽ actualiſſimi etiã in conceptu explicito

Secundò in tantum diſtinctio illa penès implicitum & explicitum tollere poteſt ab aliquo rationem actualiſſimi, inquantum in eo ponit rationem perfectibilis, ſive actuabilis: ſed inſufficiens eſt talis diſtinctio ad ponendum in aliquo rationem perfectibilis ſive actuabilis: ergo & inſufficiens eſt ad tollendum rationem actualiſſimi. *Prob. Minor:* ſi poſſet diſtinctio illa penès implicitum & explicitum ponere in aliquo rationem perfectibilis, maximè in perfecto reſpectu ſuæ perfectionis: ſed ſic eſt quod datur perfectum à ſui perfectione ita diſtinctum, quod tamen non

 habet

habet rationem perfectibilis, ut patet in eſſentia divina reſpectu attributalium perfectionum : ergo inſufficiens eſt diſtinctio illa penes implicitum & explicitum, ad ponendum in aliquo rationem perfectibilis ſive actuabilis.

Tertiò non eſt potior ratio quod ſervet divina entitas rationem actualiſſimi, ut taliter diſtincta ab intelligibilitate, quam principium radicale ut diſtinctum ſimiliter ab intellectione; cum in doctrina eorum, contra quos agimus, divina entitas & intelligibilitas, ſicut eſſentia & natura ſint unius & ejuſdem lineæ, non minus quam principium radicale intelligendi & ipſa intellectio : atqui divina entitas rationem ſervat actualiſſimi; & tamen diſtinguitur ab intelligibilitate penes implicitum & explicitum; cum de ente, quod eſt objectum Metaphyſicæ demonſtretur quod ſit intelligibile quia eſt ens; & tale ens commune ſit analogicè ſaltem tum Deo, tum creaturis : ergo per hoc quod diſtinguitur ſolum principium radicale ab intellectione penes implicitum & explicitum rationem ſervat actualiſſimi : ergo principium radicale ut in Deo condiſtinctum ab intellectione eſt & primum & actualiſſimum : ergo hoc ipſo quod conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ eſt, quod in eo eſt primum & actualiſſimum [quod eſt primum præmiſſum principium] eſt hoc ipſo gradus intelligendi conſtitutivum Dei ſub ratione principii radicalis intelligendi, non verò ſub ratione intellectionis.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio : *conſtitutivum de quo inquiritur, inquiritur juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum :* ergo non eſt intelligendi gradus conſtitutivum Dei ſub ratione intellectionis actualis, ſed principii radicalis intelligendi. *Probatur conſequentia* : loquendo juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum nequit actualis intellectio eſſe primum quod in Deo concipimus : ergo hoc ipſo quod conſtitutivum de quo inquiritur, inquiritur juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum, nequit ipſa actualiſſima intellectio eſſe qua talis conſtitutivum Dei *Conſequentia* eſt evidens, cum conſtitutivum debeat eſſe primum quod in re concipimus. *Probatur antecedens.* Quod facit ſeu arguit modum noſtrum concipiendi imperfectum, quia concipitur ut ſecundum, nequit eſſe primum quod in Deo concipimus juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum : ſed actualis illa Dei intellectio facit ſeu arguit modum noſtrum concipiendi imperfectum, quia concipitur ut ſecundum : ergo loquendo juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum nequit actualis intellectio eſſe primum quod in Deo concipimus. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* :

ideo ex modo noſtro concipiendi divinam intellectionem imperfectè concipimus,quia concipimus ad modum creatæ intellectionis; per hoc enim explicatur communiter & à Philoſophis & Theologis modus ille noſter concipiendi imperfectus reſpectu divinorum,quia ſcilicet, inquiunt, ea non niſi ad modum creaturarum concipimus: ſed concipere ad modum creatæ intellectionis eſt concipere ad modum ſecundi & ſubſecuti: ergo ideo imperfectè concipimus pro hoc mortali ſtatu divinam intellectionem,quia concipimus ad modum ſecundi: ergo actualis illa Dei intellectio facit ſeu arguit modum noſtrum concipiendi imperfectum, quia concipitur ut ſecundum: ergo loquendo juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum nequit actualis intellectio eſſe primum quod in Deo concipimus: ergo hoc ipſo quod conſtitutivum de quo inquiritur,inquiritur juxta imperfectum noſtrum concipiendi modum,nequit hoc ipſo gradus intelligendi eſſe conſtitutivum Dei ſub ratione intellectionis actualis & ſubſiſtentis, bene quidem ſub ratione radicalis principii præfatæ intellectionis.

Probatur tertiò Ex tertio præmiſſo principio: *Deus etiam ſub ratione naturæ participabilis eſt & participatur:* ergo conſtituitur Deus ſub ratione naturæ per gradum intelligendi ſub ratione principij radicalis,non autem ſub ratione intellectionis. *Probatur conſequentia:* non poteſt participari Deus ſub ratione naturæ & non conſtitui per id quod participatur ab habente rationem naturæ: ſed quod participatur ab habente rationem naturæ eſt ipſum radicale principium intellectionis, non autem ipſa intellectio: ergo hoc ipſo quod participatur Deus ſub ratione naturæ,conſtituitur hoc ipſo per eſſe radicale principium intellectionis divinæ, non vero per ipſammet actualem intellectionem. *Minor* conceditur; gratia namque habitualis quæ quidem ſola eſt id quod participat Deum ſub ratione naturæ, ut ſupra diximus,eſt in nobis principium radicale & mediatum viſionis & amoris Dei & reliquarum operationum ſupernaturalium. *Probatur Major:* non poteſt non conſtitui Deus ſub ratione naturæ per id in quo conſiſtit talis ratio: ſed hoc ipſo quod participatur Deus ſub ratione naturæ, conſiſtit tunc talis ratio in eo quod participatur ab habente rationem naturæ, ut patet ex terminis: Ergo non poteſt participari Deus ſub ratione naturæ,& non conſtitui per id quod participatur ab habente rationem naturæ: Ergo cum id quod participatur ab habente rationē naturæ ſit ratio principij radicalis intellectionis,&c. non poteſt non conſtitui ratio naturæ in Deo per eſſe radicale principium

divinæ intellectionis hoc ipſo quod participatur Deus etiam ſub ratione naturæ, quod eſt tertium præmiſſum principium.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Fundatur veritas concluſionis in virtuali diſtinctione quæ admittitur inter principium radicale intellectionis, & ipſam intellectionem: ſed admitti non poteſt nec debet talis diſtinctio: Ergo vera non eſt præfata concluſio. *Probatur Minor:* quæ ſunt unius & ejuſdem lineæ, non debent in Deo virtualiter diſtingui: ſed principium radicale intellectionis & intellectio ſunt unius & ejuſdem lineæ: Ergo inter principium radicale intellectionis & intellectionem admitti non debet virtualis diſtinctio. *Minor* patet: *Probatur Major:* ibi tantum admittitur in Deo virtualis diſtinctio, ubi verificatur, quod per unum æquivaleat pluribus ut plura ſunt; ex eo ſcilicet quod tunc tantum ſit reſpectu illorum virtualiter multiplex: ſed reſpectu illorum quæ ſunt unius lineæ non habet Deus æquivalere pluribus ut plura ſunt, ſed potius ut unum ſunt, ſeu ut unius ſunt lineæ: Ergo reſpectu illorum quæ ſunt unius lineæ, non eſt in Deo virtualis diſtinctio.

Reſpondeo Negando Minorem primi argumenti & majorem ſecundi, quarum falſitatem colligo ego, & quidem [meo judicio] irrefragabiliter ex D. Thoma, ex his quæ habet *1. p. qu. 25. art. 1. ad 3.* ubi ſic diſcurrit: ***In Deo ſalvatur ratio potentiæ quantum ad hoc quod eſt principium effectus, non autem quantum ad hoc quod eſt principium actionis niſi ſecundum modum intelligendi, prout divina eſſentia, quæ in ſe ſimpliciter præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, poteſt conſequenter intelligi & ſub ratione actionis & ſub ratione potentiæ.*** Hæc D. Thomas, ex quibus argumentor ſic: ex D. Thoma ibi admittitur in Deo diſtinctio inter ipſam potentiam & ipſam actionem ſecundum modum intelligendi, cum ſecundum modum intelligendi intelligatur potentia ſub ratione principii, & actio conſequenter ſub ratione non principii, ſed hujus quod eſt à principio: Jam ſic eſt quod diſtinctio illa ſecundum modum intelligendi habet ex eodem D. Thoma fundamentum in re; & quidem idem, quod aſſignare ſolent Theologi in diſtinguendo miſericordiam in Deo à juſtitia; cum hoc aſſignare ſoleant in eo quod Deus cum in ſe præhabeat quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, poteſt conſequenter intelligi & ſub ratione miſericordiæ, tum ſub ratione juſtitiæ & in verbis citatis dicat D. Thomas quod ſalvatur in Deo ſecundum modum intelligendi ratio potentiæ & actionis,

quia

quia divina eſſentia, quæ in ſe præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis poteſt conſequenter intelligi & ſub ratione actionis & ſub ratione potentiæ: ergo verè admittitur & admitti debet in Deo diſtinctio rationis fundamentalis ſeu virtualis inter potentiam & actionem; atqui potentia & actio cujus eſt potentia ſunt unius & ejuſdem lineæ: ergo verè admittitur & ex D. Thoma admitti debet diſtinctio rationis fundamentalis ſeu virtualis in Deo inter ea quæ ſunt unius & ejuſdem lineæ.

Unde ad ultimum, diſtinguo minorem: ſed reſpectu eorum quæ ſunt unius lineæ habet ſolum Deus æquivalere pluribus ut unum ſunt, ſeu ut unius ſunt lineæ, unitate ſecum patiente realem multiplicitatem, Concedo: ut unum ſunt unitate excludente pluralitatem & multiplicitatem realem, Nego. Non ergo impedit unitas illa lineæ quo minus Deus unus exiſtens & æquivalens per unum pluribus illis quæ in ea ſunt, æquivaleat pluribus ut plura ſunt, ſitque exinde virtualiter multiplex, cum unitas illa lineæ talis ſit naturæ quod involvat immò & exigat plura quæ ſimpliciter & realiter plura ſint, utpote quæ ſe habere debent per modum actus primi & actus ſecundi, radicis & radicati, potentiæ & actus; quæ in creatis ſunt ſimpliciter & realiter plura; unde ſicut unitas lineæ abſolutæ in qua adunantur in nobis ſapientia & bonitas non impedit, quo minus Deus æquivalens per unum & ſapientiæ & bonitati in nobis, æquivaleat pluribus ut plura ſunt, ſitque dicendus reſpectu illorum virtualiter multiplex, ex eo ſcilicet quod unitas illa lineæ abſolutæ talis eſt naturæ, quod ſecum patitur plurium diſtinctionem ſive realem multiplicitatem: ita cum unitas illa lineæ in qua adunantur in nobis principium intelligendi & ipſa intellectio ſimiliter involvat plurium diſtinctionem & realem multiplicitatem, conſequenter fit, adhuc verificari quod Deus per unum illis æquivalens, etiam ut unius ſunt lineæ, adhuc æquivaleat pluribus ut plura ſunt. *Nota.*

Inſtabis: Intellectus in Deo, quantumvis æquivaleat pluribus noſtris intellectibus non propterea dicitur virtualiter diſtinctus nec virtualiter multiplex: ſed non alia hujus afferri poteſt ratio, niſi quia illis æquivalens æquivalet pluribus ut unius ſunt lineæ: ergo nec eſt dicendus Deus virtualiter diſtinctus in ratione principii intelligendi & ipſius intellectionis, hoc ipſo quod tale principium & talis intellectio ſunt unius & ejuſdem lineæ.

Reſpondeo Negando Minorem, cujus quidem falſitas abundè patet ex dictis in præcedenti ſolutione. Non igitur divinus intellectus ex eo quod æquivaleat pluribus noſtris intellectibus

non dicitur virtualiter ſive fundamentaliter diſtinctus, quia intellectus noſtri quibus æquivalet, ſunt unius lineæ; ſi enim valeret hæc ratio, nec attributa abſoluta ab invicem diſtinguerentur virtualiter in Deo; cum detur unitas lineæ, puta lineæ abſolutorum, in qua illa adunantur in nobis & diſconveniunt ab ijs quæ ſunt in linea relativorum; ſed ideo non dicitur nec eſt divinus intellectus virtualiter diſtinctus quamtumvis taliter æquivaleat, quia ſcilicet ut exurgat inde virtualis illa, ſeu fundamentalis diſtinctio in Deo, duæ requiruntur conditiones, quarum una non adeſt ſed potius omnino deeſt in præſenti caſu: requiritur enim primò quod æquivaleat Deus unus exiſtens pluribus; ſed ſecundò requiritur, quod illa plura quibus æquivalet, ſub ea ratione ſub qua diſtinguuntur transferantur in Deum, & in Deo reperiantur, ut ſcilicet poſſint in eo facere membra aut quaſi membra diſtinctionis: & ita quia [exempli gratia] attributum relativum & abſolutum ſub ea ratione relativi & abſoluti, qua in nobis diſtinguuntur, transferuntur in Deum, & in Deo reperiuntur incluſa, inde fit quod illa virtualiter diſtinguantur in Deo, & faciant membra aut quaſi membra diſtinctionis: ſimiliter quia principium intelligendi & intellectio ſub ea ratione, qua in nobis diſtinguuntur, puta ſub ratione principij & actionis, vel actus primi & actus ſecundi transferuntur in Deum, ideo etiam fit quod, hoc ipſo quod Deus unus exiſtens illis æquivalet, exurgat in Deo virtualis diſtinctio & virtualis multiplicitas inter illa: è contra verò quia ratio ex qua & ſub qua diſtinguuntur & multiplicantur in nobis intellectus non transfertur in Deum nec in Deo reperitur; cum ratio diſtinctionis & pluralitatis intellectuum non ſit alia quam finitas & limitatio eorumdem: ideo fit quod quamvis Deus per unum æquivaleat pluribus noſtris intellectibus, non propterea exurgere debeat in divino intellectu virtualis multiplicitas & virtualis diſtinctio. *Nota.* Unde hanc notari & haberi velim regulam generalem, ad cognoſcendum quandonam & inter quæ admitti debeat in Deo virtualis diſtinctio ex diſtinctione & multiplicitate creatorum entium quibus æquivalet: Quandocumque æquivalet Deus pluribus in nobis realiter diſtinctis, quæ quidem ſub ea ratione quâ & ex qua diſtinguuntur, transferuntur in Deum, & in Deo reperiuntur, toties inter illa admitti debet in Deo virtualis diſtinctio.

Urgebis: Non poteſt admitti virtualis illa ſeu fundamentalis diſtinctio inter principium intelligendi & intellectionem, quin hoc ipſo concipiatur à nobis intellectio ad modum actus eliciti: ſed impoſſibile eſt à nobis concipi intellectionem Dei ad modum actus eliciti, loquendo ut in præſenti loquimur

de

de conceptu theologico & à nobis Theologis formato: ergo, &c. *Major* per ſe patet, ſiquidem hoc ipſo concipitur divina intellectio per modum actus profluentis a principio a quo concipitur diſtingui. *Probatur minor* : Qui ſcit intellectionem divinam eſſe actum inelicitum, non poteſt hoc ipſo eam ad modum actus eliciti concipere; ſed ſcimus nos Theologi, divinam intellectionē actum eſſe inelicitū: ergo loquendo, ut loquimur de conceptu Theologico concipere non poſſumus Dei intellectionem admodum actus eliciti.

Reſpondeo negando minorem : ad cujus probationem nego majorem : non enim duo hæc ſunt incompoſſibilia, puta quod ſciam divinam intellectionem eſſe actum inelicitum, & quod illam concipiam ad modum actus eliciti: cujus ratio eſt, quia concipitur divina intellectio ad modum actus eliciti hoc ipſo & per hoc præciſe quod non niſi per ſpeciem actus eliciti concipitur: jam ſic eſt quod adhuc concipitur & concipi poteſt per ſpeciem actus eliciti, quamtumvis ſupponamur ſcire, eam eſſe actum inelicitum; cum hoc non obſtante adhuc illam concipiamus per ſpeciem actus creati : falſa ergo eſt illa major, puta, quod qui ſcit divinam intellectionem actum eſſe inelicitum, non poſſit hoc ipſo eam ad modum actus eliciti concipere. Unde dico, quod quamvis intellectus noſter non intelligat divinum intelligere fore elicitum; Quia tamen non intelligit divinum illud intelligere niſi per creaturas & medijs conceptionibus creaturarum, in quibus omne quod concipitur per modum actus ſecundi concipitur per modum eliciti, ideo fit quod viator Theologus concipiens divinum intelligere concipiat illud ſub quadam ratione quæ repræſentet rem egredientem & à principio intelligendi elicitam: ſcit tamen & intelligit viator Theologus, quod ille modus intelligendi eſt incompetens ad intelligenda divina, quia ſcit quod divinum intelligere non eſt realiter elicitum ab aliquo intelligendi principio ſivè proximo ſivè radicali; proptea quod ſcit & quidem certo, quod DEUS eſt ſuus actus & ſua actualitas, utpotè qui eſt ſua perfectio: ſed non poteſt ſub alia ratione intelligere illam Dei intellectionem niſi ſub tali ratione eliciti; quia ſcilicet illam intelligit non in ſe, ſed ſub conceptu quem format noſter intellectus de noſtra, ſeu creatā intellectione, cui ſcilicet adjuncta eſt illa imperfectio quod non ſubſiſtat, ſed eliciatur ab intellectu, ideoque oportet quod ita proportionaliter intelligat divinum intelligere: in quo etiam ſenſu intelligendum venit quod dicitur ab aliquibus Thomiſtis, quod ſcilicet divinum intelligere eſt elicitum ſecundum rationem à divino intellectu, non autem ſecundum rem.

 Obij-

Objicies ſecundo: conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ habere, & ſervare debet rationem actus puri: ſed gradus intelligendi ſub præciſa ratione principij radicalis non habet rationem actus puri; ergo ſub præciſa ratione principii radicalis non eſt conſtitutivus divinæ naturæ. *Probatur minor:* actus purus perfectionem dicit nulla ulteriori perfectione carentem: ſed gradus ille intelligendi ſub præciſa ratione principij radicalis & ut virtualiter diſtinguitur ab intellectione dicit perfectionem ulteriori perfectione carentem, ipſa ſcilicet actuali intellectione qua completur: ergo ſub præciſa ratione principij radicalis, & ut præſcindit ab intellectione non habet rationem actus puri.

Reſpondeo negando minorem. Pro quo placet adducere inſtantiam (meo judicio) irrefragabilem, cui quidem non datur ab authoribus oppoſitæ ſententiæ diſparitas niſi in ſolis verbis. Quæro igitur num divina attributa ſint perfectiones ipſius divinæ eſſentiæ tanquam eorundem radicis; Num ipſa divina eſſentia ſub ratione radicis & principij radicalis eorum ab ijs præſcindit in conceptu ſuo explicito, adeo ut ab illis diſtinguatur virtualiter penes implicitum & explicitum, ea ſcilicet importando implicitè, non explicitè. Jam autem quæro ab ijsdem authoribus oppoſitæ ſententiæ, quare divina eſſentia ita præſcindens ſub ratione radicis à perfectionibus illis attributalibus non propterea eſt potentialis, nec amittit propterea rationem actus puri; benè quidem ipſum principium radicale intelligendi ſi virtualiter & in conceptu ſuo explicito præſcindat ab ipſa actuali intellectione. Dicunt adverſarij quia eſſentia non eſt ejuſdem lineæ cum perfectionibus attributalibus, bene quidem principium radicale intelligendi cum ipſa intellectione. *Sed quid inde?* diverſitas illa lineæ impeditne, quominus eſſentia comparetur ad attributa ut ad perfectiones & actualitates ſui? numquid ſtante illa linearum diverſitate eſſentia realiter ab illis diſtingueretur: quomodo ergo ab illis præſcindere nec illas importare in conceptu explicito non dicit nec arguit potentialitatem in eſſentia ſtante linearum diverſitate, benè quidem in identitate lineæ? Certe hoc unum tantum reſpondere poſſunt, (niſi ſolis verbis velint contendere,) quod divina eſſentia licet ita præſcindens nec importans explicitè perfectiones attributales, non propterea eſt potentialis, nec amittit propterea rationem actus puri, quia adhuc illas ſibi realiter identificat & implicitè imbibit, ad differentiam eſſentiæ creatæ & potentialis, ſicut ſolemus philoſophari de Ente in ordine ad verum & bonum: ergo ſimiliter nec principium radicale intelligendi, licet ita præſcindens nec importans explicite perfectiones attributales, non propte-

pterea eſt potentialis, nec amittit propterea rationem actus puri, quia adhuc illas ſibi realiter identificat & implicite imbibit, ad differentiam eſſentiæ creatæ & potentialis, ſicut ſolemus philoſophari de ente in ordine ad verum & bonum: ergo ſimiliter nec principium radicale intelligendi, licet ita præſcindens ab intellectione amittet propterea rationem actus puri, aut in ſe potentialitatem admitret, eo quòd non careat illa per modum illam à conceptu ſuo excludentis, ſed præciſè per modũ illam nõ explicantis.

Undè ad probationem, quamvis abſolutè loquendo negari poſſit minor, diſtinguo tamen, claritatis gratia, majorem ſic: actus purus perfectionem dicit nulla ulteriori perfectione carentem, carentia qua dicitur aliquid alio carere eo quod non habet, Concedo quod actus purus non poſſit ita ulteriori perfectione carere: carentia qua dicitur aliquid alio carere eo quod non explicat ſeu explicitè non importat, Nego, quod actus purus non poſſit in hoc ſenſu ulteriori perfectione carere, ut patet in exemplo ſupra adducto de eſſentia & perfectionibus attributalibus quibus conceditur carere in hoc ſecundo. Et ratio hujus eſt, quia per hoc præciſè, quod aliquid alio ſolum caret per hoc præciſè, quia non explicat, non propterea induit nec induere poteſt rationem perfectibilis, nec illud aliud induere poteſt, per hoc præciſè quod non explicatur, rationem perfectivi, cum ad hoc opus ſit quod ſe excludant à conceptibus, quod quidẽ ibi non reperitur: ergo cũ non inferat præfata carẽtia ratiõẽ perfectibilis ſive actuabilis in ipſo qui caret, nec etiã ab eodẽ auferre poterit rationẽ actus puri, ſi aliundè ſupponatur talis.

Inſtabis: actus purus dêbet etiam eſſe in conceptu ſuo explicito actus purus; ſed hoc ipſo quod explicitè non importat perfectionem aliquam últeriorem, non videtur eſſe in conceptu ſuo explicito actus purus, cum videatur eſſe in tali conceptu ab hac perfectione denudatus: ergo hoc ipſo & per hoc præciſè quod non explicat principium radicale intelligendi actualem intellectionem, non ſervat rationem actus puri.

Reſpondeo negando minorem; cujus quidem negati ratio eſt, quia tunc conceptus ille explicitus, etiam ut explicitus eſt non eſt omnino denudatus à perfectione illa ulteriori, ex eo ſcilicet quod quamvis illam explicitè non importet, explicitè tamen importat & petit illam implicitè & realiter includere & importare; quæ quidem incluſio ſeu identitas realis & implicita convenire non poteſt, niſi huic quod eſt infinitæ actualitatis & actus purus. Undè contra arguentem arguo & retorqueo ſic. Diſtinctio, ſeu præciſio quæ eſt ſolum penes implicitum & explicitum, explicitè excludit diſtinctionem majorem: ergo di- *Nota.*

 ſtin-

ſtinctio, quæ eſt ſolum penes implicitum & explicitum explicitè importat realem identitatem atqui realis identitas inter principium radicale intelligendi & intellectionem dicit in utroque infinitam actualitatem; cum in utroque adunet omnem actualitatem ſui generis, puta tum actus primi tum actus ſecundi: ergo principium radicale intelligendi, ut ſolum diſtinctum ab intellectione penes implicitum & explicitum dicit etiam explicitè infinitam actualitatem, ſubindèque & ſervat rationem actus puri ſivè actualiſſimi etiam in conceptu explicito

Objicies 3. conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ debet eſſe ex conceptu ſuo omnium perfectiſſimum: ſed gradus intelligendi ſub ratione actus ſecundi eſt in nobis perfectius quid ex ſuo conceptu, quam idem intelligendi gradus ſub ratione actus primi, ſeu principii intellectivi: ergo intelligendi gradus eſſe debet conſtitutivum Dei ſub ratione actus ſecundi intellectionis, non autem ſub ratione principij intellectivi. *Probatur minor*, perfectio ſivè perfectivum non poteſt non eſſe ex conceptu ſuo perfectius quid ipſo perfectibili: atqui intelligendi gradus ſub ratione actus ſecundi ſe habet ad eundem in nobis ſub ratione actus primi ut perfectivum ad perfectibile: ergo gradus intelligendi ſub ratione actus ſecundi eſt in nobis perfectius quid ex ſuo conceptu, quam idem intelligendi gradus ſub ratione actus primi.

Reſpondeo negando minorem, cujus negati ratio eſt; quia ipſe actus primus, ſivè principium operativum, quodcumque illud ſit ſivè in gradu intelligendi, ſivè in alio gradu habet eſſe cauſa univerſalis æquivoca, quæ unica exiſtens in ſpecie & numero poteſt infinitas producere intellectiones vel operationes diſtinctas numero & ſpecie; & licet quantum ad modum ſignificandi videatur actio ſivè actus ſecundus perfectior & actualior, quia tamen actualitas illa præhabetur in ipſo actu primo ut in principio effectivo, æquivoco, univerſali, eminentiori & magis uno, inde fit quod ſimpliciter & in re ſit ipſe actus primus ſivè intelligendi gradus ſub conceptu actus primi perfectior, quàm ipſe actus ſecundus intellectionis. Unde ad probationem diſtinguo majorem ſic: perfectio ſivè perfectivum non poteſt non eſſe perfectius quid ipſo perfectibili, ſi ſermo ſit de perfectibili quod eſt tale ſimpliciter, Concedo: ſi vero ſermo ſit de perfectibili quod eſt potius ſimpliciter perfectum, & ſolum ſecundum quid perfectibile nego majorem; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro quo notandum eſt, illud ſolum perfectibile dici ſimpliciter & abſolutè perfectibile, quod dicitur tale comparativè ad actum primum, eumque reſpicit ut perfectivum; propterea quod cum antecedenter ad actum primum in eo rece-

Nota.

ptum

ptum nulla in eo ſit actualitas nec conſequenter perfectio, inde fit quod illud ſit & dici debeat ſimpliciter perfectibile è contra vero illud dicitur perfectibile ſolum ſecundum quid & cum addito, quod dicitur tale reſpective ad aliquem actum ſecundum quem proinde reſpicit tanquam perfectivum; ex eo ſcilicet quod cum jam in tali perfectibili ſupponatur actus primus,& conſequenter primum perficiens, eſt per conſequens tale perfectibile jam ſimpliciter perfectum, & ſolum perfectibile quantum ad tale eſſe ſecundum, quod per actum ſecundum tribui debet;Cum ergo id quod eſt ſolum perfectibile quantum ad aliquod eſſe ſecundum & eſt ſimpliciter perfectum non ſit propterea imperfectius actu illo ſecundo ipſius perfectivo,quin imo ſit potius perfectius quid; cum actus ille ſecundus ſit ſolum perfectivus ſecundum quid & quantum ad eſſe tale;ipſum verò perfectibile ſit tunc ex ſe ſimpliciter perfectum & ſolum ſecundum quid perfectibile, conſequenter fit quod quamvis præfatus actus primus comparetur ad actum ſecundum intellectionis ut perfectibile ad perfectivum, non propterea actus iſte ſecundus ſit ex conceptu ſuo quid perfectius ipſo actu primo.

Inſtabis: quod eſt propter aliud non poteſt non eſſe ex conceptu ſuo eo imperfectius:ſed præfatus actus primus, de quo eſt ſermo, eſt propter ipſum actum ſecundum; cum ex communi axiomate unumquodque ſit propter operari,& ly *actus ſecundus*, de quo eſt ſermo,ſupponat pro ipſo operari: Ergo præfatus actus primus eſt ex ſuo conceptu imperfectior actu ſecundo.

Reſpondeo negando minorem, ſi ſermo ſit, ut de facto eſt,de ipſo actu ſecundo nudè & ſeorſim ſumpto: ſic enim loquendo de actu ſecundo,ipſe potius eſt propter actum primum, utpotè qui ejus eſt actuale exercitium,ac proinde non tam ſui eſt quam alterius,ſcilicet actus primi,cujus eſt actuale exercitium. Ad id autem quod additur, quod ex communi axiomate unumquodque eſt propter operari,dico,quod ſenſus hujus axiomatis [ut bene notat acutiſſimus noſter Cajetanus] non eſt quod unumquodque ſit propter operari nudè & ſeorſim ſumptum ab ipſo operante;aliàs ſuppoſitum pro quo ſupponit ly *unumquodque* & quod eſt ſubſtantia eſſet propter aliquid accidentale, qualis eſt operatio in nobis ſeorſim ſumptà;ſed ſenſus hujus axiomatis eſt,quod unumquodq; eſt propter ſeipſum ut operantem; ac proinde quod hinc ad ſummum inferri poteſt,eſt,quod ipſe actus primus ſimul ſumptus cum actu ſecundo ſit perfectior ſe ipſo ſeorſim ſumpto, non autem quod ipſe actus ſecundus *Nota.*

cundus

cundus nude & ſeorſim ſuptus perfectior ſit in ipſo actu primo.

Objicies 4. in eo præciſe conſiſtit ratio naturæ in Deo & per id conſtituitur, quod ſpecialiter accipiat verbum divinum ex vi proceſſionis: ſed ſpecialiter accipit verbum divinum ex vi proceſſionis gradum intelligendi ut reductum ad actum ſecundum: ergo in gradu intelligendi ſub ratione actus ſecundi conſiſtit ratio naturæ in Deo. *Major* eſt certa; cum enim verbum divinum procedat ex vi proceſſionis ut filius, & procedat ut filius quia procedit ut ſimilis in natura, debet per conſequens in Deo conſiſtere ratio naturæ in eo, quod verbum accipit ex vi proceſſionis. *Probatur Minor*, procedit verbum divinum ex vi proceſſionis ſuæ ut ſpecies expreſſa, ut verbum mentale, ut actualis repræſentatio ſui objecti & ſui principii: atqui hæc omnia explicant actum ſecundum & ultimum lineæ intellectualis: ergo ſpecialiter accipit verbum divinum ex vi proceſſionis gradum intelligendi, ut redactum ad actum ſecundum.

Nota *Reſpondeo* 1. retorquendo argumentum contra Patres Salmanticenſes, patrem Gonet, & alios qui eo utuntur contra noſtram ſententiam. Nam eſſentia & natura divina in eorundem ſententia conſiſtit, non in ſolo actu ſecundo intelligendi, ſed in omnibus quæ pertinent ad gradum intellectivum, tam ut eſſentia quam ut radix, & tam ut potentia proxima quam ut actus, utpotè quæ omnia & ſingula ſunt in eorum ſententia omnino indiſtincta: atqui verbum divinum ex vi proceſſionis ut verbum non accipit hæc omnia, ſed ſolum accipit rationem verbi, quæ eſt ratio conceptus mentalis, & ſpeciei expreſſæ conſiſtentis in expreſſione actuali & in repræſentatione actuali ſeu principii & objecti, ut patet in noſtro intellectu & in verbo mentali noſtro: ergo ſi quid concluderet præfatum argumentum, concluderet quod verbum ex vi proceſſionis ut verbum non accipit, ſeu non acciperet totam naturam divinam, nec totum gradum intellectivum, ſed ſolum partem, quod eſt haud dubie falſum, militatque contra illorum ſententiam, æque ac contra noſtram. Neque valet dicere, quod ex vi proceſſionis talis, ſcilicet per intellectum infinitum accipiat verbum divinum totum gradum; nam ſi ex vi proceſſionis per intellectum ut ſic id non habeat, non ſufficiet: ſicut licet voluntas infinita producat terminum ſubſtantialem infinitum ſubſiſtentem in natura infinita ſubſtantiali, quod eſt eſſentia Dei; quia tamen hoc non habet quatenus proceſſio per voluntatem ut ſic non eſt propterea generatio in divina voluntate. Caveant ergo qui tale nobis objiciunt argumentum, ne alienos [ut ajunt] agros colentes, propriū negligere videantur. Unde

Reſp. 2. negando majorem, quod ſcilicet in eo præciſe conſiſtat

ſtat ratio naturæ in Deo quod accipit verbum ex vi proceſſionis. Pro quo nec non & pro ſolvenda ratione ; quæ affertur in probationem in argumento notandum eſt, & quidem ſerio & diligenter, non ideo dici verbum divinum procedere ut filium, ut genitum, ut Deum, ut ſimile in natura ex vi proceſſionis, non autem Spiritum Sanctum, quia ly *eſſe verbum* ſeu ſpeciem expreſſam quod vi proceſſionis accipit magis identificatur cum ipſa ratione naturæ, quam amor, quem ſimiliter accipit Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis ſuæ; ſi namque hoc eſſet, vere concluderetur & concludi deberet quod præcisè conſiſteret ratio naturæ in Deo in gradu intelligendi ſub ratione actus ſecundi: ſed ideo dicitur verbum procedere ut Deus, ut Filius, ut genitum, ut ſimile in natura, non autem Spiritus Sanctus, quia quamvis conveniat cum amore, in eo quod uterque realem habet identitatem cum natura, diſconvenit tamen ab eo, in eo quod identitas naturæ reperta in voluntate divina cum perſona procedente, eſt ibi ſolum quaſi materialiter & identicè, eo quod voluntas non eſt ex propria linea potentia aſſimilativa; hæc vero eadem identitas naturæ eſt in verbo ſeu in perſona procedente per intellectum omnino formaliter, propterea quod proceſſus ſpeciei expreſſæ eſt per modum ſimilitudinis expreſſatæ ab ſpecie impreſſa & ab intellectu in ordine ad objectum primarium contentum in ſpecie impreſſa; unde cum generatio dicatur & conſtituatur talis per hoc quod ſimilitudo quæ eam ingreditur & comitatur, ſe habet ibi formaliter, & non tantum materialiter, ut colligitur ex definitione generationis, conſequenter fit quod verbum divinum, quamvis quantum ad rationem verbi quam accipit ex vi proceſſionis non magis identificetur cum divina natura quam amor, adhuc tamen dicatur genitus & Filius, non autem Spiritus Sanctus, per hoc ſcilicet quod quamvis æqualem habeant identitatem cum ipſa natura ; non tamen æquali modo ſe habentem ad utriuſque proceſſionem; cum ad proceſſionem verbi ſive quæ fit per intellectum ſe habeat talis identitas cum natura omnino formaliter & per ſe, ex quo propterea conſtituitur talis proceſſio generatio ; è contra vero ſolum materialiter ſe habeat hæc eadem identitas in proceſſione amoris ſive Spiritus Sancti. *Nota.*

Jam vero quod vera ſit præfata doctrina in ſchola præcipue Thomiſtarum, & menti Doctoris ſancti omnino conſona evidenter colligo ex his quæ habet *1.p.q.27.art.4. in reſponſ.ad 1.* Primum namque argumentum quod ſibi objicit S. Doctor eſt iſtud: quod, inquit procedit in ſimilitudinem naturæ in viventibus dicitur generatum & naſcens; ſed id quod procedit in divinis

per

per modum amoris procedit in ſimilitudinem naturæ, aliàs eſſet extraneum à divina natura, & ſic eſſet proceſſio ad extra: ergo, &c. cui argumento propoſito reſpondet ſic: *Ad primum dicendum quod quidquid eſt in divinis, eſt unum cum divina natura; unde ex hac parte hujus unitatis non poteſt propria ratio accipi hujus proceſſionis vel illius, ſecundum quam una diſtinguitur ab alia:* Hæc D. Thomas, ex quibus contra adverſarios in confirmationem præfatæ noſtræ ſolutionis ſubſumo ſic: atqui ſi verbum pertineret ut tale ad rationem naturæ & eſſet magis unum & magis idem cum ipſa ratione naturæ quam amor, verè tunc ex parte unitatis acciperetur propria ratio hujus proceſſionis & illius, ſecundum quod una diſtinguitur ab alia, contra verba citata S. Doctoris: ergo quod verbum procedat ut genitum, ut Filius, ut Deus hoc minimè colligi debet ex eo quod ipſum verbum ſit magis unum cum ratione naturæ quam amor, ſive ex eo quod in ipſa ratione verbi actualis conſiſtat ratio naturæ, ſed ex eo ſolum quod unitas quam habet verbum, & quam habet etiam amor, ſe habet in proceſſione verbi omnino formaliter & per ſe ut dicebamus, & ſolum quaſi materialiter in proceſſione amoris ſive Spiritus Sancti.

Nota. (margin, twice)

Colliges rectè explicari conceptum ſive conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ per eſſe principium radicale intellectionis ſubſtantialis ſeu ſubſiſtentis. Primò quidem rectè explicatur per gradum intelligendi; cum enim ex tribus gradibus naturarũ conſtitutivis, qui ſunt *eſſe, vivere,* & *intelligere,* perfectior ſit gradus intelligendi, utpotè qui explicitè importat & eſſe & vivere, nec tamen in illis explicitè importatur ut patet, conſequenter fit quod in aſſignando conſtitutivum divinæ naturæ, cujus quidem nomine intelligendum venit ens omnium perfectiſſimum, illud aſſignare debeamus in ipſo gradu intelligendi. Secundò explicatur præfatum conſtitutivum per eſſe principium, propterea quod explicari debet per ordinem ad operationem, in ordine ad quam definitur & denominatur natura, atque ita merito explicatur per principium. Tertiò explicatur per principium radicale, non autem proximum, quia cum ſit conſtitutivum naturæ, explicari debet per illud quod in tali linea principii eſt primum, & quod primo concipitur in re in ordine ad operationem, quale non eſt principium proximum, bene quidem radicale. Quartò explicatur per principium radicale intellectionis, & non volitionis, vel alterius operationis; quia ſcilicet prior ſubindeque & perfectior ac ſpecificativa operatio in ente intellectivo eſt intellectio, poſt quam & ex qua ſequitur volitio, atque ita debet

per

per ordinem ad intellectionem explicari ; tandem explicatur per principium radicale intellectionis ſubſtantialis aut ſubſiſtentis, ut per hoc differat à creaturis, in quibus reperitur quidem principium radicale intellectionis, ſed accidentalis & diſtinctæ realiter à ſuo principio.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo , eſſe præfatæ difficultatis reſolutionem omnino conſonam menti S.Doctoris , quod quidem inprimis colligo *ex 1 p.q.25.art.1.*ubi hæc habet: *Sic igitur in Deo ſalvatur ratio potentiæ quantum ad hoc quod eſt principium effectus,non autem quantùm àd hoc quod eſt principium actionis , niſi ſecundum modum intelligendi;prout divina eſſentia quæ in ſe ſimpliciter præhabet quidquid perfectionis eſt in rebus creatis poteſt conſequenter intelligi & ſub ratione actionis & ſub ratione potentiæ.* Hæc D. Thomas,ex quibus argumentor ſic;ex D.Thoma ibi ſalvatur & diſtinguitur in Deo ratio potentiæ ſive principii, & ratio actionis ſecundum modum intelligendi : ſed modus ille intelligendi habet ex eodem D.Thoma ibidem fundamentum in re, & quidem idem quod aſſignari ſolet in diſtinctione attributi miſericordiæ ab attributo juſtitiæ: Ergo ex D.Thoma diſtinguuntur in Deo fundamentaliter ratio potentiæ ſive principii,& ratio actionis:atqui actio & potentia cujus eſt actio , ſunt unius & ejuſdem lineæ, ut per ſe patet:Ergo ex D. Thoma datur in Deo virtualis ſeu fundamentalis diſtinctio inter ea quæ ſunt ejuſdem lineæ:Ergo ex D.Thoma datur in Deo virtualis ſeu fundamentalis diſtinctio inter principium radicale intelligendi & ipſam intellectionem : Ergo ex D.Thoma non habet divina intellectio rationem primi in linea intellectuali reſpectu noſtri ; bene quidem principium radicale intelligendi : Ergo ex D. Thoma non ipſa intellectio ſeu gradus intelligendi ſub ratione actualis intellectionis,habet conſtituere Deum ſub ratione naturæ , bene quidem ſub ratione principii radicalis intelligendi.

Secundò hoc idem pluſquam inſinuat Divus Thomas 1. *p. in prologo.q 14.*ubi diſcurrit ſic:*Poſt conſiderationem eorum quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de his quæ pertinent ad operationem ipſius , & quia operatio quædam eſt quæ manet in operante , quædam vero quæ procedit in exteriorem effectum:primò agemus de ſcientia & voluntate, nam intelligere in intelligente eſt & velle in volente.* Hæc S.Doctor in quibus cum diſtinguat ipſum Dei intelligere ab ipſa Dei ſubſtantia

tja ſive natura tanquam poſterius à priori, non poteſt conſequenter ſentire, quod ipſum intelligere actuale Dei ut à nobis concipitur ipſum ingrediatur conſtitutivum Dei ſub ratione naturæ. Scio Authores aliquos oppoſitæ ſententiæ reſpondere ad hæc, quod ibi ſolum loquitur de intellectione & ſcientia attributali, ſive ſub ratione actionis & operationis, non autem de intellectione ſubſtantiali & quaſi primordiali; quam volunt condiſtingui ab ea quæ actio eſt & attributalis. Hoc inquam, equidem ſcio; ſed pariter ſcio multa multoties dici in voce, quæ in re ſignificata per vocem non percipiuntur: neque enim uſquam intellexi, nec intelligibile puto, quod in Deo intellectio ſub ratione actionis ſit quaſi alia intellectio virtualiter diſtincta ab intellectione ſubſiſtenti etiam ut actuali: quis enim intelligere valet actualitatem ultimam in intellectione, non cointellecta explicitè formalitate actionis; præſertim cum quidquid concipitur actualitatis in divino intelligere præciſo conceptu actionis, hoc totùm ſit actualitas quædam etiam communis ad genus intelligibile paſſivum: valeant ergo, & hoc perſuadeant aliis; mihi namque nuſquam perſuadebunt, qui id nec valeo nec volo credere.

Dices aliquando dicit D. Thomas, intelligere Dei eſſe ejus ſubſtantiam, ut *in 1 p. q. 14. art* 4. imo & aliquando alibi docet, eſſe ejus eſſentiam: Ergo prætendit D. Thomas quod & ipſum actuale intelligere ſit omnino indiſtinctum à principio radicali, & quod ſit, ut actuale eſt, ipſum divinæ naturæ conſticutivum.

Reſpondeo negando conſequentiam. In his enim & ſimilibus locis ſolum intendit S. Doctor ſtabilire realem identitatem, loquiturque ſolum in ſenſu identico ad excludendam diſtinctionem realem non verò virtualem ſeu rationis. Jam verò quod ſit hoc unicum intentum S. Doctoris, & quod in hoc ſolum loquatur ſenſu, id ego evidenter colligo ex duobus. Primo quidem ex ratione, ſeu doctrina, qua probat D. Thomas *in præfato art.* 4. ipſum intelligere Dei eſſe ſubſtantiam; diſcurrit enim ſic: *Si intelligere Dei eſſet aliud quam ejus ſubſtantia, oporteret ut dicit Philoſophus in 12. Metaph. Quod aliquid aliud eſſet perfectio & actus ſubſtantiæ divinæ, ad quod ſe haberet ſubſtantia divina ſicut potentia ad actum: in Deo autem non eſt forma quæ ſit aliud quam ſuum eſſe, ut ſupra oſtenſum eſt.* Hæc D. Thomas, ex quibus ſubſumo ſic: atqui diſtinctio requiſita ut ſe habeat ſubſtantia ad intelligere vel ut potentia ad actum, non eſt diſtinctio ſolum virtualis & rationis, ſeu penes implicitum & explicitum, ut patet abunde ex dictis ſupra; ſed eſt diſtinctio realis, aut quæ ſe habeat

habeat per modum excludentis & excluſi: ergo identitas, de qua intendit loqui S. Doctor, dum dicit quod intelligere Dei eſt ejus ſubſtantia vel eſſentia, eſt identitas excludens ſolum realem diſtinctionem, non vero diſtinctionem rationis & ad modum impliciti & expliciti. Quod confirmari poteſt ex his quæ habet *in eadem 1. part. quaſt. 19. art. 4.* ubi hæc habet: Ad ſecundum dicendum quod quia eſſentia Dei eſt ejus intelligere & velle, &c. ex quibus ſic ſubſumo: atqui ex ipſis etiam authoribus oppoſitæ ſententiæ non eſt eſſentia Dei ſuum velle, niſi identicè & per excluſionem realis diſtinctionis: ergo cum eadem ſerie & eodem tenore verborum loquitur ibi D. Thomas de intelligere & velle, nec etiam niſi identicè & per excluſionem realis diſtinctionis identificat ibi eſſentiam cum ipſo intelligere.

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum ratione diſtinguatur in Deo conceptus eſſentiæ à conceptu naturæ; & quodnam in hoc caſu ſit ejus aſſignandum conſtitutivum.

RESpondeo, conceptum eſſentiæ ratione diſtingui in Deo cum fundamento in re à conceptu naturæ; quod quidem ex duplici colligo fundamento. Primum eſt, quia ubicumque fundamentum eſt ponendi inter aliqua ordinem quaſi prioris & poſterioris, eſt etiam fundamentum diſtinguendi: Jam ſic eſt quod eſt fundamentum intelligendi in Deo conceptum eſſentiæ & naturæ cum ordine virtuali prioris & poſterioris; tùm quia prius eſt quod aliquid concipiatur in ſe, ad ſe & quaſi ſibi & conſequenter ſub conceptu eſſentiæ, quam quod intelligatur in ordine ad aliud & conſequenter ſub conceptu naturæ, quæ talis dicitur in ordine ad operationem, cujus eſt radix, tum quia prius unumquodque concipitur ſub conceptu & genere cauſæ formalis, qua ſcilicet unumquodque conſtituitur in ſuo eſſe, quam ſub genere cauſæ efficientis: quippe quæ in actualitate formalis cauſæ fundatur, cum unumquodque operetur in quantum eſt in actu; unde cum conceptus eſſentiæ reducatur ad genus cauſæ formalis, utpotè qui & conſtituit rem in ſuo eſſe & abſolutus eſt ab omni extrinſeco; è contra vero conceptus naturæ reducitur ad genus cauſæ efficientis, cum reſpiciat ut talis

 ipſum

ipſum operari, conſequenter fit quod cum fundamento in re intelligantur in Deo conceptus eſſentiæ & naturæ cum ordine quaſi prioris & poſterioris: ergo & datur fundamentum diſtinguendi in Deo conceptum eſſentiæ & conceptum naturæ.

Secundò verò hoc idem colligo, ſupponendo prius, quod eſſentia ſumitur per ordinem ad eſſe ſive ad exiſtentiam, juxtà illud D. Auguſtini *lib. 12. de civit. Dei, c. 2.* dicentis: ſicut ab eo quod eſt ſapere vocatur ſapientia, ita ab eo quod eſt eſſe vocatur eſſentia; & ſupponendo ſimiliter, quod ratio naturæ ſumitur & explicatur per ordinem ad operationem; unde & definitur à Philoſopho principium motus. Hoc autem ſuppoſito, argumentor ſic. Primò non minus ex diverſitate virtuali connotatorum arguitur & argui debet diverſitas virtualis connotantium, quam ex diverſitate reali; cum in hoc dicatur virtualis, quia vim & virtutem habet præſtandi quod præſtat formalis ſive realis; ſed ex diverſitate reali connotatorum eſſentiæ & naturæ arguitur virtualis diverſitas inter eſſentiam & naturam, ut patet in creatis, in quibus conceditur, virtualiter diſtingui eſſentiam & naturam, eo quod reſpiciant eſſe & operari, quæ in creatis diſtinguuntur realiter: ergo ubi hæc connotata diſtinguuntur virtualiter, qualiter diſtinguuntur in Deo, debent ſimiliter arguere virtualem diſtinctionem inter connotantia, puta inter eſſentiam & naturam. Secundò ut virtualiter diſtinguantur duo aliqua ſufficit quod per ſe primo connotent diverſa, quæ in aliquo realiter diſtinguantur, ut patet in vero & bono quæ virtualiter diſtinguuntur in Deo, eo quod reſpiciant connotata, puta intellectum & voluntatem, quæ in aliquo diſtinguuntur realiter, ſcilicet in creatis: ſed eſſentia & natura in Deo habent per ſe primo connotare diverſa, ſcilicet eſſe & operari, quæ in aliquo puta in creatis realiter diverſa ſunt: ergo eſſentia & natura debent etiam in Deo virtualiter ſive fundamentaliter diſtingui.

Dices 1. ideo eſſentia & natura ita diſtinguuntur cum fundamento in re, quia per ſe primo connotant ſeu reſpiciunt diverſa ſcilicet eſſe & operari; ſed impoſſibile eſt quod natura per ſe primo reſpiciat operari; cum operari ſit aliquid quaſi extraneum & extrinſecum, imo & in creatis ſit quid accidentale: natura vero ſit ſubſtantia quæ in conceptu ſuo eſt abſoluta ab omni extrinſeco, nec poteſt per ſe primo reſpicere accidens, qua de cauſa docent Thomiſtæ, non eſſe ſubſtantiam immediatè operativam ergo falſum eſt diſtingui eſſentiam & naturam cum fundamento in re.

Reſp.

Reſpondeo negando minorem: ad cujus probationem dico, quod quando dicitur & docetur, quod non poteſt ſubſtantia per ſe primo reſpicere aliquid extrinſecum vel accidentale, hoc intelligi debet ſecundum primarium ejus conceptum, ſubindeque ſecundum conceptum eſſentiæ qui primarius eſt; cum in hoc differat ab accidente; non autem inconveniens eſt quod ſecundum conceptum ſui ſecundarium, qualis eſt in ea conceptus naturæ, ita reſpiciat per ſe primo aliquid extrinſecum & accidentale, cum hoc ſuppoſito adhuc ſalvetur præfata differentia ab accidente. Patet hæc ſolutio in exemplo de intelligibilitate ſubſtantiali identificata tranſcendentaliter cum ipſa ſubſtantia: quæ quidem intelligibilitas ſubſtantia eſt, & tamen connotat intellectum, à quo poteſt percipi & attingi: & in hoc nullum eſt inconveniens, quia eſſe intelligibile non eſt primarius conceptus ſubſtantiæ ſed ſecundarius; & conceptum ſecundarium aliquid connotare extrinſecum in ſubſtantia non eſt inconveniens: ſic ergo ſimiliter conceptus naturæ qui ſecundarius eſt, connotat per ſe primo principium proximum operativum, nec non & ipſam operationem, quamtumvis in creatis accidentalem.

Dices 2. ideo diſtinguuntur fundamentaliter in creatis eſſentia & natura, quia reſpiciunt connotata prout realiter diverſa; ſed in Deo non reſpiciunt eſſentia & natura connotata realiter diverſa; cum eſſe & operari quæ connotant non diſtinguantur in Deo realiter: ergo non debent in Deo virtualiter ſive fundamentaliter diſtingui eſſentia & natura.

Reſpondeo negando majorem: non enim ideo præcisè diſtinguuntur eſſentia & natura in creatis, quia reſpiciunt connotata prout realiter diverſa, ſed quia connotant & reſpiciunt connotata diverſa, abſtrahendo ab hoc quod diverſitas illa virtualis ſit vel realis, quod quidem patet in exemplo de vero & bono jam ſupra allato, ex quo argumentor ſic: non minus diſtinguuntur virtualiter & fundamentaliter in Deo verum & bonum, quam in creatis: ſed connotata quæ reſpiciunt in Deo, puta intellectus & voluntas virtualiter ſolum diſtinguuntur in Deo, cum tamen realiter differant in creaturis: ergo diverſitas illa connotatorum, ex qua exurgit virtualis diſtinctio in connotantibus abſtrahit & abſtrahere debet ab hoc, quod ſit realis vel virtualis: Quanquam exiſtimem ego, quod in creatis debeat eſſe realis diverſitas inter præfata & ſimilia connotata, ut patet in exemplo de vero & bono; in Deo vero diſtingui

 poſſint

poſſint connotantia virtualiter penes connotata, quæ in Deo ſint unum realiter, ſed ſint in humanis realiter diverſa, ut patet in eodem exemplo.

Dices; ſi ita diſtinguerentur eſſentia & natura poſſit natura dici attributum eſſentiæ, & eſſentia dici natura reſpectu ipſius naturæ; cum attributum ſit perfectio neceſſaria Dei, conveniens illi non primariò ſed ſecundariò, quod quidem in hoc caſu competeret naturæ, & conceptus naturæ ſit in hoc, quod ſit radix alterius, quod etiam in hoc caſu conveniret eſſentiæ: ſed hæc duo videntur abſurda: ergo admitti non debet inter eſſentiam & naturam talis diſtinctio.

Reſpondeo negando ſequelam majoris: attributum namque non ſolum dicit perfectionem neceſſariam Dei, illi convenientem non primariò ſed ſecundariò, & propterea ad ipſum ſubſequentem, ſed præterea dicit & exigit quod perfectio illa determinata ſit; non autem quod ſit quaſi omnis perfectio; unde principium proximum intelligendi, & principium proximum volendi ſunt attributa, quia determinata ſunt ad determinatum motum & ſingularem operationem: cæterum natura quamvis ita ſubſequens ad eſſentiam & ſecundariò ſolum, non autem primariò Deo conveniens, ſubſequitur tamen & convenit quaſi principium univerſale omnium operationum & omnem operationem amplectitur; atque ita non propterea dici debet nec poteſt attributum ſive attributalis perfectio. Similiter neque ipſa eſſentia dici poteſt nec debet in hoc caſu natura quantumvis ſit quaſi radix ipſius naturæ; cujus ratio eſt, quia cum conceptus naturæ ſumatur & explicetur per ordinem ad operationem, pertineatque ad lineam cauſæ efficientis, vel quaſi efficientis; eſſentia autem & conceptus eſſentiæ ſumantur potius in ordine ad ſe & per reſpectum ad exiſtentiam, atque pertineant ad genus cauſæ formalis primò conſtituentis rem in ſuo eſſe; conſequenter fit quod dum fit tranſitus de conceptu naturæ ad conceptum eſſentiæ, fiat tranſitus de genere in genus, & nullo modo reperiatur in conceptu eſſentiæ, quod neceſſario requiritur ad conceptum naturæ, qui quidem ſiſtit in illa connexione & connotatione operationis, & non tranſit ad aliam connexionem vel connotationem exiſtentiæ.

Colliges, rectè explicari conſtitutivum Dei ſub ratione eſſentiæ, per eſſe ſubſtantiam ſpiritualem puriſſimam. Primò quidem per ſubſtantiam, quia proprium eſt eſſentiæ connotare eſſe, eo quod dicitur ab eſſendo, atque adeò propriè explicatur per ſubſtantiam quæ cum nihil aliud dicat, niſi ens per ſe; conſtituit per con-

conſequens lineam eſſendi. Secundo explicatur per ſubſtantiam ſpiritualem,ut per hanc particulam magis adhuc explicetur eſſe quod reſpicit divina eſſentia,utpote quod eſt eſſe ſpirituale, juxta illud:Deus ſpiritus eſt. Tertiò explicatur per eſſe ſubſtantiam ſpiritualem puriſſimam , ut ita diſtinguatur ab omni eſſentia creata,quæ cum ſit compoſita ex eſſentia ſaltem & ſubſiſtentia nec non & exiſtentiâ,non eſt conſequenter puriſſima, ſeu ſimpliciſſima.Unde per hanc particulam *puriſſima* denotatur hujuſmodi ſubſtantiam eſſe realiter identificatam cum ſubſiſtentia & exiſtentia;ita tamen quod hujuſmodi conceptum eſſentiæ non ingrediatur explicitè exiſtentia,niſi ad modum connotati ; ſed implicitè ſolum.Ex quo ulterius ſequitur, ibi involvi & importari eſſe a ſe,cum in tali conceptu eſſentia, ſeu ſubſtantia utpote puriſſima,ſeu ſimpliciſſima, ſit realiter ſuum eſſe & conſequenter ens per eſſentiam;ac per conſequens ens à ſe. Licet autem præfatus ille conceptus eſſentiæ ſic explicatus conveniat etiam attributis.non tamen propterea ſequitur , attributa coincidere cum eſſentia, aut ipſum eſſentiæ coinſtitutivum competere ut tale attributis ; quandoquidem non habet conceptus ille quod ſit eſſentiæ conſtitutivus,niſi in quantum ab ea importatur explicitè,& eſt ejus conceptus explicitus, quomodo non prædicatur de attributis,ac proinde aliter convenit conceptus ille ſubſtantiæ ſpiritualis puriſſimæ attributis, & aliter competit eſſentiæ,cujus dicitur eſſe conceptus conſtitutivus. Nota.

QUÆSTIO II.

De attributis Dei in communi.

Utrum divina attributa pluſquam ratione differant inter ſe, ſive ab eſſentia.

PRæmittendum 1.pro declaratione principiorum ad quæ concluſionis veritas reduci debet,quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima,ſubindeque & vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ , puta quod *propoſitio hæc Sapientia in Deo eſt bonitas,ita abſolutè prolata eſt vera* , quod *eadem ma-*

nente cauſa, debet & idem manere effectus ; quod *diſtinctio perſonarum eſt in divinis maxima*. Primum autem horum colligo, tum authoritate, tum ratione D. Auguſtini authoritate quidem: habet enim S. Doctor *libr. 6. de Trinitate capite ſeptimo eadem magnitudo Dei eſt Sapientia ; eadem Sapientia bonitas ; eadem bonitas veritas ; & eadem veritas eſt quæ illa omnia* : Hæc ille, ubi cum loquatur abſolutè & ſine reſtrictione vel addito, evidenter ſequitur veram eſſe hanc propoſitionem ita abſolutè prolatam: Sapientia in Deo eſt bonitas. Ratio autem hujus eſt, quia ut dixit idem Auguſtinus *lib. 11. de Civitate Dei cap.* 10. ens ſimplex dicitur, quod eſt illud omne quod habet: ſed Deus ſicut & Dei Sapientia eſt ens ſimplex, & habet bonitatem: ergo & Deus & Dei ſapientia eſt abſolutè & ſimpliciter loquendo bonitas ; ſicut & ens ſimplex dicitur quod eſt abſolutè loquendo illud omne quod habet.

Ratio vero ſecundi eſt, quia ſicut ſe habet cauſa ut ſic ad effectum ut ſic, & cauſa talis ad effectum talem, ita & eadem cauſa ad eundem effectum ; ac proinde ſicut cauſa ut ſic habet inferre effectum ut ſic, & cauſa talis talem effectum, ita & eadem cauſa inferre debet eumdem effectum, ſicque manente eadem cauſa, debet & idem manere effectus.

Tandem quantum ad tertium, puta quod perſonarum diſtinctio eſt in divinis maxima, ratio hujus eſt, quia omnis alia divinorum diſtinctio, præter eam quæ eſt perſonarum non impedit, quo minus ea quæ dicuntur diſtincta, ſint & dicantur abſolutè unum, juxta illud Concilii tum Toletani II. tum Florentini ; omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio, qualis eſt perſonarum oppoſitio : ergo cum impediat perſonarum diſtinctio, ne perſonæ quatenus tales unum ſint, conſequenter fit quod diſtinctio perſonarum ſit in divinis maxima. His ergo tribus præmiſſis ut acceptiſſimis & apud omnes indubitatis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem præmiſſa principia reductione ſit:

CONCLUSIO : *non diſtinguuntur actu divina attributa ſive inter ſe ſive ab eſſentia diſtinctione formali ex natura rei, & antecedenter ad operationem intellectus ; ſed ratione ſolum cum fundamento in re.*

Probatur 1. ex primo præmiſſo principio: *propoſitio hæc ita abſolutè prolata eſt vera: ſapientia in Deo eſt bonitas* : ergo non eſt ſapientia in Deo [& ſic de cæteris] formaliter ſive ex natu-

natura rei diſtincta à bonitate. *Probatur conſequentia.* Si ſapientia in Deo formaliter diſtingueretur a bonitate, eſſet præfata propoſitio ſimpliciter falſa: ergo hoc ipſo quod præfata propoſitio ita abſoluté prolata eſt vera, non eſt ſapientia in Deo ita formaliter diſtincta à bonitate. *Conſequentia* eſt evidens. *Prob. antecedens*, & quidem ratione deprompta ex doctrina Scotiſtarum. Omnis propoſitio formaliter falſa, eſt falſa ſimpliciter; ſed ſi ſapiētia in Deo formaliter diſtingueretur a bōitate, tunc illa propoſitio, ſapiētia in Deo eſt bōitas, eſſet formaliter loquēdo falſa; ergo & tunc præfata propoſitio eſſet falſa ſimpliciter. *Minor* patet ex terminis. *Probatur Major*: ſicut ſe habet veritas formalis & in formali ſenſu ad veritatem ſimpliciter, ita & falſitas formalis, ſeu in ſenſu formali ad falſitatem ſimpliciter; ſed veritas formalis & in formali ſenſu eſt veritas ſimpliciter: ergo & falſitas formalis, ſeu propoſitio falſa formaliter loquendo, debet eſſe falſa ſimpliciter. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: quo modo ſe habet formalitas ad entitatem ſimpliciter, ita & veritas formalis ad veritatem ſimpliciter: ſed in principiis Scotiſtarum, contra quos hic arguimus, formalitas eſt entitas ſimpliciter: ergo & juxtá eorundem principia debet veritas formalis eſſe veritas ſimpliciter. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor:* entitas ſimpliciter vel prædicatur de formalitate, vel de realitate ſed in principiis Scotiſtarum non poteſt entitas ſimpliciter prædicari de realitate; cum realitas juxta eorum principia ſit ſolum modus & entitas modalis, ſubindeque & entitas ſolum cum addito, & non ſimpliciter: ergo juxta Scotiſtarum principia debet formalitas eſſe entitas ſimpliciter: ergo & veritas formalis, ſeu in formali ſenſu eſſe debet veritas ſimpliciter: ergo & falſitas formalis, ſeu propoſitio falſa formaliter loquendo eſſe debet falſa ſimpliciter: ergo ſi ſapientia Dei formaliter diſtingueretur a bonitate, eſſet præfata propoſitio: ſapientia in Deo eſt bonitas, ſimpliciter falſa: ergo hoc ipſo quod propoſitio illa: *Sapientia Dei eſt bonitas*, eſt abſolute loquendo vera (quod eſt primum præmiſſum principium) non eſt ſapientia Dei formaliter ſeu ex natura rei diſtincta à bonitate; & ſic de cæteris attributis.

Probatur ſecundo, ex ſecundo præmiſſo principio: *eadem manente cauſa debet & idem manere effectus*: ergo divina attributa nedum realiter, ſed etiam formaliter ſunt idem. *Probatur conſequentia.* Cauſa realis hujus identitatis attributorum manet eadem in Deo reſpectu formalis eorumdem identitatis: ergo hoc ipſo quod eadem manente cauſa idem etiam manet effectus, hoc ipſo nedum realiter, ſed etiam formaliter divina attributa

ſunt unum & idem. *Conſeq.* eſt evidens. *Probatur anteced.* infinitas ſimpliciter in realitate eſt cauſa realis attributorũ indentitatis: ſed infinitas illa ſimpliciter eſt in formalitate Dei æq; ac in realitate; ergo cauſa realis hujus identitatis manet eadem in Deo reſpectu formalis eorumdem identitatis. *Major* conceditur ab omnibus; infinitas enim ſimpliciter dicitur, quæ adunat, colligit & congregat omnia. *Probatur minor :* concedunt adverſarii, quod ex realitate Dei, & ejus formalitate exurgit Deus infinitus ſimpliciter: ſed hoc non verificaretur, niſi & in realitatè & in formalitate Dei eſſet infinitas ſimpliciter : ergo infinitas ſimpliciter eſt in formalitate Dei æque ac in realitate. *Probatur Minor :* non minus repugnat, exurgere infinitum ſimpliciter ex non infinitis ſimpliciter, quam ex finitis ut ſic exurgere infinitum ut ſic; ut ex ipſis paritatis terminis patet : ſed omnino repugnat quod ex finitis ut ſic exurgat infinitum ut ſic; ut per ſe patet, & ab omnibus nemine excepto conceditur: ergo & repugnare debet, quod ex non infinitis ſimpliciter exurgat ens ſimpliciter infinitum : ergò non exurgeret Deus infinitus ſimpliciter, ut volunt adverſarii, niſi & in formalitate Dei & in realitate eſſet infinitas ſimpliciter; ergo infinitas illa ſimpliciter quæ cauſa eſt realis attributorum identitatis, eſt in formalitate Dei æquè ac in realitate; ergo hoc ipſo quod eadem manente cauſa, debet & idem manere effectus, hoc ipſo nedum realiter ſed etiam formaliter ſunt divina attributa unum & idem.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio : *diſtinctio realis perſonarum eſt in divinis maxima* ; ergo divina attributa nec inter ſe nec ab eſſentia diſtinguuntur formaliter & ex natura rei. *Probatur conſequentia:* diſtinctio formalis ex principiis Scotiſtarum, contra quos hic arguimus, eſt major quam ſit diſtinctio realis: ergo hoc ipſo quod diſtinctio realis perſonarum eſt in divinis maxima, non poſſunt divina attributa ita formaliter diſtingui. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens* : non poteſt formalitas eſſe magis ens quam realitas, & diſtinctio formalis non eſſe major diſtinctione reali : ſed ex principiis Scotiſtarum formalitas eſt magis, majus & nobilius ens, quam realitas: ergo & diſtinctio formalis in eorumdem principijs, debet eſſe major, quam ſit diſtinctio realis. *Major* patet, cum ſit diſtinctio ſicut & unitas paſſio entis, ſubindeq; & ei proportionanda; unde ſicut reale ens eſt magis ens, quam ens rationis, ita & realis diſtinctio major eſt diſtinctione rationis. *Probatur Minor :* quidditas eſt haud dubiè magis, majus & nobilius ens quam ſit modalitas; cum de illa non autem de modalitate dicatur & prædicetur ens ſimpliciter:

citer:

citer : ſed ex doctrina Scotiſtarum formalitas eſt quidditas, & realitas ſolum modalitas ſeu modus; pro quo videantur quæ dicta ſunt *in primo tomo*, dum de diſtinctione naturæ univerſalis & ſingularis : ergo formalitas eſt magis & majus ens quam ſit realitas ex ipſis Scotiſtarum principiis: ergo ex ijſdem principijs diſtinctio formalis major eſt diſtinctio, quam ſit diſtinctio realis: ergo hoc ipſo quod diſtinctio realis perſonarum eſt in divinis maxima [quod eſt tertium præmiſſum principium] non poſſunt hoc ipſo divina attributa, ſive inter ſe , ſive ab eſſentia ita formaliter diſtingui.

Reſtat igitur, diſtingui divina attributa & ab invicem & à divina eſſentia diſtinctione rationis ratiocinatæ , ſive fundamentali, & quidem fundamento ſumpto tum ex creaturis, in quibus, cum realiter diſtinguantur attributales illæ perfectiones , & omnino diverſis conceptibus concipiantur , præbent per conſequens fundamentum, ut diſtinctis conceptibus concipiat intellectus noſter in Deo præfata attributa , atque ita ut illa ratione diſtinguat; tum etiam fundamento ſumpto ex parte Dei, qui quidem, cum una ſimpliciſſima entitate ac perfectione præſtet, quæ præſtamus nos per plures illas perfectiones & entitates in nobis realiter diſtinctas, eſt conſequenter in entitate illa ſimpliciſſima & ſummè una virtualiter multiplex , cum vim habeat præſtandi per unum, quæ nos nonniſi per plura præſtamus; ac proinde ex illa multiplicitate virtuali & virtuali diſtinctione fundamentum præbet intellectui noſtro , ut in quantum vim habet præſtandi quod facimus nos per ſapientiam, concipiat illam ſub conceptu & ratione ſapientiæ, & ut vim habet præſtandi quod præſtamus nos per bonitatem, concipiat illam ſub ratione ſolum & conceptu bonitatis, & ſic formet actualem diſtinctionem rationis in illa entitate, quæ ſolum ex parte ſui ſupponitur diſtincta virtualiter & virtualiter multiplex.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. ea, de quibus verificantur contradictoriè oppoſita, non poſſunt non diſtingui formaliter & ex natura rei: ſed de attributis Dei ſivè inter ſe, ſivè cum eſſentia verificantur contradictoriè oppoſita: ergo non poſſunt divina attributa non diſtingui formaliter & ex natura rei, ſivè inter ſe ſivè ab eſſentia. *Minor* patet ; de eſſentia namque divina , v. g. verificatur , quod ſit communicabilis ; & de attributis relativis , quod non ſint communicabilia ; item de juſtitia verificetur quod punit; de miſericordia vero quod non punit ſed parcit. *Probatur Major* : abſolute loquendo duo contradictoria non poſſunt de

punit ſed parcit. *Probatur Major:* abſolutè loquendo duo contradictoria non poſſunt de uno & eodem verificari: ſed ſi verificarentur de aliquo indiſtincto formaliter & ex natura rei, verificarentur de uno & eodē abſolute loquēdo: ergo ea de quibus verificātur cōtradictoriè oppoſita debent eſſe formaliter & ex natura rei diſtincta *Probatur Minor:* ibi eſt abſolutè loquendo unum & idem ubi ſecluditur & excluditur diſtinctio quæ eſt abſolutè loquendo diſtinctio; ſed diſtinctio quæ abſolutè loquendo diſtinctio eſt, non alia eſt quam ea quæ eſt in rei natura; ergo ubi eſt indiſtinctio ex natura rei, ibi eſt abſolutè loquendo unum & idē; ac proindè ſi verificarentur duo contradictoria de aliquo indiſtincto formaliter & ex natura rei, verificarentur abſolutè loquendo de uno & eodem.

Reſpondeo negando majorem, cujus falſitatem oſtendo & ratione, & exemplo, & quidem ex ipſa adverſariorum doctrina depromto. Primo igitur ratione oſtendo, poſſe prædicata contradictoriè oppoſita verificari de aliquo, in quo non ſupponatur diſtinctio illa formalis & ex natura rei, & arguo ſic. Fieri poteſt & multoties fit juxta principia Scotiſtarum, juxta quæ plura admittuntur ſolum formaliter diſtincta, fieri, inquam, poteſt, quod prædicata illa quæ contradictionem involvunt ſolum diſtinguantur formaliter & ex natura rei: atqui ad verificationem contradictoriorum non tanta requiritur diſtinctio in eo de quo verificantur, quanta eſt inter ipſa prædicata oppoſita; cum prædicata oppoſita quæ verificantur de divina eſſentia & de relationibus, puta communicari realiter, & non communicari realiter, diſtinguantur ab invicem realiter, ut patet; & tamen nullus audeat vel auſus fuerit dicere eſſe propterea realem diſtinctionem inter eſſentiam & relationes: ergo ex hac ratione, quæ vim præcipuè habet in doctrina adverſariorum habetur evidenter, ea de quibus verificantur contradictoria etiam formaliter oppoſita non propterea debere formaliter & ex natura rei ab invicem diſtingui.

Nota.

Item hoc idem colligo ab exemplo ex ipſa adverſariorum doctrina ſimiliter deprompto, quod propterea in ipſos retorqueo adverſarios. Pro quo aſſumo certas duas & determinatas formalitates, quæ juxta adverſariorum principia ſolum diſtinguantur formaliter, & argumentor ſic: formalitas A, verbi gratia, ſub ratione formalitatis talis differt & diſconvenit a formalitate B, & ſub ratione formalitatis ut ſic cum illa convenit: ergo de formalitate A, ſub ratione formalitatis ut ſic, & ſub ratione formalitatis talis verificantur duo illa prædicata, quæ contradictionem involvunt, puta convenire & diſconvenire: atqui in eadem

for-

formalitate A, duæ illæ rationes, puta ratio formalitatis ut ſic, & ratio formalitatis talis non diſtinguuntur formaliter & ex natura rei; aliàs tantum differret formalitas A, à formalitate ut ſic, quæ de ipſa prædicatur, & in qua convenit, quam à formalitate B, quæ de illa negatur & à qua differt: ergo & ab exemplo ex ipſa adverſariorum doctrina deprompto colligitur poſſe contradictoriè oppoſita verificari de aliquibus, in quibus non ſupponitur diſtinctio illa formalis & ex natura rei; ſicque & ratione & exemplo habetur falſam eſſe majorem præfatam. Ad hujus autem probationem dico, quod illud abſolutè prolatum, quod ſcilicet duo contradictoria non poſſunt de uno & eodem verificari, quantumvis ita abſolutè proferri ſoleat; non venit tamen intelligendum apud Philoſophos, niſi de uno & eodem quod eſt penitus & omnino unum & idem; unde cum non ſit penitus & omnino unum & idem, quamvis ſit indiſtinctum ex natura rei; ex eo ſcilicet, quod hoc non obſtante poteſt adhuc eſſe non idem conceptibiliter, virtualiter & ratione, conſequenter fit, quod quamvis ſit indiſtinctum ex natura rei, non propterea prædicata illa contradictoria quæ de illo verificantur, dicantur verificari de uno & eodem in eo ſcilicet ſenſu, in quo intelligendum venit ly *unum & idem* in præfato axiomate abſolutè prolato: ſed pro majori hujus intelligentia videatur & notetur reſponſio ſequens. Unde

Inſtabis: Hoc ipſo quod non ſufficit rationis diſtinctio ad tollendam repugnantiam contradictionis, debet ad verificationem contradictoriorum præſupponi formalis diſtinctio & ex natura rei: ſed ad tollendam repugnantiam contradictionis non poteſt ſufficere rationis diſtinctio: ergo ad verificationem contradictoriorum præſupponi debet formalis diſtinctio in eo, de quo verificantur. *Probatur Minor:* repugnantia contradictionis exercetur in ipſo ſubjecto de quo verificari debent contradictoriè oppoſita; ſed rationis diſtinctio nihil ponit in ſubjecto; cum fiat talis diſtinctio, per hoc quod ſubjectum ſic & ſic concipitur, & ly *concipi* nihil ponat in re: ergo non ſufficit diſtinctio illa rationis ad tollendam repugnantiam contra-

Reſpondeo Negando Minorem, cujus ratio, & quidem [meo judicio] irrefragabilis eſt, quia quod integratur ex pluribus unitatibus & indiſtinctionibus, tollitur & per amotionem cujuslibet, & per amotionem tantum unius vel alterius: jam ſic eſt, quod repugnantia contradictionis in uno & eodem integratur ex unitate ſeu identitate tum reali tum formali, tum etiam rationis ſeu conceptibilitatis; cum non ſibi repugnent

contra-

contradictoria, niſi ſint penitùs de uno & eodem; nihil autem ſit penitùs unum & idem, niſi ſit tum realiter, tum formaliter, tum conceptibiliter unum & idem: ergo ſufficit diſtinctio rationis & conceptibilitatis in eo de quo verificantur contradictoria, ut tollatur repugnantia contradictionis. Unde ad probationem nego ſimiliter minorem, vel claritatis gratiâ diſtinguo ſic: ſed rationis diſtinctio nihil ponit in ſubjecto, quantum eſt ex parte ſuæ actualitatis, Concedo; quantum eſt ex parte ſui fundamenti, Nego. Hæc enim diſtinctio rationis ratiocinatæ & fundamentalis ad differentiam diſtinctionis rationis ratiocinantis, ut ajunt, ponit aut potius ſupponit in ſubjecto diſtinctionis eminentiam quandam, vi cujus ſubjectum illud adunans in ſe; quæ ſunt in inferioribus diſperſa, habet conſequenter vim faciendi & præſtandi per unum quæ alia præſtant per plura; & ita eſt ex parte ſui virtualiter multiplex: cum autem de eo ut ita virtualiter multiplici poſſint diverſa & conſequenter contradictoria verificari, ex eo quod ut tale vim habet plurium & vices præſtat multorum, propterea fit, quod diſtinctio illa rationis ſufficienter ponat in ſubjecto ex parte ſui fundamenti, ad hoc ut prædicata contradictoria poſſint de illo verificari, & tollatur contradictionis repugnantia.

Vrgebis: Ideo ergo verificari poſſunt contradictoria, quia ex parte ſubjecti de quo verificari debent ſupponitur virtualis multiplicitas & virtualis diſtinctio: ſed diſtinctio quæ ſe tenet ex parte ſubjecti antecedit operationem intellectus: ergo non poſſunt præfata verificari contradictoria, niſi præſupponatur ex parte eſſentiæ & attributorum virtualis aliqua diſtinctio antecedens operationem intellectus: ſed per diſtinctionem formalem Scotiſtarum nihil aliud intelligendum venit, nec aliud volunt intelligi, quam diſtinctio aliqua quæ antecedat operationem intellectus; ergo non poſſunt præfata verificari contradictoria, niſi admittatur ex parte divinæ eſſentiæ & attributorum formalis illa Scotiſtarum diſtinctio.

Reſpondeo, Concedendo totum argumentum, & negando ſubſumptum: differunt enim toto cælo formalis illa Scotiſtarum diſtinctio, & diſtinctio virtualis quam admittunt Thomiſtæ ex parte ſubjecti etiam antecedenter ad operationem intellectus *Nota.* tanquam fundamentum diſtinctionis rationis; ſiquidem diſtinctio illa formalis, quam volunt Scotiſtæ præſupponi ex parte ſubjecti, v.g. ex parte eſſentiæ & attributorum, talis eſt diſtinctio & talis naturæ, ut revera actualis ſit, ut reipſa dualitatem importet & multiplicitatem, adeo ut conceptus diſtinctorum non poſ-

ſit

ſit in recto explicari per eſſe unum quid: at vero virtualis Thomiſtarum diſtinctio, quamtumvis admittatur ex parte ſubjecti & antecedenter ad operationem intellectus, eſt tamen talis diſtinctio, & diſtinctio talis naturæ, quod revera actualis non ſit, nec actu importet dualitatem & multiplicitatem, ſed potius talis dicatur, quia conſiſtit in eminenti quadam unitate quæ ratione eminentiæ & perfectionis ſuæ poteſt per unum facere, quod non faciunt alia, niſi per plura; qua de cauſa dicitur virtualiter multiplex: non ergo per talem virtualem diſtinctionem, quæ deinde actualis ſit per operationem intellectus, intelligendum venit nec venire poteſt, quod ipſi intelligunt Scotiſtæ per diſtinctionem ſuam formalem. Valeant igitur tam acuti & ſubtiles Philoſophi, qui non niſi per plura valent facere, quæ nos tam facilè per unum præſtamus.

Objicies ſecundò. Etiam antecedenter ad operationem intellectus ſapientia Dei in quantum ſapientia reduplicativè, non eſt juſtitia Dei: ſed eſt attributum ſapientiæ, in quantum eſt ſapientia reduplicativè; ergo attributum ſapientiæ etiam antecedenter ad operationem intellectus non eſt juſtitia Dei.

Reſpondeo Pro ſolutione & intelligentia hujus & ſimilium propoſitionum negativarum, quas ſolent adverſarii nobis objicere, quod quando negatur unum attributum de altero, ut ſapientia de juſtitia, poteſt hoc fieri dupliciter; vel abſolutè, ut dum dicitur ſapientia non eſt juſtitia; vel cum reduplicatione, ut dum dicitur ſapientia in quantum ſapientia non eſt juſtitia; & quodlibet iſtorum adhuc dupliciter, uno modo in communi, alio modo in natura determinata puta in Deo aut in creatura. Hoc ſuppoſito, jam pro reſolutione dico, quod ſi accipiantur præfatæ propoſitiones in communi & non in determinata natura, ſic ſunt veræ, ſive ſumantur abſolutè, ſive cum reduplicatione, propterea quod quidquid convenit inferiori, puta ſapientiæ tali v.g creatæ poteſt dici de ſuperiori; & ita cum ſapientia creata nec ſumpta cum reduplicatione nec abſolutè ſumpta ſit juſtitia; conſequenter ſit quod loquendo de ſapientia in communi verum ſit dicere quod ſapientia nedum reduplicativè ut ſapientia, ſed etiam abſolutè loquendo non ſit juſtitia. Si vero fiant præfatæ propoſitiones negativæ non in communi, ſed in natura determinata ſcilicet divina, ut de facto fieri debent; cum procedat quæſtio de diſtinctione attributorum Dei; tunc dico, quod hujuſmodi propoſitiones negativæ nedum abſolutè ſumptæ reperiuntur falſæ, ſed etiam ſumptæ cum reduplicatione, adeo ut falſa ſit hæc propoſitio: *ſapientia Dei reduplicativè in quantum ſapien-*

pien-

pientia Dei non eſt juſtitia, propterea quod cum inquantum ſapientia Dei ſit ſapientia entis ſummè ſimplicis ; & ens ſummè ſimplex ex Auguſtino ſupra citato dicatur id quod eſt illud omne quod habet, conſequenter fit quod cum Deus ſapientiam habeat atque juſtitiam, ſit etiam Deus ſua ſapientia & ſua juſtitia, & eadem ratione ſapientia Dei in quantum ſapientia Dei ſit ipſe Deus & Dei juſtitia. Unde cum non ſit ſapientia attributum Dei niſi in quantum cadit reduplicatio ſupra ipſam ſapientiam prout in Deo, ſive prout determinatam ad talem naturam, ſcilicet divinam, conſequenter fit quod attributum ſapientiæ non propterea antecedenter ad operationem intellectus diſtingui debeat ab attributo juſtitiæ.

Inſtabis : Par eſt ratio de ſapientia & juſtitia quantum ad diſtinctionem, ac de intellectu & voluntate ; ſed intellectus reduplicativè ut intellectus etiam prout eſt intellectus Dei, ſeu prout eſt in natura determinata, ſcilicet divina, non eſt voluntas : ergo nec ſapientia reduplicative ut ſapientia erit juſtitia, quamtumcumque ſumatur ut ſapientia Dei, & prout in natura determinata *Probatur Minor :* de intellectu prout eſt Dei reduplicative ut intellectus eſt, dicitur quod generat : ſed de voluntate non dici ſolet quod generat : ergo intellectus reduplicativè ut intellectus, etiam prout eſt intellectus Dei, non eſt voluntas.

Reſpondeo Negando Minorem, puta quod intellectus reduplicative ut intellectus ſumptus in natura determinata ſcilicet divina & ut eſt intellectus Dei non ſit voluntas : quælibet enim perfectio Dei ob ejus infinitatem ſummè ſimplicem, & ſimplicitatem infinitam eſt omnis perfectio, quamtumcumque fiat reduplicatio, modo cadat reduplicatio ſupra ipſam perfectionem prout eſt in natura Divina, ſive prout eſt perfectio Dei. Si enim
Nota. ens ſummè ſimplex, ut definit D. Auguſtinus 11. *de Civit. Dei, cap.* 10. dicitur illud quod eſt illud omne quod habet ; cum Deus & Dei intellectus, quamtumcumque ſumantur reduplicativè ſint ens ſummè ſimplex & habeant voluntatem, numquid recte & per bonam conſequentiam ſequitur, quod Deus nec non & Dei intellectus ſint voluntas, quamtumcumque reduplicativè ſumantur, cum reduplicatio non auferat ab illis, unde ſint illud omne quod habent, puta ſummam ſimplicitatem. Negananda igitur eſt præfata minor : ad cujus probationem nego ſimiliter minorem, quod ſcilicet de voluntate Dei non dicatur quod generet ſub ea ratione, qua dicitur de intellectu : etenim ſicut intellectus Dei habet generare verbum quia intellectus & in quantum eſt intellectus, ita & voluntas Dei habet generare

verbum quia intellectus & in quantum eſt intellectus; & ſicut voluntas eſt ſpirativa ſpiritus ſancti quia voluntas & in quantum voluntas, ita & Dei intellectus eſt ſpirativus ſpiritus ſancti quia voluntas & in quantum eſt voluntas, atque ita quidquid convenit uni convenit etiam alteri.

Quod ſi addas: quare ergo abſolute loquendo non dicitur nec ſolemus dicere: voluntas generat, ſicut abſolutè loquendo ſolemus dicere: intellectus generat. Nota.

Reſpondeo, hoc ideo eſſe, non quod aliquid conveniat intellectui, quod non convenit voluntati, aut è contra, ſed quia per intellectum à nobis abſolutè prolatum ſolemus intelligere intellectum ſub præciſa ratione intellectus, & non prout eſt voluntas, & per voluntatem abſolutè prolatam ſolemus eamdem intelligere ſub præciſa ratione voluntatis & non prout eſt intellectus. Ex quo fit, quod ſicut non dicitur nec dici debet de Dei voluntate ſub præciſa ratione voluntatis & ut præſcindit à ratione intellectus, quod generet, ita ſimiliter nec de voluntate abſolutè prolata dicere ſolemus quod generet, quamvis de ea dicatur & dici debeat, quod generet prout eſt intellectus, ut dictum fuit ſupra.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod quidem colligo primò ex his quæ habet *in 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3*, ubi ſic diſcurrit: *ſapientia, & bonitas & omnia hujuſmodi ſunt omnino unum re in Deo, ſed differunt ratione:* ex quibus verbis argumentor ſic. Qui omnem excludit inter divina attributa diſtinctionem, quæ non eſt rationis, excludit ab ijs omnem formalem diſtinctionem, & ex natura rei: ſed D. Thomas per verba citata excludit inter divina attributa omnem diſtinctionem, quæ non eſt rationis; cum dicat eſſe omnino unum in Deo, ſed differre ratione: ergo nullam agnovit D. Thomas diſtinctionem formalem & ex natura rei inter divina attributa; Quin immò confundit S. Doctor per eadem verba diſtinctionem formalem & ex natura rei cum diſtinctione reali, quod ſic oſtendo. Qui concludit diſtinctionem rationis ex eo quod negat realem diſtinctionem, confundit haud dubiè formalem diſtinctionem cum diſtinctione reali; aliàs male colligeret quod eſſet ibi rationis diſtinctio hoc ipſo, quod non eſt realis diſtinctio: atqui Divus Thomas concludit inter

divina

divina attributa differentiam rationis poſtquam negavit realem diſtinctionem, ſeu, quod in idem redit, poſtquam admiſit unitatem & indiſtinctionem in re; dicit enim quod ſapientia, bonitas & omnia hujuſmodi ſunt omnino unum re in Deo, ſed differunt ratione: ergo confundit S Doctor in præfatis verbis diſtinctionem formalem cum diſtinctione reali, ſive cum diſtinctione, quæ eſt in re.

Secundò hoc idem colligo ex iis quæ habet S. Doctor *quæſt.7. de potentia art.*1.*ad* 5 ubi & ſolvit tritum illud adverſariorum argumentum, quodque eſt præcipuum eorumdem formalis diſtinctionis fundamentum. Sic enim diſcurrit ſanctiſſimus præceptor: *De eo quod eſt idem in re & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari: ut dicit Philoſophus 3. Phyſicorum. Sicut patet quod idem punctum re & differens ratione eſt principium & finis, & ſecundum quod eſt principium non eſt finis & è contrario. Vnde cum eſſentia divina & proprietas ſint idem re, & differant ratione, nihil prohibet quin unum & idem ſit communicabile & incommunicabile.* Hæc D. Thomas, quibus nihil expreſſius afferri poteſt, immò & efficacius in favorem ſententiæ expoſitæ.

QUÆSTIO III.

De æternitate Dei.

Vtrum res futuræ ſicut & exiſtentes fuerint ſemper verè ac Phyſicè præſentes in æternitate.

PRæmittendum primò, Pro declaratione hujus tam celebris difficultatis, quæ quidem una eſt ex præcipuis quæ controverti ſolent inter Thomiſtas & Theologos Societatis, præmittendum, inquam, quod id quod in præſenti in examen adducimus eſt an futura tunc ſolum primò incipiant divinæ æternitati coexiſtere & ab illa contineri & menſurari tanquam à menſura ſuperexcedente, quando incipiunt eſſe extra cauſas in propria temporis menſura; ita quod æternitas expectare debeat ipſam exiſtentiam, tranſitum & fluxum rerum temporalium ut illas in ſe contineat & menſuret: an verò ipſa æternitas ratione ſuæ infi-

infinitatis ſe coextendat non ſolum ad res præſentes, ſed etiam præteritas & futuras; nec expectet quod illæ actu exiſtant in propria temporis menſura, ut illas complectatur & menſuret, ſed præveniat & præoccupet ratione ſui ambitus infiniti. Pro quo ſupponendum eſt tanquam certum ex ipſo etiam ore adverſariorum, quod inſtans æternitatis, infinitum & indiviſibile, quod eſt menſura ipſius exiſtentiæ Dei, adæquatè & prout in ſe ſumptum omnia creata ſive præterita, ſive præſentia, ſive futura habet ſibi præſentia, non ſolum intentionaliter, ſeu præſentia objectiva cognitionis, verum etiam phyſicè & realiter: nam, ſicut immenſitas Dei per quam Deus indiviſibiliter exiſtit in loco, habet [ſi adæquatè ſumatur] ſibi præſentes res omnes, in quovis loco exiſtentes; ita infinita æternitatis duratio propter ſuam etiam infinitatem & interminabilitatem in genere durationis habet ſimiliter [adæquatè ſumpta] ſibi coexiſtentes res omnes, quæ ſunt, fuerunt, & erunt.

Notandum tamen eſt [inquiunt adverſarij] quod hæc æternitas quæ adæquatè ſumpta ſimul exiſtit & menſurat Dei exiſtentiam per omne imaginarium tempus ab æterno uſque in æternum, quæque formaliter & realiter eſt indiviſibilis, eſt tamen diviſibilis virtualiter, & æquivalenter, ac per conceptus noſtros quibus multas in ea virtualitates concipimus. Nam aliam concipimus in ea virtualitatem, qua coexiſtit protoparenti Adamo, aliam qua coexiſtit Clementi nono, & aliam qua coexiſtit homini peſſimo Antichriſto. Unde ijdem inferunt, non eſſe res pro ſemper & ab æterno phyſicè & realiter præſentes in æternitate; eo quod, inquiunt, non ſint ei præſentes ſecundum omnes ejus virtualitates ſive ſecundum ipſam totam, ſed ſolum ſecundum illam virtualitatem quæ correſpondet propriæ durationi & tempori cujuslibet rei, adeo ut Clemens nonus futurus ſit, non autem præſens reſpectu virtualitatis qua æternitas coexiſtit Adamo; Et ſimiliter Antichriſtus futurus ſit, non verò præſens reſpectu virtualitatis correſpondentis & coexiſtentis propriæ durationi Clementis noni, ſicque res futuræ non ſint ſemper & ab æterno phyſicè & realiter præſentia in æternitate. Hæc communiter Moliniſtæ.

Præmittendum 2. Pro exponenda Thomiſtarum ſententia, nos non diffiteri, eſſe æternitatem virtualiter, æquivalenter, & per conceptus noſtros diviſibilem, quibus multas virtualitates in ea concipimus. Quia tamen reipſa & ut eſt ex parte Dei æternitas illa eſt una indiſtincta & indiviſibilis entitas ac uniformis duratio, hinc propterea fit, quod aliquid ejus coexiſtere primo

parenti, eſt totam ei reipſa coexiſtere; & aliquid ejus coexiſtere Clementi nono, eſt totam ei coexiſtere reipſa; & ſimiliter aliquid ejus coexiſtere Antichriſto eſt reipſa totam ei coexiſtere: hæc enim coexiſtentia æternitatis cuique alteri rei non fit per noſtros conceptus diſtinguentes, ſed independenter ab illis ipſa æternitas ſua reali, infinita, indiviſibili, & ſummè uniformi duratione habet coexiſtere cuique rei; atque ita cum Antichriſtus ſit præſens ad aliquid æternitatis, reipſa ad totam æternitatem eſt præſens, quia aliquid æternitatis eſt reipſa tota æternitas.

Notandum tamen, quod quando dicimus & dicemus quod futura ſunt ita phyſicè & realiter præſentia in æternitate, eique ſemper coexiſtentia, hoc non eſt nec volumus eſſe, quia res temporales futuræ acceleraverint curſum ſuæ durationis, & quaſi citius exurgentes occurrerint æternitati antequam ſint in tempore, ſive quod anteverrendo tempus noſtrum protraxerint & extenderint ſuas durationes & exiſtentias uſque ad initium æternitatis, ut ſic in æternitatem ſe intromitterent & ei ſemper coexiſterent; nec enim tale quid ullus unquam ſomniavit Thomiſta: ſed in hoc tantum ſenſu volunt illud intelligi, quod ſcilicet æternitas ſua uniformi, indiviſibili, infinita, & permanente duratione, jam ſine tranſitu & ſucceſſione pertranſiit quidquid requiritur, ut ipſa ſit præſens tempori noſtro futuro; Unde tempus futurum, [quod quidem nobis nondum eſt præſens, quia non tranſivimus nos noſtra ſucceſſiva duratione totum quod requiritur, ut ei ſimus præſentes] eſt jam præſens ipſi æternitati; quia ipſa æternitas, utpote infinita, indiviſibilis, & immutabilis duratio ſine tranſitu ſui habet jam tranſactum quidquid requiritur & totum quod eum oportet tranſire ut ſit ei præſens, quod nobis adhuc futurum eſt: hoc ergo eſt, quod docent communiter Thomiſtæ, & hoc idem eſt quod docuere D. Anſelmus *in lib. de concordia praſcientiæ & prædeſtinationis divinæ cum libero arbitrio:* B. Petrus Damianus *Tom. 3. opuſc. 36. cap. 8. de Dei æternitate:* D. Auguſtinus *in tomo 4. lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2.* D. Gregorius *lib. 20. Moralium cap. 23.* Boetius *lib. 5. de Conſolatione proſa ſexta:* & demum Divus Proſper in libro Epigrammatum ubi ſic canit:

Utque locis præſens ſimul eſt Deus omnibus unus
Sic rerum metas ſecum habet & numeros:
Seſerum aut properum ſibi ſentit in ordine rerum,
Cui cuncta aſſiſtunt acta & agenda ſimul.

Præ

Præmittendum ultimò, Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt in utraque ſchola receptiſſima, Thomiſtarum ſcilicet & Patrum Societatis, ſubindeque vim habitura principii reſpectu inferendæ concluſionis, puta quod *æternitas ut adæquatè ſumpta habet res omnes ſive præteritas ſive futuras ſibi realiter præſentes*: quod *omnis & tota æternitatis realitas eſt, pro ſemper & ab æterno*: quod *coexiſtens æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates coexiſtit ei pro ſemper & ab æterno*. Primò quidem receptiſſima eſt prima illa propoſitio, puta quod æternitas ut adæquatè ſumpta habet ſibi res omnes, ſive præteritas ſive futuras realiter præſentes; cujus ratio eſt quia æternitas ſe habet ad durationes rerum & ad varias durationum differentias, ſicut immenſitas ad loca & ad varias locorum ubicationes; atque ita ſicut immenſitas adæquatè ſumpta coexiſtit omnibus locis & locorum differentiis & ubicationibus, quales ſunt ſurſum & deorſum, ante & retro, ita æternitas adæquatè ſumpta debet omnibus durationis noſtræ differentiis, quæ ſunt præteritum, præſens, & futurum, realiter & præſentialiter coexiſtere; ac proinde ut adæquatè ſumpta debet habere res omnes ſive præteritas ſive futuras ſibi realiter præſentes. Unde & hanc propoſitionem libenter concedit Herice author Societatis *in Tractatu* 1. *de ſcientia Dei*, *diſputat.* 6. *cap.* 4. *num.* 66. licet oppoſitæ ſententiæ propugnator acertimus.

Quantum verò ad ſecundam propoſitionem, quod ſcilicet omnis & tota æternitatis realitas eſt pro ſemper & ab æterno, eam exiſtimo ego eſſe de fide; cum de fide ſit, quod quidquid eſt reale in Deo, hoc ipſi ſemper & ab æterno atque invariabiliter competit.

Demum quantum ad tertiam, puta quod coexiſtens æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, ei ſemper & ab æterno coexiſtit, ratio hujus eſt, quia coexiſtere æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, eſt ei coexiſtere ſecundum omnes illas rationes, ſecundum quas menſurare poteſt omnes & quaſcumque rerum durationes, ac proinde, cum ſit hoc ei coexiſtere pro ſemper, fit quod coexiſtere æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, ſit ei pro ſemper coexiſtere. Unde & hoc etiam libenter concedunt adverſarii, qui propterea negant Antichriſtum, & ſic de cæteris futuris coexiſtere phyſicè æternitati, quamdiu futurus eſt, ſive pro ſemper & ab æterno; quia inquiunt ei tantum coexiſtit ſecundum illam virtualitatem ſecundum quam correſpondet duratio æternitatis propriæ ejus durationi, non

vero ſecundum virtualitatem, ſecundum quam correſpondet ipſi Adamo, v.g. ex quo inferunt, quod futura ut talia non coexiſtunt æternitati, ſed ſolum quando ſunt exiſtentia. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione, & concluſionis ad eadem principia reductione ſit:

CONCLUSIO: *Futura etiam pro tempore quo futura ſunt, ſubindeque pro ſemper & ab æterno ſunt in æternitate & reſpectu æternitatis phyſicè & realiter præſentia.*

Probatur primò, Ex primo præmiſſo principio: *æternitas ut adæquatè ſumpta habet res omnes ſive præteritas ſive futuras ſibi realiter præſentes*: ergo futura ſunt pro ſemper & ab æterno ipſi æternitati phyſicè & realiter præſentia; ſeu, quod in idem redit, ſunt æternitati realiter præſentia etiam quamdiu futura ſunt. *Probatur conſequentia*: æternitas eſt ab æterno & pro ſemper adæquatè & adæquata æternitas: ergo hoc ipſo quod æternitas ut adæquatè ſumpta habet futura ſibi realiter præſentia, ſunt hoc ipſo futura realiter præſentia æternitati pro ſemper & ab æterno: *conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: æternitas eſt ab æterno & pro ſemper æternitas: ſed non eſt æternitas, niſi ut adæquata: ergo æternitas eſt pro ſemper & ab æterno adæquatè & adæquata æternitas. *Probatur Minor*: æternitas ut tota ſimul eſt adæquata & adæquatè ſumpta; ſed non eſt æternitas, niſi ut tota ſimul, ut colligitur ex ejus definitione, quæ ſub his terminis tradi ſolet: eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio: ergo æternitas non eſt æternitas, niſi ut adæquata: ergo æternitas eſt pro ſemper & ab æterno adæquata: ergo hoc ipſo quod æternitas ut adæquatè ſumpta habet futura ſibi realiter præſentia [quod eſt primum præmiſſum principium] ſunt hoc ipſo futura realiter præſentia æternitati pro ſemper & ab æterno, ſive etiam quamdiu futura ſunt.

Probatur ſecundò, Ex ſecundo præmiſſo principio: *omnis & tota æternitatis realitas eſt pro ſemper & ab æterno*: ergo futura coexiſtunt realiter æternitati pro ſemper & ab æterno, & quamdiu futura ſunt. *Probatur conſequentia*: futura coexiſtunt toti realitati æternitatis: ergo hoc ipſo quod omnis & tota æternitatis realitas eſt pro ſemper & ab æterno, coexiſtunt hoc ipſo futura æternitati ab æterno & pro ſemper, ſeu quamdiu futura ſunt. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: coexiſtere realitati æternitatis quoad aliquid ejus, & coexiſtere toti realitati æternitatis ſunt unum prorſus & idem; ſed futura coexi-
ſtunt

ſtunt realitati æternitatis ſecundum aliquid illius : ergo & coexiſtunt futura toti realitati æternitatis. *Minor* patet & ab omnibus conceditur ; futura enim quamdiu durant & exiſtunt continentur realiter ſub ipſa reali duratione æternitatis quæ talia complectitur & ambit, atque adeo ſunt præſentia realiter & phyſicè ipſi æternitatis realitati ſecundum aliquid ejus. *Probatur Major* : Quandocumque duo aliqua ſub aliqua ratione ſunt indiſtincta, quod dicitur ſub illa ratione de uno , dicitur ſub eadem de altero : ſed in realitate æternitatis totum & aliquid ſunt realiter indiſtincta ; cum ſit æternitas realiter indiviſibilis, utpotè quæ eſt duratio & menſura entis realiter indiviſibilis & ſimpliciſſimi : ergo quod coexiſtit realitati æternitatis ſecundum aliquid, coexiſtit etiam toti realitati æternitatis : Ergo coexiſtunt futura toti realitati æternitatis : ergo hoc ipſo quod omnis & tota æternitatis realitas eſt pro ſemper & ab æterno [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] ſunt hoc ipſo futura pro ſemper & ab æterno realiter præſentia ipſi æternitati , ſive ipſi præſentia, quamdiu & quando futura ſunt.

Probatur tertiò. Ex tertio præmiſſo principio : *coexiſtens æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, coexiſtit ei pro ſemper* : Ergo futura coexiſtunt pro ſemper & ab æterno ipſi æternitati. *Probatur conſequentia* : futura coexiſtunt reipſa æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates : ergo hoc ipſo quod coexiſtens æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, coexiſtit ei pro ſemper, hoc ipſo coexiſtunt futura ipſi æternitati pro ſemper & ab æterno : *conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens* : & quidem duplici medio. Primò virtualitas qua æternitas coexiſtit Adamo v. g. eſt quid ipſi æternitati intrinſecum, ut patet ; ſed dum æternitas coexiſtit Antichriſto v. g. habet omnia ſibi intrinſeca ; alias eſſet intrinſecè mutabilis : ergo æternitas coexiſtit reipſa Antichriſto v. g. ſecundum etiam eam virtualitatem correſpondentem exiſtentiæ Adami , ſubindeque & ſecundum omnes virtualitates, licet à nobis ob noſtros imperfectos & inadæquatos conceptus non ſic apprehendatur. Secundò quandocumque aliqua ſunt reipſa unum & idem , quod coexiſtit reipſa uni, coexiſtit reipſa & alteri : ſed omnes illæ æternitatis virtualitates ſunt reipſa unum & idem : ergo futura omnia coexiſtentia reipſa æternitati ſecundum aliquam virtualitatem, coexiſtunt ipſi reipſa ſecundum omnes ejus virtualitates. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor* : Quo modo virtualitates illæ æternitatis diſtinctæ ſunt, eo etiam modo dicitur æternitas diviſibilis & ſucceſſiva : ſed æternitas non eſt reipſa diviſibilis & ſucceſſi-

ceſſiva : ergo nec ſunt virtualitates ejus reipſa diſtinctæ : ergo quod coexiſtit æternitati ſecundum unam virtualitatem coexiſtet illi reipſa ſecundum omnes : ergo futura æternitati coexiſtunt ſecundum omnes ejus virtualitates : ergo hoc ipſo quod coexiſtens æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, ei pro ſemper coexiſtit, [quod eſt tertium præmiſſum principium] hoc ipſo coexiſtunt futura æternitati pro ſemper & ab æterno, ſive quando & quamdiu futura ſunt.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, Nulla creatura debet denominari æterna ; ſed ſi coexiſteret phyſicè æternitati ab æterno & pro ſemper, denominaretur æterna : ergo nulla creatura nec futura nec præterita habet pro ſemper coexiſtere phyſicè æternitati. *Probatur Minor*; denominatio proveniens ab æternitate ut ab æterno ; eſt denominatio æterni : ſed ſi creaturæ coexiſterent phyſicè æternitati ab æterno, denominarentur & attingerentur ab ea ut eſt ab æterno : ergo & denominarentur æternæ.

Reſpondeo Negando Minorem : ad cujus probationem diſtinguo majorem : denominatio proveniens ab æternitate ut ab æterno, eſt denominatio æterni, loquendo reſpectu illius quod actuatur, aut quaſi actuatur intrinſecè ab æternitate, Concedo : loquendo reſpectu illius quod non actuatur ab æternitate intrinſecè, ſed extrinſecè ſolum attingitur, Nego. Creaturas igitur coexiſtere ipſi æternitati ab æterno & pro ſemper, non eſt ipſas eſſe æternas, eo quod ſcilicet æternitas eas non actuet intrinſecè. Neque enim unitur propterea æternitas cum creaturis ut intrinſeca earum duratio, ſed hoc tantum modo ſe habet ad illas, ut ſcilicet velut menſura ſuperior contineat & ambiat continentia quadam reali omnem durationem creatam & res omnes creatas ut durantes, quod quidem fit, licet eis non uniatur aut conveniat intrinſecè, cum præfata continentia ſit extrinſeca rei contentæ. Res ergo creatæ ſemper abſolutè ſunt temporales, quia ſolum extrinſecè ſunt æternæ, ſicut eædem creaturæ ſunt finitè bonæ, finitè intelligibiles, & finitè entia, quamvis à Deo intelligantur intellectione infinita & amentur amore infinito, & contineantur cauſaliter, atque cauſentur continentia atque cauſatione infinita, ex eo ſcilicet quod hæc omnia extrinſecè & ut extrinſecum quid comparantur ad creaturas.

Inſtabis : Quod non eſt exiſtens in ſe neque productum, non poteſt

poteſt alteri coexiſtere: ſed creaturæ hoc ipſo quod æternæ non ſunt, nec ſunt pro ſemper & ab æterno in ſe exiſtentes neque productæ: ergo hoc ipſo quod non ſunt æternæ, intelligi non poſſunt ab æterno & pro ſemper coexiſtentes alteri, puta æternitati.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: Quod non eſt exiſtens in ſe neque productum, non poteſt alteri coexiſtere, ſub illa durationis menſura ſub qua non eſt in ſe, Concedo: non poteſt alteri coexiſtere ſub alia ſuperiori menſura ſub qua & in ordine ad quam jam in ſe exiſtit, Nego: ſimiliter diſtinguo minorem: ſed creaturæ hoc ipſo quod æternæ non ſunt, nec ſunt pro ſemper & ab æterno in ſe exiſtentes vel productæ, loquendo de earum exiſtentia & productione ſub propria menſura & duratione, Concedo: loquendo de iis ſub menſura ſuperexcedente æternitatis, Nego. Ipſa namque æternitas ſua uniformi, infinita, indiviſibili, & permanente duratione jam ſine tranſitu & ſucceſſione pertranſiit ab æterno & pro ſemper quidquid requiritur & oportet eam tranſire aut tranſiiſſe, ut ſit præſens ei, quod nobis adhuc futurum eſt. Nam ſi ab æterno æternitas eſt adæquatè æternitas, ut probatum fuit: ergo ab æterno habet unite & indiviſè tot quaſi partes durationis ſibi identificatas, quot ex æterno pertranſiiſſent uſque ad nunc, ſi ab æterno incepiſſet tempus noſtrum ſucceſſivè compoſitum ex diverſis & ſibi invicem ſuccedentibus partibus: atqui ſi ab æterno incepiſſet tempus ſucceſſivum verum vel imaginarium, tot jam partes ejus tranſiiſſent, quot ſufficerent, ad hoc ut jam tale tempus vel aliqua pars ejus eſſet nunc præſens ut eſt: ergo & æternitas ab æterno habet vel habuit jam intra ſe, ſecumque identificatum aliquid, quo de facto tunc coexiſteret reipſa rebus nunc & poſtea exiſtentibus; eſto non ſint partes ſuccedentes in æternitate. *Nota.*

Vrgebis: Implicat res coexiſtere æternitati ſine propria menſura, ſive duratione: ſed non ſunt ab æterno cum propria menſura, ſeu temporanea duratione, ut conceditur; ergo nec poſſunt res coexiſtere æternitati pro ſemper & ab æterno.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: implicat res coexiſtere æternitati ſine propria menſura & duratione, ut in æternitate præcontenta, Concedo: ſine propria menſura & duratione, ut eas præſentialiter continente, Nego. Pro quo diligenter notandum eſt, res contineri in æternitate etiam mediante propria menſura & duratione temporanea, non quidem ut exercente rationem propriæ menſuræ, ſive non quidem ut illas præſentialiter continente, ſed ut præſentialiter in menſura ſuperiori præcontenta; *Nota.*

cujus ratio eſt quia æternitas utpote duratio infinita & tota ſimul habet ſibi indiviſibiliter præſentem omnem durationem, & omnes durationis differentias, atque ita complectitur in ſuo nunc indiviſibili ipſum tempus & ipſam rei temporalis inceptionem & durationem ob rationem in ſuperiori ſolutione adductã & annotatam. Ita tamen quod tempus prout ita in æternitate præcontentum non exercet ibi propriam rationem durationis ſucceſſivæ, ſed eſt ibi ſub alio modo immutabili, & inceptio eſt ibi [ut ita loquar] modo non inceptivo; quatenus hæc talis inceptio in æternitate non incipit, neque reſpectu æternitatis ſuam exercet rationem inceptionis, aut deſitionis, eo quod in æternitate nec incipit nec deſinit, ſed ſemper eſt. Unde non ſequitur, (ut male inferunt adverſarii) res illas temporales ita coexiſtentes pro ſemper æternitati, eſſe ibi ſine tempore; cum etiam ſit ibi tempus præcontentum: neque ſimiliter ſequi poteſt, quod ſint in æternitate non productæ, aut bis productæ, ut etiam malè inferunt aliqui ex authoribus oppoſitæ ſententiæ; propterea quod in æternitate non ſunt, niſi quia ipſa æternitas ſine tranſitu ſui habet jam tranſactum, & ſemper habuit, quidquid requiritur, ut ſit præſens rebus earumque productionibus: atque ita una ſola productione res ſunt in tempore ac in æternitate, quia hæc productio, cum ſit una, eſt in duplici menſura, una extrinſeca æternitatis, & alia extrinſeca temporis.

Nota.

Vrgebis iterum: ideo ergo res ſunt pro ſemper phyſice præſentes in æternitate, quia pro ſemper ambit æternitas indiviſibiliter omne tempus & omnes differentias temporis: ſed hæc eadem ratio probat ſimiliter non eſſe ſic phyſicè præſentes in æternitate: ergo non datur phyſica illa rerum præſentia in æternitate pro ſemper. *Probatur Minor*: Quod habet in æternitate carentiam phyſicæ exiſtentiæ, non eſt phyſicè præſens in æternitate: ſed hoc ipſo quod æternitas ita indiviſibiliter ambit omnes differentias temporis, habent hoc ipſo res creatæ carentiam phyſicæ exiſtentiæ in æternitate; cum in aliqua differentia temporis præfatam habeant carentiam: ergo quod ita ambiat æternitas indiviſibiliter omnes differentias temporis, probat ſimiliter, non eſſe res ſic phyſicè præſentes in æternitate.

Reſpondeo negando minorem, ad cujus probationem nego majorem: aliud enim eſt quod Petrus habeat in æternitate carentiam phyſicæ exiſtentiæ; & aliud quod non exiſtat Petrus phyſicè præſens in æternitate: hæc enim ultima propoſitio, cum ſit negativa totum negat, & negare totum in hoc caſu eſt falſum, quod quidem patet evidentiſſimè in ſequenti exemplo. Hæc

Nota.

nam-

namque propoſitio eſt vera: *in tempore præterito fuit & extitit carentia præſentiæ Adami*; & tamen hæc eſt falſa: *in tempore præterito non fuit Adamus.* Prima quidem eſt vera, quia tempore Davidis, v.g. fuit carentia præſentiæ Adami, quod tempus Davidis eſt tempus præteritum. Secunda vero eſt falſa, quia cum ſit negativa, negat pro toto præterito tempore, in cujus tamen parte, puta in principio mundi fuit Adamus: ſic ergo ſimiliter, hæc eſt vera propoſitio; *in æternitate eſt carentia exiſtentiæ creaturarum*, quia ſcilicet ad hoc ſufficit, quod attigerit æternitas præſentialiter tempus illud, in quod nondum erat exiſtentia hujuſmodi creaturarum: Hæc autem eſt falſa: *in æternitate non ſunt creaturæ phyſice præſentes*, quia cum propoſitio hæc ſit negativa, totum negat, ita quod ſenſus ſit, quod æternitas ſecundum nihil ſui attigit præſentialiter tempus illud in quo fuere creaturæ quod eſt falſum.

Ad hoc autem quod dici ſolet, quod ſi hoc eſſet, ſequetur tunc, Adamum & AntiCriſtum ſibi invicem coexiſtere; cum ſimul coexiſterent uni tertio, puta æternitati quod tamen reputatur communiter falſum, ad hoc inquam reſpondetur, eſſe quidem & reputari falſum, Adamum v. g. & AntiChriſtum ſibi invicem coexiſtere in propria menſura & duratione, non tamen quod ſibi invicem coexiſtant in aliena menſura ſuperiori & ſuperexcedente; quin imo eſt hoc abſolutè neceſſarium; cum ſuperior illa menſura ſeu æternitas, utpote tota ſimul, infinita ac indiviſibilis duratio, habeat ſimul & ſemel quod jam ſine tranſitu pertranſierit quidquid requiritur, ut ipſa ſit præſens & coexiſtens, tum tempori quod fuit Adamus, tum tempori, quo eſt vel erit AntiChriſtus, ac proinde faciat illos ſibi invicem coexiſtentes in ſinu ſuo.

Colliges, quod licet concedi non debeat hæc propoſitio, *res creatæ ſunt præſentes ab æterno*, ita abſolute prolata; ſi tamen huic addatur propoſitioni ly *in æternitate*, vera eſt tunc hæc propoſitio, & neceſſario concedenda; cum hunc faciat ſenſum: ab æterno habet Dei æternitas, utpote tota ſimul & infinita duratio, quod pertranſierit [ſine tranſitu tamen & ſucceſſione] quidquid requiritur, ut ſit præſens omni noſtro tempori & omnibus ejus differentiis, alias non eſſet adæquatè & adæquata æternitas ab æterno, & fieret ſolũ adæquata in tempore, quod eſt erroneum. Undè in hoc nõ placet pater Gonet, dum non audet aſſerere, res eſſe ab æterno in æternitate phyſicè præſentes; eo quod non coexiſtant, inquit, in *nunc* æternitatis adæquatè ſumpto, ſed ſolum ſumpto inadæquatè; & ſecundum aliquam tantum ejus virtualitatem, eã *Nota.* *Nota.*

ſcilicet, qua correſpondet æternitas huic differentiæ temporis, In qua res ſunt de facto præſentes & exiſtentes. Nam præterquā quod videtur exindè convenire cum adverſariis, qui non negant futura eſſe phyſicè præſentia in æternitate, niſi quia ipſi non coexiſtunt, niſi ſecundum virtualitatem, ſecundum quam correſpódet æternitas differentiæ temporis in qua ita de facto exiſtentia ſunt, ex quo inferunt non coexiſtere æternitati prout futura ſunt, & verè futura eſſe reſpectu æternitatis, cum ipſi non coexiſtāt ſecundum omnes ejus virtualitates, ſed ſecundum unam tantum, ſecundum quam jam de facto in ſeipſis exiſtentia ſunt; addo præterea, multa [meo judicio] ſequi indè abſurda, quæ in nullo ſenſu concedi poſſunt. Si namq; res non coexiſtat reipſa æternitati ſecundum omnes ejus virtualitates, ut videtur concedere Pater Gonet: ergo cum coexiſtit æternitas Adamo, eumq; ſibi præſentem facit, tunc non eſt reipſa in æternitate id, ſeu ea virtualitas, per quam coexiſtit Antichriſto; & conſequenter id reipſa adveniret poſtea æternitati: jam ſic eſt, quod coexiſtit æternitas Antichriſto per aliquid intrinſecū, cum hoc habeat ex vi ſuæ naturæ, ut concedunt & docent Thomiſtæ omnes: ergo exindè ſequitur advenire æternitati aliquid intrinſecum de novo, atq; ita eſſet æternitas diviſibilis & ſucceſſiva formaliter & intrinſecè, quæ omnia eſſe abſurda nemo non videt.

Nota. Addo ulterius quod cognitio, quam Deus habet ab æterno rerum creatarum eſt ab æterno adæquatè æterna, alias in tempore fieret adæquatè æterna, quod eſt abſurdū: ergo etiam ab æterno menſuratur reipſa talis divina cognitio tota ęternitate adęquatè ęterna: ergo etiam ab ęterno menſuratur non una ſolum virtualitate ęternitatis, qua ęternitas noſtro modo concipiendi coexiſtit uni parti temporis imaginarii vel veri, ſed reipſa ab ęterno menſuratur omnibus illis virtualibus, quibus coexiſtit ęternitas & vim habet coexiſtendi omnibus & ſingulis partibus temporis veri vel imaginarii: ergo etiam reipſa non prius menſuratur cognitio illa Dei una virtualitate ęternitatis, quam alia: ergo etiam reipſa non prius menſuratur illa virtualitate, qua ęternitas adeſt tempori Adami, & poſtea alia virtualitate qua adeſt tempori Antichriſti, ſed potius omnibus ſimul virtualitatibus ęternitatis menſuratur ab ęterno cognitio, quam habet Deus rerum creatarum: atqui ęternitas ita adęquate ſumpta ſecundum omnes ſuas virtualitates habet & reſpicit ut pręſentia omnia pręterita & futura: ergo cognitio illa Dei, quę ita ab ęterno menſuratur tota adęquata ęternitate, etiam ab ęterno habet pręſentia omnia pręterita & futura ratione ſuę menſurę ęternę, qua ex tunc menſuratur adęquatè, & quę ex tunc adęquate continet ōnia, ut

phy-

phyſice præſentia: Ergo non loquitur clare Pater Gonet [admiſſo quo non loquatur falsè] dum ponendo futura in æternitate phyſicè præſentia, negat ea coexiſtere ab æterno ipſi æternitati, ſed illi tantum inadæquatè ſumptæ & ſecundum unam tantum virtualitatem reipſa coexiſtere.

Quanam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod inprimis colligo ex his quæ habet 1.*p.q.* 14.*art*.15. ubi probat S. Doctor, quod quia cognitio Dei menſuratur æternitate, ſicut & eſſe Dei, attingit conſequenter futura in tempore ut præſentia ſibi. Hæc D. Thomas, ex quibus ſubſumo ſic: ſed ibi non poteſt loqui S. Doctor de præſentia intentionali & objectiva: ergo ſentit D. Thomas quod ſint futura divinæ cognitioni phyſicè ab æterno præſentia. *Probatur Minor*, æternitas non eſt ratio præſentiæ objectivæ, cum non ſit intentionalis, ſed phyſica & entitativa duratio atque uniformis & realis menſura; ſed loquitur ibi D. Thomas de præſentia futurorum conſequente ad æternitatem, & ex vi ipſius æternitatis, qua menſuratur eſſe Dei & ejus cognitio: ergo ibi non poteſt loqui de præſentia futurorum intentionali & objectiva, ſed reali & phyſicâ.

Secundò hoc idem colligo ex his quæ habet *quæſt.* 2. *de veritate art*.12. ubi ait Divus Thomas, quod reſpectu divinæ viſionis, quæ extra tempus eſt & æternitate menſuratur, futurum non eſt futurum, ſed præſens: ſed ibi non loquitur D. Thomas de præſentia objectiva & intentionali: ergo loquitur & intendit loqui de phyſica & reali præſentia futurorum in æternitate. *Probatur Minor*, ibi tantum loquitur Divus Thomas de præſentiâ, cum qua futurum non videtur ut futurum: ſed futurum etiam cum præſentia intentionali & objectiva videtur adhuc ut futurum, ut conſtat in nobis, ſeu in cognitione, quam habemus nos de futuris: ergo non loquitur ibi ſanctus Doctor de præſentia tantum intentionali & objectivâ.

Tertiò id colligo ex verbis quæ habet eadem *quæſt*.12. *de veritate art*.6. ubi hæc habet; [ex hoc enim Deo competit futura certò ut præſentia cognoſcere, ut dicit Boëtius; quia ejus intuitus æternitate menſuratur, quæ eſt tota ſimul; unde ejus aſpectui ſubjacent omnia tempora, & quæ in eis geruntur] Hæc Divus Thomas, in quibus cum deducat præſentiam futurorum & omnium temporum reſpectu Dei & divini aſpectus, quia

quia æternitas quâ menſuratur Deus & divinus aſpectus, eſt tota ſimul, non poteſt non loqui de reali & phyſica præſentia; cum illa æternitatis indiviſibilitas & totalis ſimultas nihil faciat ad præſentiam intentionalem, ſeu intelligibilem & objectivam. Et ad hæc haud dubiè advertit Herice Theologus Societatis, & in hac materia adverſarius noſter præcipuus, qui quidem hunc referens locum D. Thomæ, truncat verba, truncat ſenſum, truncat & cauſalem connexionem à D. Thoma aſſignatam: & omittens priora verba in quibus reducit S. Doctor hanc futurorum præſentiam ad æternitatem quæ eſt tota ſimul, ſolum citat partem ultimam de divino aſpectu, quæ ſibi videtur favere: ac ſi nos non haberemus viſam & meditatam litteram D. Thomæ, & iterum atque iterum non eſſemus eam lecturi & viſuri.

QUÆSTIO IV.

De immenſitate Dei.

Vtrum verificari poſſit quod ſit Deus per immenſitatem in ſpatiis imaginariis.

PRæmittendum 1. tanquam certum, verificari non poſſe, quod ſit Deus in ſpatiis imaginariis, taliter quod realem habeat Deus præſentiam & realiter connexam cum talibus ſpatiis, ea ſcilicet realiter occupando; quod enim realiter nihil eſt, nec etiam eſt realiter occupabile & replebile. Unde quando in ſequentibus verificabimus & dicemus, eſſe Deum per immenſitatem ſuam extra cœlum, vel eſſe in illis ſpatiis, quæ extra cœlum nos imaginamur extendi imaginaria extenſione, non eſt nec volumus eſſe intentum hujus doctrinæ, quod Deus ſit realiter præſens in illis ſpatiis quæ nihil ſunt per præſentiam cum illis realiter connexam; vel quod occupet Deus realiter id, quod realiter nihil eſt, ac per conſequens quod non eſt realiter occupabile vel replebile. Nullum ergo realem ordinem, nec contactum, nec connexionem realem, nec realem approximationem poni-mus aut ponemus in Deo circa ſpatia imaginaria, quæ extra cœlum imaginantur eſſe, quando dicemus Deum eſſe extra mundum, & non contineri in mundo vel intra totum mundum, ſed eſt ſolum quædam realis præſentia Dei omnino abſoluta & in-

trinſeca, & taliter tota intranſitivè accepta, ut per nullum reſpe-ctum vel connexionem extra Deum tranſeat, ex vi cujus præ-ſentiæ eſt ita Deus diſpoſitus, & ita volumus eſſe diſpoſitum ad operandum in illis locis imaginariis, ut nulla nova approxima-tione facta ex parte Dei poſſet Deus operari ibi, imo ſi per im-poſſibile poneretur ibi de novo aliquod ens reale abſque actio-ne productiva, vel abſque productione ipſius Dei, & à Deo inde-pendenter; Deus tunc ſine nova approximatione non diſtaret ab illo, ſed cum eo penetraretur. Quapropter Thomiſtæ illi qui no-ſtram impugnant concluſionem, illam haud dubie impugnant in alieno ſenſu à noſtro, cum totum conſumant robur & tempus ſuarum impugnationum in oſtendendo, non poſſe realiter oc-cupari & repleri ſpatium imaginarium, quod nos libenter con-cedimus, qui propterea in Deo prout extra cœlum non volu-mus nec admittimus, niſi præſentiam omnino abſolutam ab omni connexione ad extrinſecum, omnino intrinſecam, omnino intranſitivè acceptam, talem tamen, quâ Deus ſine nova appro-ximatione ex parte ſui diſpoſitus ſit ad operandum in hujuſmodi ſpatiis, immo ad realiter occupandum corpus, quod ibi ponere-tur etiam independenter à Deo; ex quo inferri volumus, & meri-to, quod ſit Deus in hujuſmodi ſpatiis per tale ubi abſolu-tum.

Præmittendum 2. pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud om-nes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii reſpectu concluſionis inferendæ, puta quod *Deus eſt immenſus, ſeu incir-cumſcriptibilis locali menſura*; quod *ſe habet Deus per immenſi-tatem ad ſpatia, ſicut per æternitatem ad tempora*; quod *ſpatium imaginarium eſt vacuum, ſeu vacuitas quædam non repleta, ſed replebilis corpore.* Ratio autem primi eſt quia non eſt potior ratio, cur ſit admittenda in Deo infinitas eſſentialis in entitate atque eſſentia; & infinitas ſecundum durationem, quæ eſt æternitas, vi cujus durat Deus & perſeverat omnino immutabilis ab æterno, & uſque in æternum ſine fine; & infinitas in operativa potentia, vi cujus Deus eſt omnipotens, quia poteſt procedere ſpecies & genera rerum non tot quin plura ſine termino, & cum modo in-finito poteſt res producere, producendo ſcilicet ſine præſuppoſito ſubjecto: non eſt inquam potior ratio, cur in Deo admittendæ ſint infinitates hujuſmodi in iis, quam in ubicatione: atqui ab omnibus præfatæ in Deo admittuntur infinitates: ergo & ad-mitti debet in Deo infinitas in ubicatione, & hæc eſt immenſi-tas, ſive incircumſcriptibilitas, vi cujus à nullo poteſt Deus clau-

di

di loco, & omnem locum debet occupare. Unde *in* 3. *Regum* 8. dicit Salomon: cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt; & Baruch 3. *capite* : magnus eſt & non habet finem, excelſus, & immenſus.

Jam verò quantum ad ſecundum, quod ſcilicet ſe habet Deus per immenſitatem ad ſpatia ſicut per æternitatem ad tempora, ratio eſt, quia, ut jam dictum fuit, non minus infinitus eſt & debet eſſe Deus per immenſitatem intra lineam ubicationis, quam per æternitatem intra lineam durationis: ergo ſicut ſe habet Deus per æternitatem ad durationes temporaneas, ſive veras ſive imaginarias, nimirum quantum ad hoc, quod eſt eas continere vel eis coexiſtere Ita ſimiliter ſe habere debet per immenſitatem ad ſpatia ſive imaginaria ſive vera, quantum ad hoc quod eſt in eis eſſe.

Tandem quantum ad tertium, quod ſcilicet ſpatium imaginarium eſt vacuum ſive vacuitas quædam non repleta ſed replebilis corpore, ex eo patet, quod cum talia imaginemur ſpatia extra cœlos; & extra cœlos nihil imaginari poſſit [loquendo, ut de facto loquimur, de vera non falſa imaginatione] præter vacuitatem quandam, quam poteſt Deus replere reali ſpatio, ſeu poſitivo & reali corpore, conſequenter fit, quod per talia imaginaria ſpatia nihil aliud intelligendum veniat, præter præfatam vacuitatem. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione & concluſionis ad eadem principia reductione ſit:

CONCLUSIO: *de facto verificari poteſt & verificatur, eſſe Deum per immenſitatem ſuam in ſpatiis imaginariis.*

Probatur 1. ex primo præmiſſo principio : *Deus eſt immenſus ſive incircumſcriptibilis locali menſura*: ergo verificari debet, eſſe Deum in ſpatiis imaginariis, *Probatur conſequentia* : Deus hoc ipſo quod ita immenſus & incircumſcriptus, eſt extra cœlos: ſed eſſe extra cœlos & eſſe in ſpatiis imaginariis idem ſonant: ergo hoc ipſo quod eſt Deus incircumſcriptibilis & immenſus, eſt hoc ipſo in ſpatiis imaginariis. *Minor* patet & conceditur. *Probatur Major*: qui ſine nova approximatione vel operatione reperiretur extra cœlos, ſi ibi poneretur reale quid, non poteſt jam non eſſe extra cœlos; ſed Deus hoc ipſo quod incircumſcriptus & immenſus reperiretur extra cœlos ſine nova ex parte ſui approximatione, vel operatione nova, ſi ibi poneretur reale quid: ergo Deus hoc ipſo quod, immenſus, eſt extra cœlos. *Major* per ſe patet; non enim fieri poteſt, quod ſit aliquid de novo ubi non erat, niſi vel per approximationem novam, vel per novam operationem;

nem; atque ita hoc ipſo quod eſſet aliquid extra cœlos ſine nova approximatione vel operatione nova, cum ibi de novo non eſſet, jam ibi erat. *Probatur Minor*: hoc ipſo quod reperiretur Deus in tali poſito extra cœlos, etiam ſi independenter à Deo ibi poneretur, reperiretur Deus extra cœlos ſine nova approximatione ſive operatione: ſed ita ſe habet Deus hoc ipſo quod immenſus, ut in tali reali quod poneretur extra cœlos, reperiretur, etiam ſi independenter à Deo ibi poneretur: ergo Deus hoc ipſo quod immenſus reperiretur extra cœlos ſine nova approximatione vel operatione, ſi ibi poneretur reale quid. *Major* conceditur & patet ex terminis. *Probatur Minor*: non minus potens eſt Deus ad eſſendum in omni reali per immenſitatem, quam ad coexiſtendum omni durationi per æternitatem: ſed ſi per tempus quod imaginamur ante creationem mundi, res aliqua realiter duraſſet, etiam independenter à Deo, ſtatim Deus per durationem æternitatis illi coextitiſſet ut patet: ergo & in tali reali quod poneretur extra cœlos, reperiretur Deus hoc ipſo quod immenſus, etiam ſi independenter à Deo ibi poneretur: ergo Deus hoc ipſo quod immenſus reperiretur extra cœlos ſine nova approximatione & operatione, ſi ibi poneretur reale quid: ergo Deus hoc ipſo quod immenſus jam ſupponendus eſt extra cœlos: ergo hoc ipſo quod Deus eſt immenſus & incircumſcriptibilis [quod eſt primum præmiſſum principium] verificatur eſſe in ſpatiis imaginariis.

Probatur 2. ex ſecundo præmiſſo principio: *Deus per immenſitatem ſe habet ad ſpatia ſicut per æternitatem ad tempora*: ergo verificari poteſt, eſſe Deum in ſpatiis imaginariis. *Probatur Conſequentia*. Ita ſe habet Deus per æternitatem ad tempora, ut verificetur eſſe ex vi illius per imaginarium tempus, quod ſcilicet imaginamur nos ſucceſſiſſe ante mundum: ergo hoc ipſo quod ſe habet Deus per immenſitatem ad ſpatia, ſicut per æternitatem ad tempora, debet hoc ipſo verificari eſſe in ſpatiis imaginariis. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: hoc ipſo quod ita durat Deus ex vi æternitatis ſuæ, ut ſine nova duratione coexiſteret rei duranti per imaginarium tempus, non poteſt hoc ipſo non durare jam per illud imaginarium tempus ex vi æternitatis; ſed ita durat Deus ex vi æternitatis ſuæ, ut ſine nova duratione coexiſteret rei duranti per imaginarium tempus: ergo Deus ex vi æternitatis ſuæ habet quod duret per imaginariũ tempus. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: ſi per impoſſibile poneretur abſque actione Dei entitas aliqua intra illud quod imaginamur tempus, Deus per æternitatis durationẽ coexiſte-

exiſteret ejus durationi; cum conceptus durationis ſive æternitatis Dei diſtinguatur à conceptu operationis, & intellecto defectu actionis divinæ, non intelligatur per locum ab intrinſeco defectus æternitatis durantis: atqui in hoc caſu coexiſteret Deus tali durationi ſine nova ex parte ſui duratione, cum non ſupponatur Deus in hoc caſu agere aliquid de novo: ergo ita durat Deus ex vi æternitatis, ut ſine nova duratione coexiſteret rei duranti per imaginarium tempus: ergo ita ſe habet Deus per æternitatem ad tempora, ut verificetur eſſe ſive durare ex vi illius per imaginarium tempus: ergo hoc ipſo quod eſt Deus per immenſitatem in ſpatiis, ſicut eſt ex vi æternitatis per tempus [quod eſt ſecundum præmiſſum principium] eſt hoc ipſo Deus in ſpatiis imaginariis per immenſitatem.

Probatur 3. ex tertio præmiſſo principio: *ſpatium imaginarium eſt vacuum ſeu vacuitas quadam extra cœlos non repleta ſed replebilis corpore*: ergo eſt Deus ex vi immenſitatis ſuæ in ſpatiis imaginariis. *Probatur Conſequentia.* Deus ex vi immenſitatis reperitur ſive reperiretur in vacuo, ſi daretur in rerum natura: ergo hoc ipſo quod per ſpatium imaginarium intelligendum venit præfatum vacuum ſive vacuitas, eſt hoc ipſo Deus ex vi immenſitatis in ſpatiis imaginariis. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*; & quidem deſtruendo præcipuum & ferè unicum adverſariorum fundamentum. Ideo ex adverſariis non eſt aut non eſſet Deus ex vi immenſitatis in vacuo, quia omne ubi & conſequenter immenſitas, ut ubicans importat connexionem cum aliquo exteriori ſive reali: ſed falſum eſt quod omne ubi hanc importet connexionem cum aliquo exteriori ſive reali: ergo Deus eſt, ſive eſſet ex vi immenſitatis in vacuo, ſi daretur in rerum naturâ. *Probatur Minor*: duplici medio. Primò ſolet communiter concedi cum Ariſtotele poſſe corpus moveri in vacuo: ſed hoc ipſo quod ita movetur, aliquod tunc acquirit ubi, cum aliquem acquirat terminum per talem motum, qui quidem non alius eſſe poteſt, quam ubi: ergo acquiritur ubi in vacuo: ſed hujuſmodi ubi non habet connexionem cum aliquo reali exteriori, ut patet: ergo non omne ubi præfatam importat connexionem. Secundò negari non poteſt nec debet, poſſe Deum ponere corpus aliquod extra cœlos; ſed tale tunc corpus ibi acquireret aliquod ubi; cum ibi poneretur ex vi actionis alicujus tranſeuntis, quæ cum eſſet actio localiter movens, non poſſet non terminari ad terminum localis motus, qui eſt ubi: ergo negari non debet dari & reperiri poſſe extra cœlos aliquod ubi; ſed tale ubi non habet connexionem cum aliquo exteriori,

ut

ut ſupponitur: ergo non omne ubi importat connexionem cum aliquo exteriori:ergo poteſt Deus ex vi immenſitatis ubicari in vacuo:ergo eſſet Deus ex vi immenſitatis in vacuo, ſi daretur in rerum natura: ergo hoc ipſo quod ſpatium imaginarium eſt vacuum,ſeu vacuitas quædam extra cœlos non repleta ſed replebilis corpore,[quod eſt tertium præmiſſum principium] eſt hoc ipſo Deus ex vi immenſitatis in ſpatiis imaginariis.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1.eſſe Deum alicubi,eſt ibi habere contactum & connexionem cum aliquo; ſed non poteſt habere Deus contactum & connexionem cum aliquo in ſpatiis imaginariis, quantumcumque ſupponatur immenſus: ergo quantumcumque ſupponatur immenſus non propterea eſt in ſpatiis imaginariis. *Minor* patet. *Probatur Major*: non eſt potior ratio, quod omne ubi corporeum importet & importare debeat connexionem & contactum cum aliquo, quam divinum ſive ſpirituale: ſed omne ubi corporeum importat & importare debet connexionem cum aliquo:ergo & idem ſimiliter dicendum de ubi divino.*Probatur Minor*:definitio,quæ traditur communiter à Logicis in prædicamento ubi de ubi corporeo, putà quod ſit circumſcriptio paſſiva corporea à circumſcriptione activa loci proveniens,eſt definitio quæ competit omni ubi; cum ſit prædicamentalis:ſed in hac definitione importatur contactus & connexio cum loco exteriori: ergo omne ubi corporeum importat & importare debet præfatam cum aliquo exteriori connexionem.

Reſpondeo negando majorem; ad cujus probationem nego minorem,ad tertium vero,in quo ſita videtur vis argumenti, nego majorem:talis namque definitio communiter tradita haberi non debet ut univerſalis pro omni ubi corporeo, ſed tantum pro ubicationibus connaturalibus horum corporum inferiorum quæ ambiuntur:cœlum enim empyreum ſuum habet ubi, etiam ſi careat loco exteriori ambiente: & quando corpus movetur in vacuo, quod ut certum ſupponimus in præſenti,cum aliquem tunc terminum acquirat tali motu, inquiro,quem niſi ubi? & tamen hoc ubi non habebit corpus aliquod exterius contiguum, cum quo habeat connexionem: ergo falſa eſt illa major, nimirum quod omne ubi connectatur cum loco exteriori. Scio aliquos ad hoc reſponſuros, quod ſi corpus moveretur in vacuo, acquireret tunc ubi intrinſecum reſpiciens primum continens, ſcilicet cœlum licet non reſpiceret corpus aliquod particulare ſi-

bi contiguum & immediatum, cum quo connecteretur: ſed videtur mihi hæc reſponſio omnino inſufficiens: nam ſi ſemel ego motus in vacuo, acquiro ubi, ut terminum ad quem, relicto termino à quo, quid mihi quod ſit alius locus mediatus & communis quem non contingo? certè ſi à loco exteriori immediato non pendet ubicatio, nec à mediato pendebit. Nam intantum aliquid pendet à termino mediato, inquantum immediatè pendet a termino immediato: unde ſi poteſt non eſſe dependentia à termino immediato, ut in præſenti accidit, etiam poterit non eſſe à termino mediato.

Inſtabis: ubicatio Dei etiam in ſpatiis imaginariis importat hanc particulam *in*: ſed hæc particula *in* importat de neceſſitate connexionem cum aliquo, cum ſit particula relativa: ergo omnis Dei ubicatio importat connexionem cum aliquo exteriori.

Reſpondeo, diſtinguendo minorem: ſed hæc particula *in* importat de neceſſitate connexionem cum aliquo, ſi ſumatur grammaticaliter rigoroſè & eo modo, quo ſumi ſolet. Concedo: ſi vero ſumatur, ut in præſenti ſumitur, circumloquutivè & aliquo ex modis quo ſumi poteſt, Nego, quod hanc importet de neceſſitate connexionem. Verificatur enim præfata particula reſpectu vacui, dum ſcilicet dicimus poni poſſe corpus in vacuo, abſque eo quod reſpectu vacui connexionem importet ſive contactum cum aliquo; propterea quod tunc ibi ſumitur hæc particula ſolummodo circumloquutivè, in quantum hunc facit & circumloquitur ſenſum: corpus eſt in vacuo, hoc eſt, corpus taliter eſt ubicatum, quod ſi ibi ubi ſupponimus vacuum reperiretur aër, v.g. tunc tale corpus ſine nova ſui approximatione reperiretur in tali aëre. Addo quod non minus hæc particula *per* comparativè ad tempus, eſt particula relativa, quam hæc particula *in* comparativè ad ſpatium; jam ſic eſt, quod hoc non obſtante verificatur ly *per* comparativè ad tempus imaginarium, & abſque connexione cum aliquo exteriori: dicimus enim & ſolemus dicere duraſſe Deum ex vi æternitatis per totum tempus imaginarium, quod ſcilicet imaginamur fluxiſſe ante mundum conditum; & hoc ex eo quod præfata particula *per* ſumitur ibi ſolummodo circumloquutivè, ut expoſitum fuit ſupra in ſecunda probatione: ergo & eodem modo verificari poterit hæc particula *in* reſpectu ſpatii imaginarii, licet nullam ibi importet connexionem.

Vrgebis: ſi hoc ita eſſet, non minus verificaretur, eſſe actu Deum in ente producibili quà tali, quam in ſpatiis imaginariis,

ſeu extra cœlos; cum etiam verificetur, quod ſi produceretur, Deus ſtatim ex vi immenſitatis in eo eſſet: ſed nullus auderet dicere, eſſe actu Deum ex vi immenſitatis in ente producibili, quà tali: ergo nec dici debet propterea, quod ſit actu Deus in ſpatiis imaginariis, ſeu extra cœlos.

Reſpondeo negando paritatem majoris. Etenim reſpectu entis producibilis; cum non verificetur eſſe Deum in illo niſi media productione, velut conditione; adeo ut ly *ſi produceretur*, ſe habeat ut conditio omnino requiſita ut conſtituatur Deus præſens in ente quod dicitur producibile, conſequenter fit, quod cum talis conditio ſive productio reſpectu entis producibilis quà talis, ſe habeat ſolum poſſibiliter, fit, inquam, quod dici non debeat nec poſſit, eſſe actu Deum in ente producibili quà tali, ſed ſolummodo eſſe poſſe: at vero quando dicimus, quod eſt actu Deus ex vi immenſitatis ſuæ extra cœlos & in ſpatiis imaginariis, quia ſi poneretur ibi aliquod corpus, ſtatim Deus ſine nova approximatione vel operatione eſſet in eo præſens, ibi ly *quia* non ſumitur cõditionaliter ſive cauſaliter; ſive illa poſitio corporis extra cœlos non propterea eſt conditio, nec pretendimus eſſe conditionem ad hoc ut dicatur Deus eſſe extra cœlos; ſed hoc adducimus præcisè ad explicandum & notificandum, jam ſupponendum eſſe Deum extra cœlos, cum aliàs verificari non poſſet, quod eſſet Deus ſine nova approximatione vel operatione nova in tali corpore de novo ibi poſito, ſi jam ibi non eſſet.

Objicies 2. immenſitas in Deo non eſt attributum diſtinctum ab operatione, ſive operativa potentia: ſed nihil operatur Deus in ſpatiis imaginariis: ergo nec eſt in ſpatiis imaginariis: ratione immenſitatis. *Minor* conſtat. *Probatur Major:* Deus per immenſitatem eſt rebus coexiſtens & exiſtens in rebus: ſed ex communiori Thomiſtarum ſententia non eſt Deus in rebus, niſi per operationem: ergo non eſt immenſitas attributum diſtinctum ab operatione.

Reſpondeo negando majorem; licet enim plures ex noſtris ita ſentiant, de immenſitate id tamen exiſtimo omnino falſum, & omnino alienum à mente ſanctiſſimi præceptoris. Hujus autem falſitatem colligo præcipuè ex quatuor ſequentibus, quæ contra arguentem retorqueo ſic.

Primò ideo virtualiter diſtinguitur infinitas in duratione, ſive æternitas à potentia operativa in Deo, eſtque attributum ab ea virtualiter diſtinctum, quia Deus unus exiſtens æquivalet ratione eminentiæ ſuæ, & durationi, & potentiæ operativæ in nobis realiter diſtinctis: ſed ſimiliter Deus eadem eminentia æqui-

valet unus exiſtens & ubicationi & operationi in nobis realiter diſtinctis: ergo debet infinitas in ubicatione, quæ eſt immenſitas virtualiter diſtingui in Deo ab operatione ſive ab operativa potentia.

Secundò in ſingulis verſiculis ſymboli D. Athanaſii proponuntur diſtincta attributa; aliàs ibi ſuperfluè multiplicarentur verba, cum non multiplicarentur rationes formales per verba ſignificatæ: ſed de immenſitate & de potentiâ operativâ Dei ſive omnipotentia fit mentio in diverſis verſiculis ſymboli: ergo immenſitas eſſe debet attributum diſtinctum ab operatione & potentia operativa Dei.

Tertiò per hoc quod corpus Chriſti præſens eſt infinitis propemodum ſpeciebus Sacramentalibus participat immenſitatem Dei: ſed non propterea participat Dei operationem; cum nihil operetur in ordine ad ſpecies quibus ſit præſens: ergo participatur formaliter Dei immenſitas, non participata formaliter Dei operatione: ſed illa virtualiter diſtinguuntur in Deo, quorum participato formaliter uno, aliud non participatur formaliter: ergo divina immenſitas virtualiter diſtinguitur ab ejus operatione ſive operativa potentia.

Quartò denique ex prologo *q.7.1.partis* tribuit Deo Angelicus præceptor, quod ſit ubique, in quantum eſt incircumſcriptibilis & infinitus: ſed eſſe incircumſcriptibilem idem ſignificat, quod eſſe immenſum, ſive immenſurabilem locali menſura: ergo ex D. Thoma in præfato prologo habet Deus quod ſit ubique per ſuam immenſitatem: ſed per hanc immenſitatem non intelligit S. Doctor operationem, ſive potentiam operativam ad extra; cum *ex prologo quæſt.25.* ejuſdem primæ partis incipiat hic tractare de potentia operativa ad extra; & tamen jam tractaverit *in quæſt.7.* de divina hac immenſitate & exiſtentia Dei in rebus: ergo per hanc immenſitatem intelligit D. Thomas attributum aliud ab attributo operativæ potentiæ, ſeu operationis. Pro quo videantur quæ dicta ſunt ſupra in diſcutiendo mentem S. Doctoris circa rationem formalem conſtitutivam Angelorum in loco. Falſa igitur eſt præfata major: ad id autem quod affertur in probationem, videatur pro reſolutione ſequens reſponſio. Unde

Inſtabis: Deus per immenſitatem conſtituitur formaliter in loco: ſed non conſtituitur Deus in loco formaliter, niſi per operationem: ergo immenſitas eſt in Deo diſtincta ab operatione. *Probatur minor:* non eſt Deus in loco niſi habendo ſe per modum continentis: ſed non habet ſe Deus in ordine ad locum per mo-

modum continentis,niſi per operationem: ergo non niſi per operationem conſtituitur Deus formaliter in loco. *Major* eſt certa;ſpiritus enim ad differentiam corporis,utpote ſuperior ad locum & ab eo independens, eſt conſequenter in eo ad modum continentis,cum corpus è contra ob rationem oppoſitam ſit ſolummodo ad modum contenti. *Probatur Minor*: non poteſt Deus rationem habere continentis reſpectu loci, niſi vel ſub ratione efficientis cauſæ,vel materialis,vel formalis: ſed dici non poteſt continere locum in genere materialis cauſæ, neque formalis,ut per ſe patet:ergo non niſi ſub ratione efficientis cauſæ, & conſequenter per operationem poteſt Deus induere rationem & modum continentis reſpectu loci.

Reſpondeo. negando minorem ad cujus probationem diſtinguo majorem ſic.Non eſt Deus in loco,niſi habendo ſe per modum continentis, loquendo de modo quo eſt in loco localiter & tanquam in loco, Concedo: loquendo de modo quo eſt in loco præcisè indiſtanter,& quaſi penetrative, Nego; & conceſſa minori nego conſequentiam, vel diſtinguo ſimiliter conſequens. Licet igitur loquendo de modo eſſendi in loco localiter & tanquam in loco non ſit Deus in loco, niſi habendo ſe ad modum continentis & conſequenter per operationem; propterea quod modus eſſendi in loco ſive in rebus localiter & tanquam in loco, requirit,hoc ipſo quod talis,diſcrimen inter locatum & ipſum locum in modo ſe tangendi, adeo ut ſit unum continens,& alterum contentum;ex quo fit quod non poſſit Deus habere reſpectu loci modum & rationem contenti, debeat conſequenter induere tunc rationem continentis, & ſic conſtitui in loco,ſive in rebus localiter & tanquam in loco per operationem, ratione cujus talem habet & induit rationem continentis. Nihilominus,ſi ſermo ſit de omni modo eſſendi in loco, in quantum comprehendit modum eſſendi in loco præcisè indiſtanter atque penetrativè vel intromiſſivè, falſum eſt quod non ſit Deus in rebus, ſive in loco, niſi habendo ſe ad modum continentis, & conſequenter per operationem: talis namque eſſendi modus eſſe poteſt omni ſecluſa continentia tum reſpectu entis corporei, ut patet in duobus corporibus ſe mutuò penetrantibus, quorum neutrum rationem habet vel continentis vel contenti; unde nec unum habet ſe tanquam locus alterius, ſed habent ſe præcisè indiſtanter;tùm etiam reſpectu entis ſpiritualis,ut patet in duobus Angelis ſimul operantibus in manu mea, quorum alter eſſet indiſtanter in altero, & tamen neuter haberet propterea rationem continentis; cum neuter operaretur in alterum, ut ſuppoſi-

ponitur:ergo licet conveniendum ſit cum communiori ſententia Thomiſtarum,quantum ad hoc quod non niſi per continentiam activam,& conſequenter per operationem ſit Deus in rebus, ſi ſermo ſit de modo eſſendi in illis localiter & tanquam in loco; ſi tamen velint præfati Thomiſtæ talem extendere doctrinam ad omnem modum eſſendi in rebus , ſive localiter,ſive præcisè indiſtanter,non diffitemur,nos in hoc caſu ab illa Thomiſtarum caterva diſcedere; ſed tamen non niſi cum magno fundamento; cum ut ex ſolutione patet,adeo diverſi ſint duo illi eſſendi modi, & aliunde tantum habeant fundamentum in doctrina ſanctiſſimi præceptoris , ut videre eſt in his , quæ ſupra diximus , dum de ratione formali conſtitutiva Angelorum in loco.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo,favere Divum Thomam præfatæ noſtræ concluſioni,cui etiam ſubſcribunt Cajetanus & Ferrara de doctrina Thomiſtica bene meriti , & in quam inclinant duo illa magna Eccleſiæ lumina Divus Auguſtinus, & Divus Gregorius.Imprimis autem quod ei faveat Divus Thomas colligo ex his quæ docet *in quodlibeto 6,art.3.* in quo quærit utrum Angelus vel corpus glorioſum eſſe poſſit in convexo cæli Empyrei , quod idem ſignificat,ac eſſe extra cælos ac in ſpatiis imaginariis , & reſpondet ſanctus Doctor affirmativè;ac more ſuo eruditè probat: unde argumentor ſic.

Ex D. Thoma poteſt Angelus , nec non & corpus glorioſum eſſe in convexo cæli Empyrei:ſed per ly *eſſe in convexo cæli Empyrei,* intelligit S.Doctor eſſe extra cælos ſive in ſpatiis imaginariis;ut aperte colligitur ex argumento,quod ibidem ſibi objicit, & in quo ſic habet:in nihilo nihil eſſe poteſt, ſed extra cælum nihil eſt:Ergo non poteſt Angelus eſſe in convexo cæli Empyrei:ergo ex D. Thoma poteſt Angelus , nec non & corpus glorioſum eſſe extra cælos atque in ſpatiis imaginariis ; ſed dicendo poſſe ſic Angelum vel corpus glorioſum eſſe extra cælos non intelligit , nec poteſt intelligere Divus Thomas quod ſit ibi tanquam in loco exteriori & cum connexione aliqua & aliquo contactu , cum extra cælum nihil ſit ; unde & in ſolutione argumenti ſibi objecti,dicit verum eſſe dictum illud , quod in nihilo nihil eſſe poteſt , ſi intelligatur in vi affir-

affirmationis, quaſi ſit aliquid in nihilo tanquam in continente: ergo dicens & docens Divus Thomas poſſe Angelum vel corpus glorioſum eſſe extra cælum & in ſpatiis imaginariis, intelligendus eſt ibi loqui de præſentia reali abſoluta, intrinſeca & intranſitivè accepta, qua ſit Angelus ita in ſe & ſibi præſens extra cælos, ut ſi corpus aliquod ibidem poneretur, ſtatim Angelus ſine nova approximatione vel operatione eſſet in eo indiſtanter præſens: jam ſic eſt quod negari non poteſt, eſſe Deum extra cælos ex vi immenſitatis in eodem ſenſu, in quo hoc concedit Divus Thomas de Angelo & corpore glorioſo ut per ſe patet: ergo prætendit Divus Thomas eſſe Deum ex vi immenſitatis ſuæ extra cælos, non quidem tanquam in loco exteriori, ſeu cum connexione & contactu, cum nihil ibi ſit, ſed præſentia quadam abſoluta, qua ita in ſe & ſibi præſens ſit extra cælos, quod ſi ibi aliquid poneretur etiam independenter à Deo, ſtatim *Deus* ex vi talis præſentiæ eſſet in eo indiſtanter præſens, quod quidem ſufficit etiam ex mente ſancti Doctoris ut verificetur eſſe actu Deum extra cælos; cum juxta ejus mentem verificari poſſit eſſe Angelum vel corpus glorioſum extra cælos, & non niſi in hoc eodem ſenſu, ſeu juxta abſolutam hanc præſentiam ut ibi expoſitam verificari poſſit.

Neque Divus Thomas *in prim. diſtinctione 37. quæſtion. 1. art. 3.* eſt huic doctrinæ contrarius, licet doceat ibi non fuiſſe Deum ubique ab æterno: Quia, inquit, eſſe ubique dicit reſpectum ad res diſtinctas, quæ non fuerunt ab æterno,, non, inquam, eſt contrarius præfatæ ejuſdem doctrinæ: loquitur enim ibi de ubicatione locali, id eſt de ubicatione magis propria, concernente ſcilicet aliquid exterius, ut conſtat ex contextu & proceſſu litteræ: nam quæſivit *in primo articulo* ſanctus Doctor, utrum Deus ſit ubique & in omnibus rebus? unde proceſſit ad ſecundum articulum, quærens in illo, utrum iſte modus eſſendi ubique ſit ſolius Dei? in quo utroque articulo manifeſtè tractat de ubicatione connexa cum rebus exterioribus; & de iſta quærit *in tertio articulo* an conveniat Deo ab æterno: nos autem non loquimur hic de iſta; docuimus enim ſupra dum de ratione conſtitutiva Angelorum in loco, rationem formalem talis ubicationis ſive in Deo, ſive in Angelis eſſe eorundem operationem virtualiter tranſeuntem, quam quidem, cum non exerceat Deus ab æterno nec conſequenter ante mundum vel extra mundum, nec etiam eſt ab æterno vel extra mundum, ubicatione illa locali: ſed loquimur ibi de alia præſentia omnino abſoluta,

omnino immanenti & omnino intranſitiva, ut fusè ſupra expoſuimus; unde nec ſibi nec nobis contrarius eſt ſanctiſſimus præceptor in citato loco.

Jam verò quod & huic ſubſcribant ſententiæ tum Cajetanus, tum Ferrara, colligo ego quantum ad Cajetanum ex his quæ habet *ſuper caput duodecimum Ioannis* propè finem, circa illud Chriſti *Ego lux veni in mundum*; circa quod hæc habet Cajetanus: *niſi extra mundum univerſitatem creaturarum comprehendentem ante fuiſſet, non diceret in mundum veni, ſed dixiſſet fortè in mundum iſtum veni; ſolius autem ejus proprium eſt eſſe extra mundum*; hæc ibi Cajetanus, in quibus cum expreſsè dicat eſſe Deum extra mundum, & hoc ejus proprium eſſe; & aliunde idem ſignificet eſſe extra mundum univerſitatem creaturarum comprehendentem, ac eſſe in ſpatiis imaginariis, apertè ſequitur & in ea eſſe ſententia Cajetanum. Quod autem & huic ſubſcribat Ferrara colligo ex his quæ habet *in libro octavo, Phyſic. quæſtione quarta*, ubi hæc habet: *Sicut extra mundum non eſt aliquid excepto Deo, ita ante principium temporis, nulla eſt duratio præter æternitatem.* Hæc ille, ex quibus idem quod prius.

Demum quod in hanc inclinent ſententiam tum Divus Auguſtinus, tum D. Gregorius Magnus oſtendo quantum ad Auguſtinum, ex his quæ dicit *libro undecimo, de Civitate Dei, capite quinto*, ubi attingens comparationem temporum & locorum, quæ nos imaginamur extra mundum & ante mundum & eodem modo de ambobus loquimur in ordine ad Deum, ſic ait: *An fortè ſubſtantiam Dei, quam nec includunt nec determinant loca, à tantis locorum extra mundum ſpatiis abſentem eſſe dicturi ſunt, & uno tantum atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco in quo mundus eſt, occupatam, non opinor eos in hæc vaniloquia progreſſuros.* Hæc Divus Auguſtinus, in quibus non vult, dicendam eſſe ſubſtantiam Dei à tantis illis quæ imaginamur extra mundum ſpatiis abſentem, ac proinde & velle debet dicendum eſſe in illis præſentem; cum ex negatione abſentiæ directè ſequatur affirmatio præſentiæ.

Tandem huic noſtræ ſententiæ apponit ultimam manum D. Gregorius Magnus, qui *in lib. 2. Moral. cap.* 16. diſcurrit ſic: *Quid eſt ergo, quod exercitus cæli à dextris & à ſiniſtris ejus ſtare perhibetur? Deus enim qui ita eſt intra omnia, ut etiam ſit extra omnia, nec dextra nec ſiniſtra concluditur.* Hæc ille ex quibus concludo, & merito, quod ſi eſt Deus extra omnia: ergo eſt in locis vel ſpatiis imaginariis; ſed non eſt ibi per operationem: ergo eſt ibi per immenſitatem.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De omnipotentia Dei, ut operativa ad extrà.

Vtrum actio quâ divina potentia operatur ad extra ſit in Deo formaliter immanens, an vero formaliter tranſiens & recepta formaliter in creatura.

PRæmittendum primò, Pro declaratione principiorum ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque & vim habitura principii reſpectu inferendæ concluſionis, puta quod *Deus & ad intra, & ad extra ſpectatus, eſt actus purus*: quod *divina potentia & ad extra & ad intra ſpectata eſt ſubſtantia*: quod *Deus ſive agens ad intra, ſive agens ad extra, eſt ſemper infinitum agens*. Primò quidem verum eſt dicere, quod Deus ſive ad intra ſive ad extra ſpectatus eſt actus purus, cujus ratio eſt, quia cum ſub omni conſideratione, quâ venit Deus conſiderandus, ſemper ſit Deus & ſemper conſideretur ut Deus, conſequenter fit, quod cum nomine Dei intelligatur ens omnem præcontinens excogitabilem perfectionem, Deus ſive ad intra ſive ad extra conſideratus nihil habeat nec habere poſſit perfectibilitatis admixtum: Jam ſic eſt quod hoc ipſo quod aliquid nihil habet perfectibilitatis admixtum, hoc ipſo eſt actus purus, cum hoc ipſo quod nihil habet perfectibilitatis admixtum, nihil etiam habeat admixtum potentialitatis, in quo conſiſtit ratio actus puri: ergo Deus ſive ad intra ſpectatus ſive ad extra eſt ſemper actus purus.

Quantum verò ad ſecundum, quod ſcilicet divina potentia & ad intra, & ad extra ſpectata ſemper eſt ſubſtantia, ratio eſt, quia ad quodcumque & quomodocumque comparetur divina potentia, ſemper eſt divina potentia, id eſt ſemper eſt in Deo, ſicut potentia cujuſvis alterius agentis ſemper eſt in eo, cujus eſt potentia; aliàs non verificaretur quod actiones, quæ ſcilicet mediis hujuſmodi potentiis eliciuntur, eſſent ſuppoſitorum: jam ſic eſt quod id omne quod eſt in Deo ſubſtantia eſt, nec in

in Deo eſſe poteſt accidens, utpore diminutum & imperfectum ens: ergo divina potentia & ad intra & ad extra ſpectata ſemper eſt ſubſtantia.

Tandem quantum ad tertium, quod ſcilicet Deus ſivè agens ad intra ſivè agens ad extra eſt ſemper infinitum agens, ratio eſt, quia & ad extra & ad intra conſideratus ſemper eſt agens infinitæ activitatis; cum ſemper ſit infinitæ actualitatis & perfectionis, in qua fundatur activitas; juxta illud: unumquodque agit in quantum eſt in actu: ergo cum dicatur agens ea activitate, evidenter ſequitur Deum ſive agentem ad intra ſive agentem ad extra ſemper eſſe infinitum agens. His ergo tribus præmiſſis tanquam certis & apud omnes indubitatis principiis, jam pro quæſiti reſolutione, & concluſionis ad eadem principia reductione ſit.

CONCLUSIO: *Actio qua divina potentia operatur ad extra eſt in Deo formaliter immanens atque identificata cum Deo, & ſolum virtualiter tranſiens.*

Probatur 1. ex primo præmiſſo principio: *Deus ſive ad intra ſive ad extra ſpectatus, eſt actus purus:* Ergo actio, qua divina potentia operatur ad extra, eſt formaliter immanens in Deo & cum Deo identificata. *Probatur conſequentia*, quia Deus, ut ad intra ſpectatus eſt actus purus, ſibi identificat ſuam operationem ad intra: ergo hoc ipſo quod ſivè ad intra ſivè ad extra ſpectatus, eſt actus purus, debet ſibi identificare ſuam operationem ad extra. *Conſequentia* eſt evidens; eadem enim manente utrobique identitatis cauſa, debet & eadem manere identitas. *Probatur antecedens*, operatio Dei ad intra eſt Dei perfectio; ſed quia Deus eſt actus purus, ſibi identificat ſuam perfectionem: ergo quia Deus eſt ad intra actus purus, ſibi identificat ſuam operationem ad intra. *Major* per ſe patet. *Probatur minor*, quod non ſibi identificat ſuam perfectionem, comparatur ad illam ut perfectibile: ſed quia Deus eſt actus purus, nihil prorſus habere poteſt perfectibilitatis admixtum, cum hoc ipſo quod actus purus nihil habeat de potentialitate: Ergo, quia Deus eſt actus purus, ſibi identificat ſuam perfectionem: ergo quia Deus eſt actus purus, ſibi identificat operationem ad intra: Ergo hoc ipſo quod Deus ſivè ad intra, ſivè ad extra ſpectatus eſt actus purus (quod eſt primum præmiſſum principium) eſt hoc ipſo operatio Dei ad extra formaliter in Deo immanens ſeu identificata cum Deo.

Prob. 2. ex ſecundo præmiſſo principio: *Divina potentia & ad intra & ad extra ſpectata, ſemper eſt ſubſtantia:* Ergo actio qua divina potentia operatur ad extra, eſt formaliter immanens in

Deo

Deo, & cum Deo identificata. *Probatur conſequentia*, actio, quæ non eſt in Deo immanens & identificata cum Deo, eſt accidens: ſed hoc ipſo quod divina potentia ut operativa ad extra eſt ſubſtantia, non poteſt ejus actio eſſe accidens; ergo hoc ipſo quod divina potentia etiam ut ad extra ſpectata eſt ſubſtantia, eſt hoc ipſo ejus actio identificata cum Deo & in Deo immanens. *Major* per ſe patet. Omnis enim actio quæ non eſt identificata cum Deo, cum ſit finitum & limitatum quid, eſt in prædicamento actionis, ſubindeque & accidens; cum ſit hujuſmodi prædicamentum inter accidentium prædicamenta repoſitum, *Probatur minor*, in qua ſita eſt difficultas. Actus & potentia cui correſpondet; non poſſunt non eſſe in eodem genere, ſubſtantiæ ſcilicet vel accidentis: ſed divina potentia & ejus actio, qua ad extra operatur, ſe habent ut potentia & actus ſibi invicem correſpondentes: ergo hoc ipſo quod divina potentia ut operativa ad extra eſt ſubſtantia, non poteſt ejus actio eſſe accidens. *Minor* conſtat ex terminis. *Probatur Major*, diviſiva alicujus generis non poſſunt non eſſe in eodem genere: ſed omne genus entis dividitur in actum & potentiam: ergo actus & potentia quæ ſibi invicem correſpondent non poſſunt non eſſe in eodem genere: ergo hoc ipſo quod divina potentia etiam operativa ad extra eſt ſubſtantia, non poteſt ejus actio eſſe accidens: ergo hoc ipſo quod divina potentia ſive ad intra ſive ad extra eſt ſubſtantia (quod eſt ſecundum præmiſſum principium) eſt hoc ipſo actio qua ad extra operatur identificata cum Deo, & in Deo formaliter immanens.

Probatur tertio, ex tertio præmiſſo principio: *Deus ſive agens ad intra ſive ad extra eſt ſemper infinitum agens*; Ergo divina potentia etiam ut operativa ad extra ſuam ſibi identificat operationem. *Probatur conſequentia*: agens, cujus operativa potentia non ſibi identificat ſuam operationem, eſt agens finitæ tantum actualitatis, ſivè finitum agens: Ergo hoc ipſo quod Deus ſivè ad intra ſivè ad extra eſt infinitum agens, debet ejus potentia etiam ut operativa ad extra ſuam ſibi identificare operationem. *Conſequentia* eſt evidens. *Probatur antecedens*: quod non ſibi identificat omnem actualitatem ſui generis, eſt finitæ tantum actualitatis; ſed agens, cujus operativa potentia non identificat ſibi ſuam actionem, non ſibi identificat omnem actualitatem ſui generis: ergo tale agens eſt finitæ tantum actualitatis, ſive finitum agens. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, genus actualitatis diſtingui & dividi ſolet in actum primum & actum ſecundum: ſed agens, cujus operativa potentia

Non

non identificat ſibi ſuam actionem non ſibi identificat actum primum & actum ſecundum ; cum actus ille primus in linea agendi , & actus ſecundus ſint ipſa operativa potentia & ipſius actio, quæ in hoc caſu non poſſunt identificari cum agente, cum non identificentur inter ſe: ergo agens, cujus operativa potentia non identificat ſibi ſuam actionem, non ſibi identificat omnem actualitatem ſui generis: ergo agens, cujus operativa potentia non ſibi identificat ſuam actionem, eſt agens finitæ tantum actualitatis, ſive finitum agens : ergo hoc ipſo quod Deus ſive agens ad intra ſive ad extra eſt ſemper infinitum agens [quod eſt tertium præmiſſum principium] debet actio , quâ ad extra operatur, eſſe identificata cum divina potentia, & conſequenter eſſe in Deo formaliter immanens, & ſolum virtualiter tranſiens , in quantum ſcilicet vim & virtutem habet operandi ad extra , quod de facto operaretur, ſi eſſet formaliter tranſiens.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Actio quâ operatur Deus ad extra, non eſt ab æterno in Deo : ſed ſi hujuſmodi actio eſſet in Deo formaliter immanens & cum Deo identificata, eſſet in ipſo Deo ab æterno : ergo actio quâ divina potentia ad extra operatur non eſt in Deo formaliter immanens & cum Deo indentificata. *Minor* per ſe patet; nihil enim intrinſecum & intrinſecè identificatum cum Deo, poteſt ipſi convenire de novo & in tempore , cum hoc argueret mutationem in Deo. *Probatur Major* : actio conſtituit eum, in quo eſt, actu operantem: ſed Deus non eſt ad extra operans ab æterno, ergo actio qua operatur divina potentia ad extra, non eſt ab æterno in Deo. *Probatur Minor* : operans non eſt actu & in exercitio operans ſine operato : ſed ab æterno non ſunt opera Dei ad extra : ergo Deus non eſt ad extra operans ab æterno.

Reſpondeo Negando Majorem : ad cujus probationem nego *Nota.* minorem : ad tertium vero diſtinguo majorem ſic. Operatio non eſt actu & in exercitio ſine operato , vel poſito vel ponendo , Concedo : ſine operato ut de facto poſito, ſubdiſtinguo: ſi ſit operatio, cujus principium ſit natura ſeu naturalis forma, Concedo : ſi vero ſit operatio, cujus principium eſt voluntas, iterum ſubdiſtinguo : non eſt ſine operato de facto poſito , ſi voluntas unde provenit, velit quod operatum ſit pro omni inſtanti in quo eſt operans, Concedo majorem : ſi autem velit ſolum , quod operatum ſit pro tali ſequenti tempore , ut de facto vult Dei volun-

voluntas, reſpectu operum ponendorum ad extra, Nego majorem: eſt autem ſolutio hæc ex D. Thoma *1. part. quæſt. 46. art. 1. ad decimum argumentum*, cui ſic reſpondet, & quidem profundiſſimè more ſuo. Ad decimum inquit, dicendum eſt, quod poſita actione effectus ſequitur ſecundum exigentiam formæ, quæ eſt principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, qualis eſt Deus, quod conceptum eſt & per voluntatem prædefinitum, accipitur ut forma, quæ eſt principium actionis; ex actione igitur Dei æterna, non propterea ſequitur effectus æternus, ſed ſolum qualem Deus voluit, ut ſcilicet haberet eſſe poſt non eſſe. Hæc divus Thomas. quibus & ſolvit argumentum propoſitum, & docet concluſionem noſtram; quandoquidem concedit ibi actionem Dei eſſe æternam, & conſequenter in Deo immanentem & identificatam cum Deo, & nonniſi de actione ad extra ibi loquitur, ut patet ex intento argumenti, nec non ex ſolutione.

Inſtabis: procedere ex voluntate non impedit quin actio illa ſit verè productiva actio: ſed intelligibile eſt exiſtere actionem productivam ſine ullo producto: ergo quantumvis actio illa Dei operativa ad extra ſit procedens ex voluntate, non propterea poteſt ab æterno competere, non exiſtente ipſo operato ab æterno Deo.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſed intelligibile eſt exiſtere actionem productivam ſine ullo producto, ſi ſermo ſit de productiva actione pendente in aliquo genere cauſæ à re producta, Concedo: ſi vero ſit, ut de facto eſt in præſenti, de productiva actione omnino & prorſus independente à termino producto, Nego, quod ſit hoc intelligibile. Eſt ergo notandum, & quidem ſerio & diligenter, quod actio Dei productiva effectuum ad extra, eſt ita pure cauſa hujuſmodi effectuum, ut in nullo genere cauſæ ſit effectus producti termini, ad quem terminatur, ſivè ut in nullo genere cauſæ à termino producto dependeat; quod quidem non contingit in actionibus noſtris creatis, quæ cum ſpecificentur à ſuis terminis, ab illis per conſequens in aliquo genere cauſæ dependent. Quapropter actio Dei ad extra facit ipſum effectum productum totaliter ab ipſa dependentem, ipſa ſemper cum omni ab illo independentia remanente; ex quo conſequenter fit, quod ipſe quidem effectus nequeat poni ſine actione, ipſa tamen actio poni poſſit ſine effectu; cum quod non poſſit poni actio ſine termino, hoc ipſi proveniat ex dependentia, quam habet in exiſtendo à termino quem producit, ſicut quod non poſſit effectus poni ſine actione, hoc ipſi etiam provenit ex de-

pen-

dentia quam habet ab actione, licet in aliò genere cauſæ; atque ita cum actio Dei etiam ad extra ſit cum omni perfectione, & conſequenter abſque omni dependentia, non mirum quod quantumvis ſit productiva actio, adhuc tamen eſſe poſſit abæterno quantum ad intrinſecam ſui actualitatem, licet effectus connotatus nonniſi in tempore fuerit poſitus & productus. Undè adverte quod quando dicitur in Scriptura, creaſſe Deum in principio cœlum & terram, adverte, inquam; quod ly *in principio temporis* cadit ſupra tèrminum & effectum productum, non autem ſupra actualitatem actionis creativæ, quæ eſt æterna.

Vrgebis: actio illa Dei operativa ad extra debet immediatè attingere effectus etiam noſtros, ſeu à nobis productos; ſed ſi eſſet hujuſmodi actio identificata cum Deo non poſſet immediatè attingere effectus à nobis productos: ergo actio illa Dei non eſt cum Deo identificata. *Probatur Minor*, quod non attingit effectus noſtros, niſi mediante actione noſtra, non attingit illos immediatè: ſed ſi actio illa Dei ad extra operativa eſſet identificata cum Deo non attingeret effectus à nobis productos, niſi mediante actione noſtra: ergo nec illos attingeret immediatè. *Major* videtur evidens. *Probatur Minor*, actio quę terminatur ad actionem noſtram non poteſt attingere effectus noſtros, niſi mediante actione noſtra; ſed ſi actio illa Dei eſſet identificata cum Deo, terminaretur ad actionem noſtram; cum actio noſtra foret in hoc caſu effectus illius actionis Dei, à qua in hoc caſu eſſet realiter diſtincta: ergo ſi actio illa Dei eſſet identificata cum Deo, non attingeret effectus noſtros, niſi in quantum mediaret actio noſtra.

Reſpondeo negandò minorem primi & ſecundi argumenti: ad tertium vero diſtinguo majorem ſic. Actio quę terminatur ad actionem noſtram, non attingit effectus noſtros, niſi in quantum mediat actio noſtra; ſi ad actionem noſtram terminetur completè & tanquam ad terminum *qui*, Concedo majorem; ſi autem incompletè tantum terminetur ad actionem noſtram, & tanquam ad terminum *quo*, Nego majorem; & ſub eadèm diſtinctione minoris nego conſequentiam. Ratio autem hujus ſolutionis eſt, quia cum actio noſtra non ſit propter ſeipſam ſed propter effectum ſive terminum ad quem per ſe ordinatur & à quo habet ſpecificari, non poteſt per conſequens completè terminare actionem aliquam, niſi prout habet adjunctum terminum, quem producit, & cum quo habet, quod adintegret unum terminum *qui*: imo non attingitur actio noſtra ut effectus alterius actionis, niſi quia effectus & terminus ſuus per eandem actionem attingitur, utpotè qui eſt primo & per ſe principaliter inten-

tentus. actio vero nonniſi propterea effectum intenditur & attingitur; undè quamvis conceſſum fuerit & omnino concedi debeat, quod actio noſtra qua noſtros ponimus effectus ſit reſpectu ipſius actionis Dei terminus & effectus, in quantum ſcilicet actio illa Dei, utpote cum Deo identificata, eſt ens per eſſentiam, & cōſequenter cauſæ actionis noſtræ, quæ eſt ens per participationem; cum hoc tamen ſtat, quod adhuc præfata Dei actio immediatè attingat effectus noſtros, cum non terminetur ad actionem noſtram complete & tanquam ad terminum *qui*, ſed potius tanquam ad aliquid, quod cum effectu à nobis producto unum adintegrat completum terminum reſpectu hujuſmodi actionis Dei.

Quænam fuerit mens D. Thomæ & ſanctorum Patrum circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo, & ſanctos Patres & D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni; & quidem ex ſanctis & antiquioribus patribus, occurrit imprimis Clemens Alexandrinus *in oratione adhortatoria adverſus gentes*, ubi hæc habet: *Ipſius Dei ſolum voluntas eſt mundi creatio, ſola voluntate ille operatur, & ejus ſolum velle ſactum eſſe conſequitur:* Hæc ille, ex quibus evidenter ſequitur eſſe operationem Dei ad extra identificatam cum Deo, cum ſit idem ac volitio, nec detur potentia media, vel operatio alia media, Idem docet Baſilius *lib. 3. contra Eunomium*; ubi in principio hæc habet: *Creatio in creatore eſt; quod vero creatum eſt, nonniſi poſt creatorem eſt.* Hoc idem docet & D. Auguſtinus *ſerm. 131. de tempore*, ubi ſic loquitur: *Cælum, terram, mare, homines atque omnia animalia & reptilia, non aliquo operis actu, ſed ſolo verbi creavit imperio.* Idem inſinuat D. Damaſcenus *lib. 2. de fide, cap. 29.* ubi hæc leguntur: *Procreans & conſervans & procurans ipſius potentia, nihil aliud eſt quam bona ipſius voluntas.* Idem habet Theodoretus *lib. 4. de natura & mundo*, ubi ſic diſcurrit: *Quod aliis artificibus ſunt & materia & inſtrumentum, tempusque præterea & conficiendi opera, ipſaque ars, & exactiſſima diligentia, hoc eſt ipſi Deo ſola unicaque voluntas: facile illi fuerat vicies mille orbes producere, quandoquidem ipſum velle multo omnium operum eſt facillimum.* His concinit & conſonat Richardus *lib. 2. de Trinitate, cap. 24.* ubi habet: *Ejus facere, eſt à ſe fieri velle*, tandem hoc idem ſimiliter docet Julius Africanus *c. 1. in Geneſ.* ubi ait: *Deo voluiſſe creaſſe eſt*: ergo

cum

cum ex partibus per ſuummet velle præciſè ſumptum agat, faciat, producat, procuret, conſervet Deus ad extra, evidenter ſequitur actionem Dei ad extra eſſe Deo formaliter immanentem, ſubindeque & cum Deo identificatam, cum ejus velle ſit haud dubiè Deo & in Deo immanens.

Jam verò quod ita ſimiliter ſentiat D. Thomas, præter quam quod evidenter ſequitur ex his quæ adducta ſunt ſupra ex S. Doctore in reſponſione ad objectionem, ubi expreſſis terminis docet præfatam Dei actionem eſſe æternam, poteſt præterea colligi ex his quæ docet 1 *p.q.13.art.7 ad primum*; & *q.* 23. *art.* 2.*in corpore*; & *q.* 25. *art.* 1. ad ſecundum & tertium argumentum; cum *l.1.contra Gentes.cap.23.ratione* 4., & in aliis pluribus ſuæ doctrinæ locis.

Dices, Docere D. Thomam 1.*p.q.23.art.* 2. *ad* 1. quod actio Dei ad extra tranſit ad creaturas, & *q.105.art.5.ad 2.* docere, quod eadem actio procedit à primo & ſecundo agente: ſed hæc verificari non poſſunt, ſi actio Dei ad extra ſit identificata cum Deo & in Deo formaliter immanens; ergo non ita ſentit S. Doctor de actione Dei ad extra.

Reſpondeo Negando Minorem; hæc enim rectè verificantur etiam in ſenſu & juxta mentem S. Doctoris, quantumvis ita ſentiat & ſentiamus de actione Dei ad extra; ad primum ſiquidem ubi dicit D. Thomas quod tranſit actio Dei ad extra ad creaturas, hoc intelligi debet & ab eodem intelligitur ſecundum dicta in corpore, non quantum ad ipſam entitatem & actualitatem actionis, ſed ratione ſolum effectus producti, quem quidem extra ſe & in creaturis ponit; in quo differt actio Dei ad extra à prædeſtinatione ſicut & ab aliis actionibus purè immanentibus, quæ etiam ratione producti termini non tranſeunt ad extra, ut docet idem S. Doctor *in art.2.q.* 23. *ejuſdem* 1. *p.* ad aliud verò quod in argumento objicitur, ubi dicit D. Thomas, quod eadem actio procedit à primo & ſecundo agente, dico hoc intelligendum eſſe & ab eodem intelligi, taliter quod eadem quidem actio noſtra procedat à primo & ſecundo agente, ſed non eodem modo: à primo namque agente procedit ut effectus & terminus alterius actionis increatæ, quæ eſt in Deo & cum Deo identificata, à nobis verò ſive à ſecundo agente procedit ut actio & egreſſio immediata, qua creatura operatur, ut expreſsè docet idem S. Doctor *in quæſtionibus diſputatis quæſtione de unione verbi*, ubi dicit actiones eſſe multiplicandas, ſi naturæ & principia multiplicentur, nec poſſe correſpondere actionem unicam duplici naturæ, *etiamſi una moveatur ab altera.* Hæc S. Doctor.

COROLLARIUM.

Notatu dignum.

Et à Thomiſtis præcipue pro ſtabilienda præmotione, & in materia de auxiliis omnino annotandum.

HOc quod Lectori propono Corollarium, propono poſt eam viſam & meditatam, quam ſupra expoſui doctrinam, de identitate ac immanentia actionis Dei ad extra in ipſo Deo & cum ipſo Deo: ex hac enim doctrina, quam propterea nedum ex principiis tribus evidentibus evidenti conſequentia deductam, ſed & expreſſis Sanctorum Patrum authoritatibus munitam volui, intendo probare & manifeſtè oſtendere, omnino ſequi admittendam fore præmotionem ſivè concurſum Dei ad actiones noſtras prævium, etiam adverſariis dando, quod plures ex illis inintelligibile clamitant in tali præmovente concurſu; quia ſcilicet plures ut plurimum nonniſi à limine Thomiſtarum ſalutant doctrinam, nec intra ingrediuntur, ut penetrent. Ajunt ſiquidem adverſarii, inintelligibile eſſe dandam eſſe præfatam præmotionem, quia inintelligibile eſt quid ſit, & in quo conſiſtat talis præmotio, cum intelligi nequeat, eſſe illam ſtabiliendam in qualitate aliqua motiva aut motione virtuoſa, ut volunt communiter Thomiſtæ, recepta realiter in cauſa ſecunda; tum quia qualitas illa aut virtuoſa motio, utpote in nobis recepta, eſt productum accidens, & conſequenter terminus divinæ actionis, quæ quidem actio ſicut ſeipſa ſufficiens fuit ad extrahendam talè motivam qualitatem ex nihilo, ita à fortiori ſufficiens érit ſeipſa ad extrahendum v. g. conſenſum ex voluntate noſtra, quæ jam ſupponitur in actu primo potens atque cómpleta, atq; ita inutilis eſt, & erit talis ſuperaddita motio virtuoſa, aut movens qualitas; tum quia, inquiunt, inintelligibile eſt quo jure & qua ratione illa qualitas movens & præmovens, utpote accidens & conſequenter debiliſſimæ entitatis, eſſe poſſit tantæ virtutis & tantæ efficaciæ & activitatis, ut omnino infallibiliter extorqueat conſenſum voluntatis noſtræ liberrimæ: tum denique quia intelligi nequit, quod adeo minuta & diminuta entitas, qualis eſt qualitas illa, ſive accidens movens & præmovens, tantæ ſit univerſalitatis in attingendo effectum ſuũ, ut extendat ſe & ad ſubſtantiam & mo-

dum actus, hoc eſt ad faciendum quod & agamus & quod libero modo agamus, ut dicunt communiter Thomiſtæ ad componendam libertatem noſtram cum hujusmodi præmotione.

Ita adverſarii præfatæ noſtræ præmotionis, ex quibus concludunt, non propterea recurrendum eſſe ad præmotionem, ſivè præmoventem concurſum, ut habeatur concurſus creaturæ & cauſæ ſecundæ, ſed hunc ſufficienter haberi, hoc ipſo quod intelligitur concurrere Deum cum cauſis ſecundis, quod quidem inquiunt, patet, verificari ſine omni concurſu prævio ſeu præmovente. Eo ergo fine hoc ego propono & appono Corollarium, ut ex doctrina quæſtionis præcedentis, quæ haud dubiè certiſſima eſt & trita apud Sanctos Patres, ipſis probem adverſariis, [& quidem, meo judicio, convincentiſſimè] omnino admittendum fore concurſum Dei prævium ad actiones noſtras etiam adverſariis dando (nec tamen concedendo) quod in intelligibile ſit, conſiſtere prævium illum & præmoventem concurſum in præfata qualitate aut virtuoſa motione in nobis realiter recepta; & hoc unum cum illis ſupponendo, quod ſcilicet ut agat cauſa ſecunda, debet & Deus agere; & quod ut habeatur concurſus creaturæ debet & Deus concurrere. Hinc enim ſic efficaciter arguo & probo ſequi in Deo concurſum prævium ad actiones noſtras.

Argumentū efficaciſſimū ad probandū concurſum Dei præviū ad actiones noſtras.

Quod ſe habet ad actiones noſtras ut ad effectum, non poteſt non eſſe prævium ad illas; ſed actio ſive concurſus, quo agit Deus dum agimus, ſe habet ad actiones noſtras, ut ad effectum: Ergo præfatus Dei concurſus, quo agit & concurrit Deus dum agimus non poteſt non eſſe concurſus prævius ad actiones noſtras. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, ens per eſſentiam non poteſt non ſe habere ad ens per participationem ut ad effectum; ſed actio qua agit & concurrit Deus dum agimus, eſt ens per eſſentiam; cum tamen actio noſtra ſit ens tantum per participationem: ergo actio qua agit & concurrit Deus dum agimus ſe habet ad actiones noſtras ut ad effectum. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*: quoad primam, de qua ſola dubitari poteſt. Actio identificata cum Deo & in Deo formaliter immanens non poteſt non eſſe ens per eſſentiam: ſed actio qua agit & concurrit Deus dum agimus, eſt actio identificata cum Deo, & in Deo formaliter immanens: ergo actio illa qua agit & concurrit Deus dum agimus, eſt ens per eſſentiam. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, demonſtratum fuit ſupra ex tribus expoſitis & omnino manifeſtis principiis,

piis, nec non expreſſiſſimis ſanctorum Patrum authoribus, actionem, qua agit Deus ad extra, eſſe identificatam cum Deo & in Deo formaliter immanentem: ſed actio qua agit & cõcurrit Deus dum agimus eſt actio ipſius Dei ad extra, ejusque correſpondens divinæ & executivæ potentię: ergo actio illa qua agit & concurrit Deus dum agimus eſt actio identificata cum Deo & in Deo formaliter immanens: ergo actio qua agit & concurrit Deus dum agimus, eſt ens per eſſentiam; cum tamen actio noſtra ſit ens tantum per participationem: ergo actio qua agit & concurrit Deus dum agimus, ſe habet ad actiones noſtras ut ad effectum ergo actio qua agit & concurrit Deus dũ agimus eſt prævia ad actiones noſtras: ergo cum ex ipſo etiam adverſariorum ore admittenda ſit pręfata actio, qua ſcilicet agat & concurrat Deus dum agimus, velint nolint, admittere coguntur concurſum Dei prævium ad actiones noſtras, & quidem prioritate cauſalitatis, de quo eſt quæſtio. Quia ergo tam facilis tamque plana eſt via hæc ad hunc ſtabiliendum concurſum cauſalitate pręvium, placet hic aliqua reſolvere pro Corollarii complemento; quę poſſunt adverſarii in contrarium nobis objicere. Igitur

Dicent 1, quod concurſus, qui requiritur prævius, requiritur ad efficaciter & infallibiliter determinandam voluntatem noſtram; ſed ex vi hujuſmodi actionis identificatę cũ Deo non poteſt efficaciter determinari voluntas noſtra: ergo non poteſt hujuſmodi actio identificata cum Deo vicibus fungi concurſus prævii. *Prob. minor*, non poteſt voluntas ex intrinſecè indifferenti reddi intrinſecè determinata per aliquid extrinſecum: ſed hujuſmodi actio Dei utpote in Deo immanens manet ſemper extrinſeca voluntati noſtræ: ergo ex vi hujuſmodi actionis identificatę cum Deo non poteſt efficaciter determinari voluntas noſtra.

Reſpondeo negando minorem: cujus ratio eſt, quia ut notat D. Thomas *1. p. q. 46. art. 1. ad 10.* aliter philoſophandum eſt de actione cujus principium eſt naturalis aliqua forma, & aliter de ea quæ eſt per voluntatem; cum enim principium hujus ſit id quod conceptum eſt atque prædefinitum, conſequenter ſit quod ſicut ſeparari poteſt exinde actio ab effectu quantum ad durationem, adeo ut ſit aliquando actio: nec tamen adhuc ſit effectus; eo quod ſcilicet quod conceptum & prædefinitum eſt non habet quod ſit effectus pro omni tunc, pro quo eſt actio, ſed pro certo & determinato tempore; ita ſimiliter & exinde ſequitur quod ſeparari poſſit actio ab effectu quoad ubicationem, ut ita loquar; adeo ut ſit actio in Deo; & ſit & ponatur effectus in creatura. Unde ad probationem di-

ſtinguo majorem ſic: voluntas noſtra non poteſt ex indifferenti reddi intrinſecè determinata per aliquid extrinſecum, non poteſt reddi formaliter, Concedo: non poteſt reddi efficienter, Nego. Cauſa namque efficiens ut talis & ex natura ſua petit eſſe extrinſeca rei ad quam comparatur ut cauſa; & ita cum concurſus ille prævius non exigatur ad determinandam voluntatem noſtram, niſi in genere cauſæ efficientis, eo quod ſcilicet voluntas reddi debet & redditur formaliter determinata per determinationem ſuam, quæ ſcilicet ab ipſa oritur ut efficienter applicata per concurſum prævium, conſequenter fit quod poſſit actio illa Dei licet ita in Deo immanens fungi vicibus concurſus prædeterminantis, & extrahere voluntatem ex ſtatu indifferentiæ ad ſtatum determinatum, quantumvis ſit nobis extrinſeca, maxime cum ly *extrinſecum* talis ſit naturæ in præfata Dei actione, quod in ea adhuc vivimus, movemur, & ſumus.

Dicent 2. ſi hoc ita eſſet, quod ex vi actionis identificatæ cum Deo & conſequenter diſtinctæ realiter ab actione noſtra, eliceremus nos actiones noſtras, daretur tunc actio ad actionem: ſed ſolet communiter concedi apud Philoſophos & Theologos, quod non datur actio ad actionem: ergo non elicimus nos actiones noſtras ex vi actionis identificatæ cum Deo & diſtinctæ realiter ab actione noſtra; ac proinde nec poteſt præfata actio vicibus fungi concurſus prævii.

Reſpondeo diſtinguendo minorem: ſed communiter conceditur, quod ad actionem non datur actio, quæ ſit ejuſdem generis & ordinis, Concedo minorem: quæ ſit diverſi & ſuperioris ordinis, increata ſcilicet & divina, Nego. Non igitur ad actionem dari poteſt actio, quæ ſit ejuſdem generis & ordinis, quia omnis actio eſt per ſe ratio operandi ipſi agenti, & eſt id, quo agens ſit formaliter operans, quod dici non poſſet, ſi actio præſupponeret aliam actionem in agente, à qua eſſet & mediante qua ab agente oriretur: nihilominus quia actio hæc habet adhuc rationem entis creati & participati, & ordo in quo habet quod ſit per ſe ratio operandi eſt ordo inferior & dependens, propterea fit quod actio illa debeat adhuc cauſari à Deo qui eſt ſupremum agens & cauſa ſupremi ordinis, ac proinde quod ſubſequi debeat ad actionem ſive cauſalitatem Dei tanquam effectus ejus, & ſic reſpicere præfatam Dei actionem, ut aliquid prius & prioritate cauſalitatis prævium ad ipſam; unde ulterius ſequitur actionem illam noſtram eſſe & actionem, ſeu rationem operandi, & effectum, ſed reſpectu diverſorum; eſt enim ratio operandi reſpectu noſtri, qui per eam noſtras exercemus potentias & facultates; ſed eſt ſimul & ſemel effectus reſpectu actionis Dei,

quæ cum ſit identificata cum Deo & conſequenter ens per eſſentiam, non poteſt non attingere omnia omnino creata entia ad modum effectus.

Dicent 3. ſi actio quâ agit & concurrit Deus dum agimus aut acturi ſumus rationem haberet concurſus prævii ad actionem noſtram, ſequeretur quod reſpectu cauſarum quæ ſubordinantur non unica tantum correſponderet actio, ſed alia & alia : ſed hoc eſt contra commune philoſophorum dictum, etiam Thomiſtarum, qui communiter aſſerunt quod hæc eadem actio quæ oritur à nobis, etiã à Deo oritur: ergo præfata actio qua agit & cõcurrit Deus dũ acturi ſumus fungi non poteſt vicibus concurſus prævii.

Reſpondeo negando minorem ; quin imo Philoſophorum princeps, ipſe ſcilicet Divus Thomas ejus oppoſitum expreſſiſſime docet, idemque ter aut quater repetit in uno & eodem loco, nimirum *in quæſtionibus diſputatis quæſtione de unione verbi*, tum *in argumento ſed contra*, tum *in corpore*, tum *in reſponſione ad undecimum argumentum*, tum *denique ad decimum quartum*, ubi expreſſe dicit & docet: *Actiones eſſe multiplicandas, ſi natura & principia multiplicentur , & non poſſe correſpondere unam ſolam actionem duplici natura, etiam ſi una moveatur ab altera.* Hæc Doctor ille noſter Angelicus, quibus ſuppoſitis, jam ab adverſariis quæro, num cauſæ dicantur ſubordinatæ , quando una movetur ab altera? ſed dicit Divus Thomas non poſſe unam ſolam actionem correſpondere duplici naturæ ſive principio; quamvis una moveatur ab altera: ergo ſentit haud dubiè ſanctus Doctor, eſſe actiones multiplicandas reſpectu Dei & cauſæ ſecundæ; quantumvis ſint ſubordinatæ in operando: ergo ſentit S. Doctor actionem illam Dei , quâ agit & concurrit ſit actio realiter diſtincta à noſtra; ſubindeque & ad noſtram ſe habere ut ad effectum & conſequenter præviè: Maximè cum ex eodem oſtenſum fuerit *in quæſt præcedenti* : actionem qua agit Deus ad extra eſſe ſubſtantiam, æternam, atque identificatam cum Deo ; ipſeque probet S. Thomas & quidem profundiſſimè more ſuo 1. *part. quæſt. 77. art. 1. in corpore* , quod potentia & ejus actio, ſeu ratio operandi debent eſſe ejuſdem generis; ex quo evidenter ſequitur impoſſibile eſſe, quod actio noſtra quæ eſt accidens, eſſe poſſit ratio operandi & agendi ipſi potentiæ executivæ Dei quæ eſt ſubſtantia. Ad hoc autem quod affertur in argumento de dicto Thomiſtarum, reſpondeo , quod quando dicunt Thomiſtæ, quod hæc eadem actio quæ oritur à nobis, etiam à Deo oritur, hoc intelligunt modo ſupra expoſito, ita ut à nobis oriatur ſub ratione actionis, ſeu tanquam ratio operandi , & ipſa egreſſio

 effe-

effectus, à Deo vero oriatur tanquam effectus, ſubindeque, & tanquam aliquid conſequens ad aliam actionem, quæ Dei & in Deo ſit, quæque proinde ſe habeat prævię ad illam.

Dicent ultimò, quod non minus difficile componitur libertas noſtra cum præfata præmotione ſtabilitâ in illa Dei actione identificata cum Deo, quam cum alia quæ ſtabiliri ſolet in qualitate illa phyſica ſeu motione virtuoſa in nobis realiter recepta; cum utraque inferat ex natura ſua infallibiliter effectum: ergo cum ex hoc præcipuè capite reſpuant ipſi Moliniſtæ præmotionem in hoc ſecundo ſenſu, non minus reſpuere debent ut ſtabilitam in præfata Dei actione identificatâ cum Deo, & in Deo formaliter immanente.

Reſpondeo negando antecedens: imprimis enim ideo ipſi difficile componunt libertatem noſtram cum eâ præmotione, quæ ſtabiliri ſolet in præfata qualitate phyſica & accidentali in nobis realiter recepta, quia inquiunt, inintelligibile eſt influxum hujuſce tam minutæ & diminutæ entitatis, qualis eſt accidentalis qualitas, ſit & eſſe debeat ita univerſalis, ut debeat attingere omne quod in actibus noſtris habet rationem entis, hoc eſt tum ſubſtantiam ipſius actus, tum etiam modum liberum, quo fieri debet, præſertim cum potentia activa & attractiva effectus commenſuretur actualitati entis & entitatis in qua fundatur, ut expreſſe docet S. Thomas *in prima parte quaſt. 25. art. 3.* & entitas ſubindeque & actualitas præfatæ qualitatis moventis accidentalis non ſit aut certe non videatur eſſe hujuſce univerſalitatis & amplitudinis: jam ſic eſt quod hæc non currit difficultas in præfata præmotione ſtabilitâ in actione Dei ad extra ut identificatâ cum Deo: quin immo in ea manifeſte & demonſtrativè oſtenditur rem ita eſſe, putà quod attingit & debet attingere omne, quod in actibus noſtris habet rationem entis, hoc eſt & ſubſtantiam ipſius actus, & modum liberum quo fieri debet; tum quia actio illa utpote identificata cum Deo eſt ens per eſſentiam, atque ita eſſe debet cauſa omnis & totius entis participati, ſub quo quidem cadit, & ſubſtantia actus & modus quo fit & fieri debet, ut per ſe patet; tum quia præfata actio Dei ad extra hoc

Nota. ipſo quod identificata cum Deo eſt ipſamet divina potentia, ſeu omnipotentia: jam ſic eſt quod omnipotentia habet ex ſuis intrinſecis & independenter ab omni extrinſeco, ſeu exſpectatione conſenſus & determinationis noſtræ prævisæ, habet inquam ex ſuis intrinſecis cauſare poſſe in ſuo ordine primæ cauſæ actus noſtros etiam ut liberos; cum ut profunde notat idem S. Thomas *loco ſupra citato*, actualitas ipſius divini eſſe in qua intrinſecè fun-

fundatur utpote illimitata omnem in ſe præhabeat rationem entis, & conſequenter potentiam fundet ſe ab intrinſeco extendentem. ad id omne quod cadit ſub ente, tanquam ad proprium objectum, ſub quo quidem ente reperiuntur haud dubie actus noſtri, etiam ut liberi: ergo habetur manifeſtè, quod actio illa Dei ad extra, hoc ipſo quod identificata cum Deo debeat in noſtris actibus attingere tum ſubſtantiam tum modum, hoc eſt facere debeat & quod agamus & quod libero modo agamus; atque ita quod ex hoc capite læſæ libertatis, reſpuere non debent præfatam præmotionem, ſeu prævium concurſum ſtabilitum in præfata Dei actione; dato quod illam difficilè componant cum alia præmotione, quæ ſtabiliri ſolet in qualitate accidentali, ſive motione virtuoſa realiter in nobis recepta.

Addo in confirmationem, quod cum eadem currat difficultas pro ſalvanda contingentia, ac pro ſalvanda libertate, hoc ipſo quod effectus etiam ut ortus ex vi præfatæ actionis Dei, adhuc contingens eſt, poteſt per conſequens & eſſe liber: jam ſic eſt quod poſitus eſt & quotidie ponitur effectus contingens, & contingenter, qui tamen poſitus eſt & ponitur ex vi præfatæ actionis Dei ad extra identificatæ cum Deo; cum certum ſit, & terram produxiſſe & producere contingenter herbas; & arbores produxiſſe & producere contingenter fructus, nec minus certum ſit producere & produxiſſe ex vi illius actus divini imperii, quo ſcilicet dixit Deus, producat terra herbam virentem, & factum eſt ita; producant arbores fructus ſuos, & factum eſt ita: ergo & pari ratione & facilitate ſalvatur & componitur libertas actuum noſtrorum cum præfata Dei actione, à Deo realiter indiſtincta, ex qua & ex vi cujus ſupponuntur omni, ut demonſtratum fuit *in quæſtione præcedenti*, & inſuper inſinuat Auguſtinus *lib. 11. confeſſionum* c. 31. ubi loquens cum Deo ait: *ſicut ergo noſti omnia ſine varietate notitiæ tuæ, ita & feciſti omnia ſine diſtinctione actionis tuæ.*

QUÆSTIUNCULA.

Vtrum creare ita ſit ſolius omnipotentis Dei, ut nec etiam inſtrumentaliter poſſit competere creaturæ.

R*Eſpondeo* affirmativè; quod quidem ex triplici colligo

capite;tum ex authoritatibus ; tum ex ipſa natura inſtrumenti; tum denique & ipſa natura & quidditate actionis creativæ ; & quidem quantum ad authoritates occurrit inter alios ſanctiſſimus Auguſtinus totius bonæ doctrinæ magnus parens, qui id expreſſiſſimè docet tum *l.9.de Geneſi ad litteram*, tum *lib.12. de Civit.Dei cap.24.* Hæc enim habet ſupra Geneſim: *Angeli autem nullam omnino poſſunt creare naturam;ſolus enim unus cujuslibet naturæ ſive magnæ,parvæ ſeu minimæ creator eſt Deus ipſe.* Hæc ille,qui idem ſimiliter inſinuat *loco citato de Civitate Dei*, ubi ſic loquitur:*neque enim fas eſt ullius naturæ quantumlibet minimæ mortaliſque creatorem,niſi Deum credere ac dicere* : atqui excludens in his locis Auguſtinus virtutem creativam à creatura, intelligit & intelligendus eſt loqui,nedum principaliter , ſed etiam inſtrumentaliter:ergo ex D.Auguſtino ly *creare* ita ſolius eſt omnipotentis Dei,ut nec etiam inſtrumentaliter poſſit competere creaturæ.*Probatur Minor*: idem Auguſtinus *in eodem capite 15.*& jam citato ſupra Geneſim hæc habet : *Creare naturam tam nullus Angelus poteſt quam ſeipſum* : ſed Angelus nec principaliter nec etiam inſtrumentaliter poteſt ſeipſum creare,ut per ſe patet,aliàs eſſet antequam eſſet: ergo excludens D. Auguſtinus virtutem creativam à creatura intelligit & intelligendus eſt loqui nedum in genere principalis cauſæ,ſed & in genere cauſæ inſtrumentalis.

Secundò hoc idem colligo ex ipſa natura inſtrumenti , quod cum ex propria ratione attingat effectum inproportionatum, conſequenter fit quod non in virtute ſibi propria , ſed ſolum in virtute propria ipſius principalis cauſæ poſſit illum attingere,ac proinde habere debeat virtutem illam propriam principalis cauſæ ſibi communicatam & in ſe receptam.Ex his igitur quæ quidem ſunt de natura & exigentia inſtrumenti argumentor ſic. In tantum poteſt creatura inſtrumentaliter creare, in quantum habere poteſt virtutem propriam Dei creantis ſibi communicatam,& in ſe receptam:ſed hoc eſt impoſſibile;ergo & impoſſibile eſt poſſe creaturam creare etiam inſtrumentaliter. *Major* patet ex dictis de natura & exigentia inſtrumenti. *Probatur Minor*: omne quod communicatur & recipitur , ad modum recipientis recipitur : ſed non poteſt virtus propria Dei creantis in creatura recipi,ad modum recipientis , finito ſcilicet & limitato modo, qualis eſt creatura recipiens : ergo nec poteſt creatura virtutem habere propriam Dei creantis ſibi communicatam , ac in ſe receptam.*Major* per ſe patet,& eſt axioma philoſophicum. *Probatur Minor* : hoc ipſo quod virtus propria Dei creantis univerſaliſ-

ſima

ſima eſt & illimitata, non poteſt in creatura recipi ad modum recipientis, finito ſcilicet & limitato modo, qualis eſt creatura recipiens: ſed virtus propria Dei creantis eſt univerſaliſſima & illimitata; cum ſit propria virtus agentis univerſaliſſimi; & actualitas ipſius divini eſſe, ſupra quam fundatur, juxta illud: unumquodque agit in quantum eſt in actu, ſit actualitas omnino illimitata & in ſe præhabens omnem perfectionem atque actualitatem totius entis: ergo non poteſt virtus propria Dei creantis in creatura recipi ad modum recipientis: ergo nec poteſt creatura virtutem habere propriam Dei creantis ſibi communicatam, & in ſe receptam: ergo nec poteſt creatura ad actum & effectum creationis concurrere in virtute Dei creantis: ergo neque etiam inſtrumentaliter aſſumi poteſt creatura ad creandum. Porrò ex hac doctrina aliud quoddam infero parum notatum ſed multum notandum, putà quod Deus nedum ex immenſitate ſed etiam ex ipſa ratione operationis & operis, eſſe debet præſens cuilibet operi præſentia ſuppoſiti, hoc ipſo quod eſt præſens præſentia virtutis, cum ipſa virtus Dei, quæ præſens adeſt omni & cuilibet operi reperiri nequeat in alio ſuppoſito à divino, ex eo ſcilicet quod eſt virtus propria Dei & conſequenter univerſaliſſima & illimitata, ac proinde in nullo receptibilis ſuppoſito creato, finito, & limitato. *Nota.*

Tertiò denique præfatam probo reſolutoriam reſponſionem ex ipſa natura & quidditate actionis creativæ, quæ quidem hoc ipſo quod talis & ut eſſentialiter condiſtincta ab actione eductiva, eſt actio productiva rei & ex nihilo ſui & ex nihilo ſubjecti, cum productiva ſit ex non præſuppoſito ſubjecto, adeoque & eſt actio omnino productiva ex nihilo, ex hac autem doctrina ſic arguo ad intentum. Non poteſt creatura vim habere creandi omne creabile; ſed ſi haberet creatura virtutem creativam ſibi communicatam, vim haberet creandi omne creabile: ergo impoſſibile eſt, habere creaturam virtutem creativam ſibi communicatam, & conſequenter creare poſſe inſtrumentaliter. *Major* per ſe patet: id enim quòd vim habet creandi omne creabile debet eſſe extra genus creabilium; aliàs vim haberet creandi & producendi ſeipſum. *Probatur Minor*: hoc ipſo quod creativa virtus non habet, ex quo ad unum tantum determinetur creabile, ſive ad unum tantum certum numerum creandorum, habet hoc ipſo vim creandi omne creabile: ſed virtus illa creativa quæ ſupponitur creaturæ communicata, non habet ex quo determinetur ad unum tantum creabile, ſive ad unum tantum certum numerum creabilium: ergo ſi haberet creatura virtutem creativam ſibi

communicatam, vim haberet creandi omne creabile. *Major* conſtat ex terminis. *Probatur Minor*; quod talis eſt naturæ, ut id quod attingit creabile, attingat ſub ratione communi omni creabili, habere non poteſt, quod ad unum tantum limitetur creabile; cū ex quo attingit id quod creat aut creare poteſt, ſub ratione quæ comūnis eſt alteri creabili, poſſit hoc ipſo & attingere illud alterum, ut ex terminis patet: ſed omnis creativa virtus talis eſt naturæ, quod id quod attingit creabile, attingit ſub ratione communi omni creabili; cum illud attingendo ut extractum ex nihilo illud per conſequens attingat ſub ratione communi entis quæ tali per ſe primo opponitur nihilo, quæque communis eſt omni creabili, ergo virtus illa, quæ ſupponitur creaturæ communicata, non habet ex quo determinetur ad unum tantum creabile, ſive ad certum numerum creabilium: ergo ſi haberet creatura virtutem creativam ſibi communicatam, vim haberet creandi omne creabile: ergo cum non poſſit creatura vim haberet creandi omne creabile, alias vim haberet creandi & producendi ſeipſam, conſequenter fit quod nec habere poſſit virtutem creativam ſibi communicatam.

Dices 1. poteſt creaturæ communicari creativa virtus taliter quod dicatur creans, ſi ei communicari & uniri poſſit omnipotentia, taliter quod dicatur omnipotens: ſed poteſt Dei omnipotentia communicari taliter creaturæ, quod dicatur omnipotens: ergo & ei communicari poteſt taliter creativa virtus, quod dicatur creans, & conſequenter aſſumpta inſtrumentaliter ad creandum. *Major* per ſe patet. *Probatur Minor*: ſi non poſſet Dei omnipotentia communicari taliter creaturæ, quod diceretur omnipotens, non poſſet quia denominatio omnipotentis eſt omnino propria Dei: ſed hoc non obſtat nec impedit: ergo poteſt Dei omnipotentia taliter creaturæ communicari quod dicatur omnipotens. *Major* videtur certa. *Probatur Minor*: non minus denominatio ſubſtantialiter ſancti eſt omnino propria Dei, quam denominatio omnipotentis, cum non minus ſubſtantialis ſanctitas ſit attributum Dei, quam omnipotentia: ſed hoc non obſtante adhuc ita communicatur in incarnatione ſubſtantialis illa ſanctitas naturæ creatæ Chriſti Domini, quod dicatur ex vi illius ſubſtantialiter ſancta, ut docent communiter Thomiſtæ, in tractatu de Incarnatione: ergo quod ſit denominatio omnipotentis propria Dei, non impedit, quin poſſit creaturæ comūnicari.

Reſpondeo negando minorem, cujus ratio eſt, quia conceptus objectivus omnipotentis deſtruit omnino conceptum objectivum creaturæ, & per illum deſtruitur; cum ex conceptu omnipotentis,

potentis, ſi tollas & ſubmoveas vim producendi omne producibile, ejus deſtruas rationem objectivam; ſi vero in eo talem relinquas vim, & cum tali vi eum tribuas, & concedas alicui creaturæ; tunc creaturæ conceptum deſtruas, cum creatura ſit producibilis, & nihil poſſit producere ſeipſum : non ergo fieri poteſt, quod taliter communicetur omnipotentia creaturæ, quod dicatur & dici poſſit omnipotens, nec conſequenter creans. Unde ad probationem nego minorem; ad tertium verò, in quo ſita eſt difficultas, nego majorem, quod ſcilicet non minus denominatio ſubſtantialiter ſancti ſit omnino propria Dei, quam denominatio omnipotentis: id enim quod ex conceptu ſuo objectivo repugnantiam importat, & explicat cum ipſo conceptu objectivo creaturæ, non poteſt non eſſe Deo magis proprium, quam id quod talem taliter non importat repugnantiam; jam ſic eſt quod conceptus objectivus omnipotentis importat & explicat in conceptu ſuo objectivo repugnantiam cum conceptu objectivo creaturæ, cum vim importet producendi omne producibile, cujus negationem importat conceptus objectivus creaturæ, alias idem poſſet ſeipſum producere: & contra vero ly *ſubſtantialiter ſanctum collatum*, ſecundum conceptum ſuum objectivum cum conceptu objectivo creaturæ hanc minimè importat repugnantiam; cum ſalvetur ratio objectiva ſubſtantialiter Sancti, per hoc quod habeatur mediante ſubſtantiali unione prædicatum cum peccato oppoſitum, reddens naturam ita ad bonum propenſam, ut ab illo nuſquam deflectat, quæ quidem objectiva ratio nihil habet repugnans ipſi conceptui creaturæ, & verificatur de facto in natura creata Chriſti Domini, quam propterea docent Thomiſtæ eſſe ſubſtantialiter Sanctam: non ergo poteſt ita communicari omnipotentia creaturæ, ut dicatur omnipotens, quamvis ita communicari poſſit & communicetur ſubſtantialis ſanctitas, ut dicatur ſubſtantialiter ſancta.

Dices ſecundò, ideo non poteſt creatura aſſumi inſtrumentaliter ad creandum, quia virtus creativa quæ deberet ei communicari, eſt infinita: ſed hoc eſt falſum, ergo & illud. *Probatur Minor*: ideo dicitur creativa virtus eſſe infinita & infinitæ perfectionis, quia attingit effectum ſub ratione communi entis, ſive ſub ratione entis ex nihilo, cui primo opponitur ratio communis entis: ſed ex hac attingentia arguitur potius finita duntaxat perfectio in virtute, quam infinita: ergo falſum eſt creativam virtutem eſſe debere infinitam. *Probatur Major*, : ex contento finito & finitæ ſolum perfectionis, non poteſt argui infinita perfectio in virtute continente; ſed ratio illa com-

munis,

munis entis attingibilis per virtutem creativam quantumvis in infinitum ſit multiplicabilis ſecundum numerum, manet ſemper finitæ tantum perfectionis; cum ſemper maneat intra genus entis creabilis, nec aſcendat ad rationem entis increati & infiniti: ergo quod attingat creativa virtus effectum ſub ratione communi entis, non propterea argui poteſt in tali virtute infinita perfectio.

Reſpondeo negando minorem; ad cujus probationem nego ſimiliter minorem; ex hoc enim quod creativa virtus attingit effectum ſub ratione communi & univerſaliſſima entis, evidenter ſequitur præhabere in ſe & præcontinere omnem perfectionem omnium generum & ſpecierum creatarum, quæ ſunt in infinitum multiplicabilia; cumque perfectio illa quæ non eſt finita in illis entibus ita in infinitum multiplicabilibus, niſi quia in illis reperitur diſperſa & ut in pluribus, reperiatur & reperiri debeat in virtute illà præcontinente & creativa, reperiatur, inquam, unita, & adunata, conſequenter fit, quod debeat hujuſmodi creativa virtus ita præcontinens eſſe infinitæ perfectionis, & eſſe increata virtus, & eſſe extra genus creati & finiti entis, quantumvis non dicatur talis, niſi in ordine ad ens creatum & finitum; cum ex hoc quod habet unitim, quod non niſi diſperſim reperitur in creaturis, habeat per conſequens, ex quo ſufficienter condiſtinguatur contra genus entis creati ſive finiti. Unde ad ultimum, in quo dicitur, quod ex contento finitæ ſolum perfectionis, non poteſt argui infinita perfectio in virtute continente, reſpondeo diſtinguendo ſic: ſi dicatur contentum finitæ ſolum perfectionis, ex ipſa perfectione habita, Concedo: ſi vero dicatur contentum finitæ ſolum perfectionis ex modo habendi perfectionem, putà ex modo habendi diſperſim, Nego, quod tunc ex tali contento non debeat argui infinita perfectio in continente; cum in continente reperiatur perfectio habita ſub alio habendi modo, ab eo ſub quo reperitur in contento, ex eo ſcilicet quod in continente reperitur unitim, quod non niſi diſperſim reperitur in contento.

Nota.

Jam ſic eſt quod ratio communis entis creabilis, quæ dicitur contentum reſpectu creativæ virtutis, dum dicitur finitæ ſolum perfectionis, hoc non eſt ex perfectione habita, ſeu quæ haberi poteſt, cum ſub tali ratione communi entis creabilis reperiantur ſpecies & genera diverſæ perfectionis in infinitum multiplicabilia & conſequenter reperiatur in tali contento infinita perfectio, quantum eſt ex parte perfectionis quæ haberi poteſt; ſed dicitur contentum illud finitæ ſolùm perfectionis, ex eo ſcilicet

quod

quod infinita illa perfectio, nonniſi diſperſim reperitur in tali contento, ſeu in illis generibus ac ſpeciebus ita in infinitum multiplicabilibus: ergo cum tota illa perfectio reperiatur & reperiri debeat in virtute creativa & continente, debeat inquam reperiri unitim, ut per ſe patet, evidenter ſequitur, fore virtutem illam creativam infinitæ perfectionis, & extrahi extra omne genus creati entis, nec non fore ut talem increatam virtutem, cum ita elevetur ſupra omne creatum, habens ſcilicet totum unitim, quod nonniſi diſperſim reperitur in creatis ſeu creabilibus entibus.

Dices 3. hoc ipſo quod imperium voluntatis eſt ſe ſolo activum, poteſt hoc ipſo eſſe & creativum: ſed non repugnat agere creaturam ex ſolo imperio voluntatis: ergo nec repugnat, poſſe creare, *Minor* conceditur communiter à Thomiſtis, qui quidem docent cum D. Thoma non alio actu agere Angelos & producere ad extra, quam imperio voluntatis, ſeu intellectus moti à voluntate; de quo videbatur D. Thomas *quodlibeto* 6. *art.* 2. *Probatur major:* quod poteſt indifferenter producere vel ex ſubjecto præſuppoſito, vel ſine præſuppoſito ſubjecto, poteſt creare: ſed hoc ipſo quod imperium voluntatis eſt ſe ſolo activum, poteſt hoc ipſo producere, vel ex ſubjecto præſuppoſito, vel ſine præſuppoſito ſubjecto: ergo poteſt hoc ipſo tale imperium eſſe creativum. *Major* per ſe patet. *Probatur minor*: imperium voluntatis quod ſe ſolo activum eſt, habet producere, per hoc præciſè quod vult, ſeu imperat: ſed voluntati indifferens eſt, quod velit producere vel ex ſubjecto præſuppoſito, vel ſine ſubjecto, id eſt, æque facile poteſt voluntas ex parte ſui, velle quod fiat aliquid ſine ſubjecto, ac velle poteſt, quod fiat ex ſubjecto: ergo hoc ipſo quod imperium voluntatis eſt ſe ſolo activum, poteſt indifferenter producere vel ex ſubjecto, vel ſine ſubjecto.

Reſpondeo negando majorem, ad cujus probationem nego minorē, ad tertium vero, in quo poſita eſt difficultas, diſtinguo majorem ſic. Imperium voluntatis, quod ut tale ſive ſe ſolo activum eſt, habet producere per hoc præciſè, quod vult ſeu imperat, abſolute loquendo, nego majorem: per hoc quod vult & imperat intra ſphæram voluntatis ſuæ, ſecundum quod activa eſt, Concedo; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro quo notandum eſt, quod quando conceditur à Thomiſtis, & docetur à D. Thoma poſſe creaturam agere & producere ad extra ex ſolo imperio voluntatis, imo non aliter poſſe Angelos ad extra agere niſi ex tali imperio, notandum inquam, illud ſic venire intelligendum, modo ſcilicet velit

& imperet intra ſphæram voluntatis ſuæ ſecundum quod activæ; cujus ratio eſt, quia activitas hujuſmodi voluntatis ei non competit, nec competere debet præcisè ſecundum quod voluntas eſt; & ſecundum quod potens velle univerſaliter omne bonum; cum etiam in Deo ad multa ita ferri poſſit voluntas, in quæ tamen activa non eſt, potens ſcilicet velle & ipſum Deum, in quem tamen non eſt activa; ſed competit hujuſmodi activitas voluntati, ſecundum quod radicatur in actualitate ipſius eſſentiæ, juxta illud, unumquodque agit in quantum eſt in actu, ex quo fit quod ubi actualitas eſſentiæ infinita eſt; præhabens ſcilicet in ſe perfectionem totius entis, extendatur tunc ſphæra voluntatis ſecundum quod activæ, & activi ejus imperii, ad omnia quæ poſſunt cadere ſub ente: è contra vero ubi actualitas eſſentiæ finita tantum eſt, ut eſt in Angelo, & in quavis creatura, ſit tunc ſphæra activitatis ejus imperii & ipſius velle, finita tantum & determinata ad certum genus entis, non autem ſe extendens ad omne ens; unde cum vis & virtus producendi ſine ſubjecto præſuppoſito & ex nihilo, ſit virtus ſe extendens ad omne ens, ut probatum fuit ſupra in tertia probatione reſponſionis ad quæſitum; ſequitur evidenter de primo ad ultimum, non propterea poſſe Angelum vel aliam creaturam creare ſeu producere ex nullo præſuppoſito ſubjecto, licet agere poſſet ex ſolo imperio voluntatis; imo & dato quod velle poſſet & imperare hujuſmodi productionem: tale namque imperium non eſſet efficax in hoc caſu, cum eſſet extra ſphæram activitatis imperantis.

QUÆSTIO VI.

De viſibilitate Dei.

Vtrum videri poſſit Deus ut eſt in ſe per ſpeciem expreſſam creatam.

Præmittendum 1. id quod intelligendum venit per ipſam ſpeciem expreſſam, non eſſe ipſam intellectionem, ſed potius terminum ad intra productum per intellectionem, in quo intellectus contemplatur, & percipit, & intelligit, & quaſi

trahit

trahit ad intra objectum extrinſecum, ut intus illud legat. Unde quæſiti ſenſus non eſt utrum videri poſſit Deus ut eſt in ſe per intellectionem creatam, & per creatam actionem egredientem ab intellectu creato, quâ videat & intelligat Deum; ſed procedit quæſiti ſenſus de termino talis actionis, id eſt de verbo mentis, in quo repræſentetur ipſe Deus, & in quo creatus intellectus Deum videat. Eſt autem in hac parte duplex ſententia, utraque probabilis etiam apud Thomiſtas, & juxta doctrinam D. Thomæ, quarum prima negat, poſſibilem eſſe hujuſmodi ſpeciem expreſſam creatam claram & intuitivam Dei; & hanc tenent ex Thomiſtis Patres Salmanticenſes, Albeda, Joannes à S. Thoma, Zumel, & alii. Alia vero ſententia affirmans poſſibilitatem talis ſpeciei, etiam probabilis eſt apud Thomiſtas, quam defendunt, ut probabilem Capreolus, Alvarez, *in* 1.2 *fol.* 43. *columna* 1.*num.* 16.*ad* 4. Ledesma *de eſſe Dei quaſt.*8.*art.*6. Montes & Granad. qui dicunt in omni intellectione produci verbum ſeu ſpeciem expreſſam, quia, inquiunt, omnis intellectio eſt vera actio; quæ quidem ratio cum verificetur de intellectione creata quâ Deus videtur ut eſt in ſe, debent, ſi loqui velint conſequenter ad ſua principia, debent, inquam defendere verbum ſeu ſpeciem expreſſam creatam & productam etiam in intellectione, qua Deus videtur ut eſt in ſe; & tandem hanc tenet ut probabilem Gregorius Martinez *tomo* 2.*fol.*124.*columna* 2.*ad* 5. ubi ait, probabile eſſe, quod Beati non formant verbum: ex quibus verbis haud dubiè ſequitur, quod ſentiat iſte Author probabile eſſe oppoſitum.

Præmittendum 2. diverſitatem hanc opinionum apud Thomiſtas habere [meo judicio] fundamentum in ipſo fundamento, quo probare ſolent Thomiſtæ impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ creatæ, qua videatur Deus ut eſt in ſe. Licet enim omnes & ſinguli Thomiſtæ in hoc conveniant, quod impoſſibilis eſt ſpecies impreſſa creata in viſione Dei, ut eſt in ſe, non tamen omnes eodem utuntur fundamento ad hoc probandum. Plures namque ſunt, qui probant impoſſibilitatem hanc ſpeciei impreſſæ, quia, inquiunt, & ſpecies impreſſa & expreſſa, quæ repræſentant objectum ut eſt in ſe, debent ejus adæquare immaterialitatem: quo poſito fundamento tenere debent ſimiliter impoſſibilitatem ſpeciei expreſſæ creatæ in viſione Dei, ut eſt in ſe, ſi velint loqui cum conſequentia ad ſua principia: cum non minus impoſſibile ſit adæquari immaterialitatem Dei per ſpeciem expreſſam creatã, quam per impreſſam. Sunt alii vero inter Thomiſtas, qui hanc non admittentes ſequi adæquationẽ inter ſpeiẽ &

obje-

objectum, alio utuntur fundamento ad probandam impoſſibilitatem præfatæ ſpeciei impreſſæ, quæ minimè concludit pro expreſſa, dicentes ſcilicet, impoſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam creatam in viſione Dei ut eſt in ſe, quia ſpecies impreſſa eſt veluti vicaria objecti, reddens objectum proximè potens intelligi, adeoque & tenens ſe ex parte objecti, eique tribuens eſſe proximè intelligibile, ex quo concludunt [& quidem rectè & ſcientificè] dari non poſſe in viſione Dei ut eſt in ſe, ſpeciem impreſſam creatam, cum Deus utpote ſeipſo ſummè perfectus, habeat conſequenter ſeipſo quidquid ex parte objecti requiritur & actualitatis & immaterialitatis & proximitatis, ut ſit proximè potens intelligi, ac proinde non poſſit illud accipere ab alio à ſe diſtincto, puta à ſpecie impreſſa creata: cumque hoc non concludat, aut non ita videatur concludere pro ſpecie expreſſa creata, utpote quæ cum ſit vitalis terminus intellectionis ad intra vitaliter productus, tenet ſe conſequenter non ex parte objecti, ſed ex parte intellectus, nec ponitur ad ſupplendum aliquid ex parte objecti, ſed ex parte intellectus, ideo fit, quod quamvis admitti debeat impoſſibilitas ſpeciei impreſſæ creatæ in viſione Dei ut eſt in ſe, non ita tamen philoſophandum videatur de ſpecie expreſſa. Ego in nullam adducar ſententiam, ut utramque defendam, qui tamen in unam magis inclino, eam ſcilicet, in quam videor inclinare.

Pro prima Sententia.

CONCLUSIO: *Impoſſibile eſt, aut certè multum probabile eſt, impoſſibile eſſe, videri Deum ut eſt in ſe per ſpeciem expreſſam creatam.*

Probatur 1. de ratione ſpeciei expreſſæ, ſicut & impreſſæ eſt, adæquare immaterialitatem objecti, ſeu perfectionem objecti, quantum ad eſſe immateriale & intelligibile; ſed impoſſibile eſt adæquare ſpeciem expreſſam creatam immaterialitatem, & intelligibilitatem Dei: ergo & impoſſibile eſt, dari ſpeciem expreſſam creatam, quæ Deum repræſentet quidditativè, & ut eſt in ſe. *Minor* eſt certiſſima; cum immaterialitas vel intelligibilitas ſit in Deo perfectio & conſequenter infinita, quæ quidem infinita perfectio nulli poteſt competere creaturæ, ut in præſenti ſupponitur. *Probatur Major* multipliciter.

Primò id per quod habet objectum fieri intelligibile & immateriale, non poteſt non eſſe ejuſdem immaterialitatis cum ob-

jecto

jecto; ſed objectum habet fieri immateriale & intelligibile per ipſam ſpeciem impreſſam, cujus ſignum eſt, quod in objectis quæ ſunt ex ſeipſis ſufficienter intelligibilia & materialia, ut ſunt Angeli, v. g. excludunt communiter Philoſophi & Theologi ſpeciem impreſſam diſtinctam, quando aliunde ſunt ſufficienter præſentia intellectui: ergo ſpecies impreſſa adæquare debet immaterialitatem objecti: ſed ſpecies expreſſa eſt ejuſdem immaterialitatis cum impreſſa: ergo de ratione ſpeciei expreſſæ ſicut & impreſſæ, eſt objectum adæquare quantum adeſſe intelligibile & immateriale.

Secundo nõ minus convenire debet ſpecies intentionalis in immaterialitate cum re, quam naturaliter repræſentat, quam potentia intellectiva cum objecto quod connaturaliter intelligit: ſed potentia intellectiva eſt ejuſdem immaterialitatis cum objecto, quod connaturaliter intelligit; & ideo repugnat intellectum creatum connaturaliter Deum videre: ergo & ſpecies intentionalis, impreſſa ſcilicet & expreſſa eſſe debet ejusdem immaterialitatis cum objecto quod naturaliter repręſentat ut eſt in ſe.

Tertio virtus proxima ad intelligendum debet eſſe ejuſdem immaterialitatis cum natura intellectiva, cujus eſt virtus: ergo & virtus proxima, qua movetur intellectus ad intelligendum, debet eſſe in eadem immaterialitate cum objecto movente, cujus eſt virtus proxima: ſed ſpecies impreſſa eſt talis virtus proxima, ut conceditur: ergo ſpecieș impreſſa & conſequenter expreſſa debent eſſe ejuſdem immaterialitatis cum objecto.

Quarto ex D. Thomá 4. *contra gentes c.* 14. verbum noſtrî intellectus habet ut intelligibiliter eamdem numero naturam objecti intellecti contineat; ſed eamdem numero naturam continere intelligibiliter, eſt eſſe ejusdem intelligibilitatis & immáterialitatis cum objecto: ergo ex D. Thoma verbum ſeu ſpecies expreſſa eſt ejuſdem immaterialitatis cum objecto, cujus eſt ſpecies.

Quinto ex eodem D. Thoma 1. *ad Corinth. cap.* 13. *lect.* 4. non poteſt aliquid per eſſentiam & quidditativè cognoſci per illud cum quo non convenit in ſpecie: ſed per ſpeciem expreſſam, de qua eſt ſermo, cognoſcitur objectum quidditativè & per eſſentiam: ergo ſpecies expreſſa, de qua eſt ſermo, quę ſcilicet objectum repræſentat ut eſt in ſe, debet convenire ſpecie cum ipſo objecto: ſed convenientia illa ſpecifica non poteſt eſſe in entitate & in eſſe entis: ergo eſſe debet in intelligibilitate, & in eſſe intelligibili.

Probatur 2. impoſſibile eſt, dari ſpeciem ſivè impreſſam, ſivè expreſſam creatam quæ ſit in aliquo eſſendi genere infinita: ſed ſi daretur ſpecies expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe, eſſet illa in uno eſſendi genere infinita: ergo impoſſibilis eſt hujuſmodi ſpecies, quæ Deum repræſentet ut eſt in ſe. *Major* patet cum omne creatum in omni eſſendi genere ſit ens creatum, & conſequenter finitum. *Probatur minor:* id in quo fit convenientia univoca cum Deo non poteſt non eſſe infinitum: ſed ſi daretur ſpecies expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe, conveniret illa univocè cum Deo in uno eſſendi genere: ergo in uno eſſendi genere foret infinita. *Maior* patet; cum enim infinitas tranſcendentaliter imbibatur in eo omni, quod eſt in Deo, non poteſt conſequenter id, in quo fit convenientia univoca cum Deo, non eſſe infinitum. *Probatur minor*, linea repræſentabilis & repræſentativi conſtituit unum genus eſſendi; alias eſſe aliquid in eſſe repræſentativo & non eſſe aut nihil eſſe, idem ſonarent, quod falſum eſt: ſed ſi daretur ſpecies expreſſa creata Dei repręſentativa ut eſt in ſe, illa univoce conveniret cum Deo in eſſe repræſentativo; cum illa in hoc caſu eſſet repræſentativè ipſemet Deus: ergo ſi daretur ſpecies expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe, conveniret illa univocè cum Deo in uno genere eſſendi, proindeque & in uno eſſendi genere eſſet infinita.

Probatur 3. Implicante effectu primario ſpeciei expreſſæ, non poteſt ipſa non implicare; ſed in viſione *Dei* ut eſt in ſe, repugnat effectus primarius ſpeciei expreſſæ: ergo & ipſa repugnare & implicare debet in talis viſione. *Major* per ſe patet. *Probatur Minor*: effectus primarius ſpeciei expreſſę eſt objectum trahere ad eſſe terminum intellectionis: ſed in viſione *Dei* ut eſt in ſe repugnat trahi *Deum* ad eſſe terminum intellectionis noſtræ: ergo in viſione *Dei* ut eſt in ſe, repugnat primarius effectus ſpeciei expreſſæ. *Probatur minor*; ubi objectum ſupponitur à ſe ipſo jam tractum ad eſſe terminum intellectionis, repugnat ibi de novo trahi: ſed *Deus* ſupponitur á ſe ipſo tractus ad eſſe terminum noſtræ intellectionis: ergo repugnat de novo trahi *Deum* ad eſſe tale terminum. *Probatur minor*: quod ſupponitur intimius à ſe ipſo unitum intellectui, quam per ſpeciem expreſſam uniri poſſit, ſupponitur tractum à ſe ad eſſe terminum intellectionis: ſed talis eſt *Deus* reſpectu intellectus: ergo ſupponitur *Deus* à ſe ipſo tractus ad eſſe terminum noſtræ intellectionis. *Probatur minor*: unio divinæ eſſentię per intimum illapſum eſt intimior unione ejusdem per ſpeciem expreſſam: ſed divina eſſentia ſupponitur à ſe unita intellectui per intimum illapſum: ergo

go ſupponitur Deus à ſeipſo intimius unitus intellectui, quam per ſpeciem expreſſam uniri poſſit. *Minor* eſt certiſſima. *Probatur Major*: ratione deducta ex D. Thoma *quæſt.* 28. *de veritate art.* 2. *ad* 8, id quod eſt intra rei ſubſtantiam cenſeri debet intimius unitum, quam id quod ſolum videtur circumſtare rem: ſed quod per illapſum copulatur, eſt intra rei ſubſtantiam; quod vero unitur per ſpeciem expreſſam ſolum videtur rem circumſtare; cum ſit unio per informationem: ergo unio divinæ eſſen- per intimum illapſum eſt intimior unione ejusdem per ſpeciem expreſſam.

Probatur 4. Deus non eſt tantum actus purus in ratione intelligibilis, & intelligentis, ſed etiam in ratione intellecti: ſed quia eſt actus purus in ratione intelligentis & intelligibilis, fieri non poteſt intelligibilis vel intelligens per aliud: ergo & quia eſt actus purus in ratione intellecti, fieri non poteſt intellectus per aliud: ſed ſi in viſione qua videtur ut eſt in ſe, videretur per ſpeciem expreſſam creatam, tunc fieret intellectus per aliud; cum proprium ſpeciei expreſſæ ſit reddere objectum intellectum, & in hoc caſu eſſet ſpecies expreſſa aliud à Deo: ergo impoſſibile eſt, videri Deum ut eſt in ſe, per ſpeciem expreſſam creatam.

Probatur 5. ex *D.* Thoma 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 2 per ſimilitudines rerum inferioris ordinis non poteſt res ſuperioris ordinis cognoſci quidditativè: ergo nec per ullam ſpeciem expreſſam creatam poteſt videri divina eſſentia quidditativè & ut eſt in ſe. *Probatur conſequentia*: omnis & quævis ſpecies, ſive creata, ſivè creabilis magis diſtat à divina eſſentia, quam ſpecies ſenſibilis à quidditate rei materialis: ſed quia & quando ſpecies ſenſibilis inferior eſt ad quidditatem rei materialis, non poteſt eam quidditativè repræſentare, ut ſpecies albedinis nequit quidditativé repræſentare naturam parietis albi: ergo nec per ullam ſpeciem expreſſã creatam, poteſt quidditativè repræſentari divina eſſentia.

Probatur ultimo, D. Thomas 1. *part. quæſt.* 12. *art.* 2. excludit à viſione Dei ut eſt in ſe, ſpeciem intelligibilem, ſeu impreſſam ut impoſſibilem: ſed rationes, quas ibi affert ad hoc probandum, non minus videntur militare contra ſpeciem expreſſam creatam, quam contra impreſſam: ergo ex divo Thoma & juxta ejusdem doctrinam excludenda eſt ut impoſſibilis ſpecies expreſſa creata à viſione Dei ut eſt in ſe. *Probatur minor*: tota vis pri- & tertię rationis ſita eſt in hoc, quod Deus eſt elevatus, incircumſcriptus & infinitæ ſuperior, & omnis ſpecies creata eſt inferior & inferioris ordinis; vim autem ſecundæ rationis in hoc ponit ſanctus Doctor, quod cum Deus ſit ſuum eſſe; non poteſt

fieri intelligibilis ſive repræſentabilis per aliud : atqui doctrinæ illæ non minus militare videntur contra ſpeciem expreſſam creatam, quam contra impreſſam: ergo tres illæ rationes, quibus probat D. Thomas in hoc articulo impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ in viſione Dei ut eſt in ſe, concludunt ſimiliter pro ſpecie expreſſa creata. Reſtat igitur præfatam ſententiam de impoſſibilitate ſpeciei expreſſæ creatæ in viſione Dei ut eſt in ſe eſſe haud dubiè multum probabilem, tum ratione authoritatum divi Thomæ, tum propter authores graves qui eam defendunt, tum ex rationibus quibus manet probata. Jam vero ſit

Pro ſecunda ſententia.

CONCLUSIO: *non implicat, aut certè multum probabile eſt non implicare, videri Deum ut eſt in ſe per ſpeciem expreſſam creatam.*

Probatur primò: ſi eſſet impoſſibilis ſpecies illa expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe, eſſet maximè, quia foret ejuſdem immenſitatis & intelligibilitatis cum Deo, quod eſt impoſſibile: ſed falſum eſt, quod proinde foret ejuſdem immaterialitatis & intelligibilitatis cum Deo, ergo & falſum eſt implicare hujuſmodi ſpeciem in viſione Dei ut eſt in ſe. *Major* conſtat ex prima præcedentis concluſionis probatione. *Probatur Minor:* ideo foret ſpecies illa expreſſa ejuſdem immaterialitatis cum Deo, quia hoc eſt de ratione ſpeciei, quod ſit ejuſdem immaterialitatis cum objecto: ſed falſum eſt, hoc eſſe de ratione ſpeciei: ergo & falſum eſt, fore propterea ſpeciem illam expreſſam ejuſdem immaterialitatis cum Deo. *Major* conceditur & colligitur ex dictis in probatione prima præcedentis concluſionis *Probatur Minor*: multipliciter.

Primo quandocumque duo aliqua ſolum diſtinguuntur ratione penes implicitum & explicitum, ſuntque à parte rei prorſus unum, impoſſibile eſt fieri à parte rei adæquationem in uno, & non fieri in altero: ſed entitas cujuſlibet, ejuſque veritas ſive intelligibilitas & immaterialitas ſolum diſtinguuntur ratione penes implicitum & explicitum; cum ſint prædicata tranſcendentia: ergo hoc ipſo quod non ſequitur à parte rei adæquatio in entitate, neque ſequitur adæquatio in intelligibilitate ſive immaterialitate: atqui falſum eſt, eſſe de ratione ſpeciei quod adæquet objectum in entitate: ergo & eſſe debet falſum, quod eſſe debeat ſpecies ejuſdem intelligibilitatis ſive immaterialitatis cum objecto.

Secun-

Secundò quoties extrema aliqua ita ſe habent,ut aliqua prædicata intrinſeca & eſſentialia,quæ non reperiuntur in uno, reperiuntur in alio,impoſſibile eſt quod ſint ejuſdem rationis, & quod ſe adæquent in tali lineâ : ſed ita ſe habent ſpecies repræſentativa & ipſum objectum, non ſolum intra lineam entitativam,ſed etiam intra lineam intentionalem & intelligibilem: ergo impoſſibile eſt quod ſpecies & objectum debeant ſe adæquare in intelligibilitate ſive immaterialitate. *Major* conſtat cum quodvis prædicatum eſſentiale ad variationem ſui variet & rationem ſpecificam,juxta illud commune dictum, quod ſpecies rerum ſunt ſicut numeri , in quibus ſcilicet quavis dempta vel additâ unitate variatur eſſentialiter numerus. *Probatur Minor*: eſſe à natura ut ſignificent & repræſentent alia, potius quam ut ſint;& eſſe à natura non ut repræſentent , ſed ut ſint & repræſententur,ſunt prædicata eſſentialiter diverſa etiam intra lineam intentionalem & intelligibilem: ſed ſpecies intentionales ſunt à natura ut ſignificent & repræſentẽt,potius quam ut ſint:objecta vero ſunt à natura non ut repræſentent ſed ut ſint & repræſententur:ergo aliqua reperiuntur eſſentialia prædicata in ſpecie intentionali etiam intra lineam intentionalem & intelligibilem, quæ non reperiuntur in objecto.

Tertiò,ſi adæquatio objecti in immaterialitate eſſet de ratione ſpeciei,dum Angeli duo inferiores intelligunt ſuperiorem, eſſent eorum ſpecies impreſſæ ejuſdem immaterialitatis cum Angelo ſuperiori,& conſequenter ejuſdem immaterialitatis inter ſe:ſed hoc eſt falſum in doctrina divi Thomæ & Thomiſtarum: ergo & illud.*Probatur Minor* : ex doctrina divi Thomæ *in 1. part.quæſt 55. articulo* 3. ſpecies impreſſæ Angelorum inæqualis ſunt perfectionis,ſubindeque & immaterialitatis , juxta inæqualitatem ipſorum Angelorum in ſuis naturis:ſed Angeli duo inferiores ſunt in doctrina Thomiſtarum omnino inæqualis perfectionis eſſentialis in ſuis naturis : ergo falſum eſt in via divi Thomæ & Thomiſtarum,quod ſpecies impreſſæ quas habent duo Angeli inferiores de ſuperiori ſint ejuſdem immaterialitatis inter ſe, nec conſequenter ejuſdem immaterialitatis cum objecto.

Quartò ex divo Thoma *quæſt. 4. de veritate articulo* 6. res minus veræ ſunt in verbo,ſeu ſpecie expreſſa , quæ cauſatur à re, quam in ſeipſis:ſed ſpecies expreſſæ creatæ , de quibus agitur in præſenti cauſantur à rebus ſeu ab objectis: ergo ex divo Thoma in præfatis ſpeciebus minus vera ſunt objecta quam in ſeipſis: ſed quidquid pertinet ad lineam veri, pertinet ad lineam intelli-

gibilitatis,ut conceditur: ergo ex divo Thoma non poſſunt præfatæ ſpecies eſſe ejusdem intelligibilitatis cum objecto, ſive ipſum adæquare objectum quantum ad eſſe immateriale & intelligibile.

Probatur ſecundò, ſi implicaret ſpecies illa expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe,implicaret maximè, quia evaderet infinita quod repugnat:ſed falſum eſt, evadere propterea infinitam, infinitate ſcilicet repugnante: ergo non eſt dicendum eſſe præfatam ſpeciem impoſſibilem. *Major* patet ex ſecunda probatione præcedentis concluſionis.*Probatur Minor*,multipliciter.

Primò,ideo infinita foret præfata ſpecies, quia univocè conveniret cum Deo in eſſe intelligibili:ſed hoc eſt falſum: ergo & illud.*Major* conceditur.*Probatur Minor*, ſupponendo prius quod communiter admittunt Philoſophi, putà quod in his quatuor prædicatis tranſcendentalibus:*Ens,unum,verum, bonum*,hic datur ordo,quod eadem entitate unâ & ſolâ, hæc quatuor prædicata tranſcendentalia ſunt entia;& unâ ſola unitate,hæc quatuor prædicata ſunt unum;& una ſola veritate ſunt vera, & una ſola bonitate ſunt bona; alias multiplicarentur & fierent ſexdecim prædicata tranſcendentia,ſi in unoquoque iſtorum reperiret ur hæc quatuor prædicata diſtincta. Hoc autem ſuppoſito probo præfatam minorem ſic:Entitas & veritas, ſeu intelligibilitas in re qualibet,ſunt unum una ſola unitate,& non duplici & multiplici,ut conſtat ex ſuppoſitione facta:ſed unitas in eſſe entis reperta inter objectum & ſpeciem non eſt unitas univoca ſed analoga:ergo unitas reperta inter ipſum objectum & ſpeciem in eſſe intelligibili ſive immateriali, non eſt univoca ſed analoga, ſubindeque eſt omnino falſum, quod ſpecies illa expreſſa Dei ex ratione ſpeciei conveniret univocè cum Deo etiam in eſſe intelligibili.

Secundò,ſi ſpecies illa expreſſa creata Dei evaderet hoc ipſo infinita,evaderet à fortiori infinita ipſa intellectio, qua Deum videmus ut eſt in ſe:ſed intellectio Deum attingens ut eſt in ſe, non propterea evadit infinita:ergo nec ſpecies illa expreſſa creata,*Minor* patet.*Probatur Major*: hoc ipſo quod intellectio modum habet attingendi Deum perfectiorem, quam ipſa ſpecies, debet à fortiori infinita evadere, ſi ipſa ſpecies evadat infinita: ſed intellectio,quamvis non ſit ſimilitudo ſicut eſt ſpecies, habet tamen modum attingendi Deum perfectiorem quam habeat ſpecies expreſſa:ergo ſi ſpecies illa infinita evaderet, evaderet infinita & intellectio, qua Deum videmus ut eſt in ſe. *Major* eſt certa; non enim evaderet ſpecies infinita niſi ex at-

tingentia

tingentia objecti, ac proinde ſi haberet intellectio modum attingendi perfectiorem, deberet & ipſa infinita evadere. *Probatur Minor.* Id ad quod aliud à natura ordinatur tanquam ad finem eſt eſſentialiter eo perfectius: ſed ſpecies expreſſa à natura ordinatur ad intellectionem tanquam ad finem; cum producamus verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, ut in illo intelligamus & contemplemur objectum, & dum illud ita producimus, producamus haud dubiè conformiter ad ejus naturam: ergo intellectio eſt eſſentialiter perfectior ſpecie expreſſa: ſed attingentia objecti eſt de ratione eſſentiali tum intellectionis tum ſpeciei: ergo intellectio, quantumvis non ſit ſimilitudo ſicut eſt ſpecies, modum tamen habet attingendi Deum perfectiorem, quam habeat ſpecies.

Tertiò infinitas repugnans creaturæ eſt infinitas ſimpliciter, non autem infinitas ſolum ſecundum quid: ſed per hoc quod ſpecies expreſſa creata Deum repræſentaret, ut eſt in ſe, non propterea evaderet infinita ſimpliciter ſed infinita ſolum ſecundum quid: ergo non propterea evaderet infinita infinitate repugnante. *Probatur Minor,* hoc ipſo quod verbum creatum, ſeu ſpecies expreſſa creata non ſit ſimpliciter objectum repræſentatum, ſed dumtaxat ſecundum quid, non propterea evadere debet infinita ſimpliciter, Deum repræſentando infinitum: ſed verbum creatum ex D. Thoma 4. *contra gent. cap.* 11. ſolum ſecundum quid eſt ſuum objectum ad differentiam verbi increati; unde, inquit, hæc eſt vera propoſitio ſimpliciter loquendo, *Deus erat verbum,* ſeu verbum eſt Deus; hæc autem eſt falſa, *verbum hominis eſt homo,* licet vera ſit cum hoc addito: *eſt homo intellectus* ſive *repræſentatus*: Ergo ex D. Thoma per hoc quod verbum creatum Deum repræſentaret ſimpliciter infinitum, non propterea evaderet infinitum ſimpliciter, ſed infinitum ſolum ſecundum quid.

Probatur 3. ſi implicaret ſpecies illa expreſſa creata in viſione Dei ut eſt in ſe, implicaret ob implicantiam prim a ii ejus effectus in tali viſione: ſed non implicat ſpeciem illam creatam ſuum habere primarium effectum in tali viſione: ergo nec implicat hujuſmodi ſpecies. *Major* patet ex dictis ſupra in tertia probatione præcedentis concluſionis. *Probatur Minor,* ideo implicat, ſpeciem illam creatam ſuum habere primarium effectum in tali viſione, quia implicat, quod per illam trahatur Deus ad eſſe terminum intellectionis: ſed hoc non implicat: ergo neque illud. *Major* conſtat ſimiliter ex dictis ſupra in eadem tertia probatione. *Probatur Minor*, ideo implicat trahi Deum per ſpeciem

creatam ad eſſe terminum intellectionis, quia ex præſentia, quam habet per illapſum, ſupponitur à ſeipſo tractus: ſed præſentia habita per illapſum non eſt præſentia ad eſſe terminum intellectionis: ergo non implicat trahi Deum per ſpeciem creatam, ad eſſe terminum intellectionis. *Major* conceditur. *Probatur Minor*, præſentia requiſita ad eſſe terminum intellectionis debet eſſe præſentia facta per intellectionem, & ex vi intellectionis; ſed præſentia Dei habita per illapſum non eſt, nec eſſe poteſt præſentia facta per intellectionem: ergo præſentia habita per illapſum non eſt ſufficiens præſentia ad eſſe terminum intellectionis. *Minor* per ſe patet, *Probatur Major*, intellectus intelligendo fit res intellecta, ut dicit Ariſtoteles, & millies poſt Ariſtotelem Divus Thomas: ergo facit intellectio, quod fiat intellectus res intellecta: ſed hoc non aliter facit nec facere poteſt intellectio, quam faciendo, quod ſit res intellectui præſens ſub ratione termini ipſius intellectionis: ergo præſentia ad eſſe terminum intellectionis eſſe debet præſentia facta per intellectionem, & ex vi intellectionis.

Probatur 4. ſi implicaret ſpecies illa expreſſa creata, implicaret maximè, quia eſt Deus actus purus non tantum in ratione intelligibilis & intelligentis, ſed etiam in ratione intellecti: ſed eſſe actum purum in ratione intellecti. non propterea excludit ſpeciem creatam quâ fiat actu intellectus: ergo non eſt dicendum implicare hujuſmodi ſpeciem. *Major* patet ex dictis ſupra in quarta probatione præcedentis concluſionis. *Probatur minor*, non eſt minus Deus actus purus in ratione voliti & amati, quam in ratione intellecti ſed quod ſit actus purus in ratione amati non propterea excludit ex parte voluntatis terminum ſeu impulſum, quo fiat actu amatus; ergo nec debet propterea excludere ex parte intellectus terminum, ſeu ſpeciem expreſſam creatam, quâ actu fiat intellectus. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, ſi ex parte voluntatis ſive volitionis excluderetur creatus terminus ad modum impulſus, quo fieret Deus actu amatus, deberet ipſe Deus ſeipſo terminare actum noſtrum amoris: ſed hoc dici non debet: ergo nec dici debet quod excludat Deus ex parte volitionis creatum terminum, quo fiat actu amatus. *Major* per ſe patet. *Probatur Minor*, actus charitatis, quo amatur Deus in patria, etiam in via ad Deum terminatur ut objectum primarium: ergo ſi uniretur Deus ſeipſo per modum termini volitionis & amoris, etiam in via ſimiliter uniretur: ſed ſeipſo uniri Deum in via per modum termini volitionis, novum eſt & inauditum, atque [meo judicio] omnino à ratione alienum: ergo non eſt dicen-

dicendum, quod Deus, quantumvis actus purus in ratione amati, ſeipſo terminet actum noſtrum amoris

Probatur 5. ſi inintelligibilis eſſet ſpecies illa expreſſa creata in viſione Dei, ut eſt in ſe, eſſet maximè, quia inintelligibile eſt aliquid finitum in ſe, eſſe repræſentativè & in eſſe repræſentativo quid infinitum, qualis eſt Deus, ut eſt in ſe: ſed hoc facile intelligi poteſt à pari: ergo non eſt dicenda hujuſmodi ſpecies creata inintelligibilis vel impoſſibilis in viſione Dei, ut eſt in ſe. *Major* conceditur. *Probatur Minor*, non minus eſt intellectu difficile quod immateriale ſit repræſentativè materiale; quod incorruptibile & perpetuum, ſit repræſentativè corruptibile & tranſitorium; quod accidens ſit repræſentativè ſubſtantia, quod ſupernaturale ſit repræſentativè naturale, quam quod aliquid in ſe finitum ſit repræſentativè infinitum: ſed habentur exempla in quibus præfata illa intelliguntur; ſpecies namque; quam habet Angelus de pariete, eſt immateriale quid, & tamen eſt repræſentativè materialis: item in ſe perpetua eſt & incorruptibilis & tamen repræſentativè eſt corruptibilis & tranſitoria: item in ſe eſt accidens & tamen repræſentativè eſt ſubſtantia; Et tandem ſpecies, quas habet ſcientia ſupernaturalis Chriſti, ſunt in ſe ſupernaturale quid, & tamen ſunt repræſentativè naturales; cum ei etiam repræſentent objecta naturalia; ergo quod aliquid in ſe finitum ſit repræſentativè infinitum, non eſt ita dicendum inintelligibile.

Probat, 6. authoritatibus D. Thomæ, qui quidem *quæſt. 4. de veritate, art.* 2. ubi in corpore explicat ſanctus Doctor & probat dari verbum diſtinctum procedens per intellectionem, ſubdit poſtea in hæc verba: *Et hoc univerſaliter tenendum eſt de omni quod à nobis intelligitur, ſive per eſſentiam intelligatur, ſive per ſimilitudinem*, id eſt per ſpeciem impreſſam, quam ſemper exprimit Divus Thomas nomine ſimilitudinis: ergo quamvis in viſione Dei intelligatur à nobis Deus per ſuam eſſentiam, tanquam per ſpeciem impreſſam, non autem per ſimilitudinem diſtinctam, adhuc tamen ibi verificatur univerſalis illa propoſitio, quod ſcilicet produci debet verbum, ſeu ſpecies expreſſa,

Item *loco citato quæſtionis* 4. *de veritate ad quintum*, hæc habet S Doctor: *nec aliter poſſumus nos intelligere quam hujuſmodi verbum exprimendo; & ideo omne intelligere in nobis eſt dicere; ſed tamen Deus poteſt intelligere ſine eo quod aliquid procedat ex eo ſecundum rem*. Hæc ille, ex quibus argumentor ſic. Omnis intellectio noſtra ex D. Thoma ad differentiam intellectionis Dei eſt dicere, ſeu exprimere verbum; & intellectio Dei ad diffe-

differentiam noſtræ poteſt eſſe ſine eo, quod aliquid ex ea procedat ſecundum rem: ſed in omni ſtatu & quomodocumque videatur Deus à nobis, ſemper intellectio noſtra eſt differens ab intellectione Dei, & intellectio Dei à noſtra: ergo quantumcumque videatur Deus à nobis ut eſt in ſe, ſentit D. Thomas quod ſit adhuc intellectio noſtra dictio, ſeu intellectio exprimens verbum.

Denique ſi ſentiret Divus Thomas, non produci verbum, ſeu ſpeciem expreſſam creatam in viſione Dei ut eſt in ſe, cum alibi dixerit univerſaliter: *Omne intelligens, eo ipſo quod intelligit format verbum*, deberet quando tractat an detur ſpecies propria Dei, expreſsè loqui de ſpecie expreſſa ſive de verbo: ſed nunquam ibi loquutus eſt expreſsè nec alibi de ſpecie expreſſa ſive de verbo: ergo conformius videtur doctrinis D. Thomæ ſemper & ubicumque in omni intellectione produci in nobis verbum.

Probatur ultimò, Si in via D. Thomæ excludenda eſſet ſpecies illa expreſſa creata à viſione Dei, ut eſt in ſe eſſet maximè ob tres illas rationes, quas affert Divus Thomas *in* 2. *articulo quæſtionis* 12 *primæ partis*: ſed non concludunt tres illæ rationes contra ſpeciem expreſſam, ſed ſolum contra impreſſam, ſive propriam, ſive alienam, id eſt ſive primò & primario repræſentantem objectum cujus eſt ſpecies, ſive primo & primario repræſentantem alienum ſive aliud objectum: ergo excludenda non eſt ſpecies illa expreſſa creata in via & doctrina Divi Thomæ. *Major* conſtat ex dictis ſupra in ultima probatione præcedentis concluſionis. *Probatur Minor*: tota vis primæ & tertiæ rationis ſita eſt in hoc, quod Deus eſt elevatus, incircumſcriptus, & infinitè ſuperior; cum tamen creata ſpecies ſit inferior & inferioris ordinis: ſed ratio illa militat tantum contra ſpeciem alienam, quæ ſcilicet primario repræſentat aliquod aliud inferius objectum; nec ullius eſt roboris, ſi intelligatur de ſpecie impreſſa propria, quæ ſcilicet primario repræſentat objectum cujus eſt ſpecies, quæque ſolum eſſentialiter inferior eſt & in eſſe entis; cum ſpecies ſive impreſſa ſive expreſſa hominis ſit eſſentialiter inferior homini, & tamen adhuc hominem quidditativè repræſentet: ergo prima & tertia ex his rationibus concludunt tantummodo contra ſpeciem alienam, quæ ſcilicet non tantum eſſentialiter ſed etiam objectivè eſt inferior, ſive quæ non tantum eſt in ſe & ex ſe inferior, ſed etiam eſt rei & objecti inferioris ordinis.

Item vis ſecundæ rationis adductæ ab eodem Divo Thoma in eodem articulo, ſita eſt in hoc, quod cum Deus ſit ſuum eſſe,

non

non poteſt per aliud repræſentari : ſed hoc ſolum excludit ſpeciem impreſſam, ſive propriam ſive alienam ; cum impreſſa ſolum ſe teneat ex parte ipſius Dei, ſeu ex parte objecti ; & ideo merito dicat Divus Thomas quod cum Deus ſit ſuum eſſe, non poteſt per aliud repræſentari ; quaſi dicat : Deus eſt ſuum eſſe ; ergo eſt ſua intelligibilitas : ergo à ſeipſo habet, quod ſit proximè intelligibilis : ergo fieri non poteſt proximè intelligibilis per aliud ; ergo cum proprium ſit ſolius ſpeciei impreſſæ reddere objectum proximè intelligibile, dari non poteſt per conſequens ſpecies impreſſa à Deo diſtincta, qua Deus ipſe repræſentetur in viſione ſui : ergo nulla ex præfatis rationibus concludit contra ſpeciem expreſſam, proindeque nec eſt illa excludenda à viſione Dei juxta doctrinam Divi Thomæ, ſicut nec juxta mentem & Divi Gregorii, qui *lib.* 30. *Moral. capite quinto*, loquens de interna illa viſione qua Deum poſt mortem videbimus, ait : *Sublatis namque orientibus & occidentibus verbis, quaſi quidam ſonus æternæ prædicationis ſit ipſa imago internæ viſionis.* Hæc ille, in quibus cum ipſam internam viſionem dicat imaginem, & ly *imago* in ea non verificetur ratione actus, debet conſequenter in ea verificari & reperiri ratione termini ipſius actus, qui quidem non alius eſt, quam ſpecies expreſſa.

QUÆSTIO VII.

De ſcientia Dei.

Utrum ſit in Deo admittenda ſcientia media, potius omnino rejicienda.

PRamittendum primò, Quod quamvis hujus ſcientiæ mediæ, de qua tanto clangore & apparatu inſonuit in Eccleſia controverſia inter Patres Societatis & Thomiſtas, non fuerit Pater Ludovicus Molina Author, utpotè quæ etiam temporibus Sanctorum Auguſtini, Proſperi & Hilarii inter Maſſilienſes Semipelagianos circumferebatur, pluribus admixta erroribus, quos nunc Patres Societatis non defendunt, utpotè Catholici viri & de fide Catholica bene meriti : Certum tamen eſt fuiſſe Molinam primum, qui eam in ſcholas iterum introduxit. Scio quidem

me talia dicentem non multum placere modernis moderniori-bus ſocietatis, qui nolunt hodie ducem habere Ludovicum Molina, imò & ſine duce volunt in hac parte pugnare, ut ait Pater Herice Theologus Societatis *tractatu 1. de ſcientia Dei, diſputat. 7. cap. 1. num. 8.* inquiens: *Et ut ego à quibuſdam accepi, omnes in eadem ſine ullo duce conſpirarunt.* Quia fortè quod in aliis pugnis & bellis tam nocivum ſolet & poſſet eſſe in hoc Theologico certamine eis aliqualiter favet, ne vincantur. Nam dato quod aliquod argumentum difficile ipſis à noſtris objiciatur; cum ipſi nullum ſequantur ducem, relinquunt hanc vel illam ſemitam, ſeu dicendi modum, & alium novum ſequuntur aut meditantur, quem poſtea impugnare noviter auditum non eſt tam facile; neque tempus nobis ſuppetit nec voluntas, ut in ſola impugnatione hujus materiæ totam vitam agamus, qui alias etiam materias tractare & intelligere debemus.

Certum igitur & extra dubium eſt, fuiſſe Molinam primum, qui ſcientiam hanc mediam iterum introduxit; cum in defenſionem Molinæ, quem Patres noſtri impugnaverunt, & corrigi ac emendari voluerunt, tota machina hujus tam celebris controverſiæ extructa ſit, totus ferè commotus orbis, ut nullus jam lapis videatur immotus ex tota Theologia & Metaphyſica, vel ut defendatur vel ut impugnetur hæc ſcientia media. Quia verò præfata ſcientia importat ex parte objecti futura ſub certa quadam conditione antecedenter ad decretum Dei actualiter exercitum, in quo quidem conſiſtit nodus difficultatis, ideo ut percipiatur quod decretum in his futuris contingentibus & conditionatis admittant præfati defenſores ſcientiæ mediæ, & quod rejiciant. Advertendum eſt, poſſe in Deo intelligi triplex decretum, ſive triplicem decretandi modum. Aliud enim eſt decretum quod eſt & dicitur omnino abſolutum, omnem ſcilicet excludens conditionem & ex parte ſubjecti decretantis, & ex parte objecti decretali, quale eſt illud, quo dixit Deus: volo Thomam Aquinatem habitum ſuſcipere Beati Dominici. Aliud autem eſt decretum abſolutum ex parte ſubjecti decretantis, ex parte cujus excluditur conditio, ſed conditionatum ex parte objecti decretali, ut ſi dicat Deus: volo & decerno, quod convertantur Tyrij & Sidonij ſi apud illos fiant miracula & ſigna, quæ filius meus facturus eſt coram Judæis. Aliud denique diſtingui poteſt decretum omnino & ex omni parte conditionatum, tam ex parte ſubjecti ſive Dei decretantis, quam ex parte objecti, quo verbi gratia intelligamus Deum dicere: ſi apud Tyrios & Sidonios fierent miracula quæ facta ſunt apud Judæos, ego haberem de-

decretum convertendi Tyrios & Sidonios: ubi de facto & in actu exercito nihil vult Deus, nihil ſtatuit nihil decernit. Hoc ergo decretum conditionatum admittunt quidem defenſores ſcientiæ mediæ, non autem aliud ſecundum, abſolutum ſcilicet ex parte ſubjecti ſive Dei decretantis, & ex parte objecti conditionatum; unde & volunt, quod talis converſio Tyriorum reverâ futura ſit ſub tali conditione miraculorum Chriſti, & hoc ſciat Deus per ſcientiam mediam, quamvis de facto & reverà nullum ſit habitum decretum de tali converſione ſub hac conditione.

Præmittendum 2. Pro exponenda Thomiſtarum ſententia, quod illi in contrarium affirmant, Deum cognoſcere futura contingentia conditionata in ſuo divino decreto abſoluto ex parte ſubjecti, ſive ex parte ipſius Dei, & ex parte objecti conditionato, quo ſcilicet dicit, ſive quo intelligitur dicere: volo, quod ſub tali conditione hoc revera futurum ſit, reſpuuntque decretum illud omnino conditionatum, quod admittunt præfati Patres, velut inane, irriſorium, & fictitium. Inane quidem: cauſa namque de qua ſolum verificatur *ſi eſſet*, inanis eſt ad verificandum de effectu *quod ſit*; ſed decretum illud omnino conditionatum eſt tale, ut de eo ſolum verificetur ly *eſſet* etiam conditionaliter loquendo, ut conceditur, & ut patet in exemplo ſupra allato pro tali explicando decreto: ergo inane eſt hujuſmodi decretum, ut verificetur de objecto ſcientiæ mediæ, quod ſcilicet ſub tali conditione re vera futurum ſit.

At illud etiam reſpuunt ut irriſorium; irriſorium namque & ridiculum eſt admittere decretum, ad hoc ut cognoſcantur futura aliqua, quod potius in talibus futuris cognoſci debet: atqui decretum illud omnino conditionatum, quod admittunt iſti Patres, ut Deus per ſcientiam mediam futura cognoſcat conditionata, in ipſis potius futuris cognoſci debet; cum hoc ab iis admittatur ut omnino indifferens ex parte Dei, adeoque & nullam habeat vim inferendi ipſa futura, quæ tamen vim habent ad illud inferendum, ut patet: ergo & inane & irriſorium eſt decretum illud ita omnino conditionatum.

Tandem illud reſpuunt Thomiſtæ ut fictitium: fictitium namque eſt, quod nullum ſupponit fundamentum, quo de illo verificetur potius quod ſit, quam quod non ſit: atqui in doctrina & ſententia horum authorum nullum haberi poteſt fundamentum, ex quo potius verificetur quod tale detur, aut daretur decretum, quod explicari ſolet per ly *decernerem*, quam quod non daretur; cum in eorum doctrina nullum in Deo præſupponatur velle exercitum, quo ſcilicet intelligatur dicere: *volo* quod

ſi

ſi hoc vel hoc eſſet, tunc illud vel illud decernerem; & omni ita ſecluſo velle exercito non ſit major ratio ad nunc verificandum quod decerneret in tali vel tali caſu, quam quod non decerneret: ergo meritò reſpuunt Patres noſtri decretum illud omnino conditionatum, ut inane, ut irriſorium; & ut fictitium.

Præmittendum 3. Pro declaratione definitionis hujus ſcientiæ, ex qua quidem definitione tanquam ex principio omnium efficaciſſimo, & ex intimioribus cauſæ viſceribus eruere prætendo probationes ſingulas concluſionis, proindeque & oſtendere impoſſibilitatem hujus ſcientiæ mediæ, quoad *an eſt*, ex declaratione ejus, quoad *quid eſt*; præmittendum inquam pro hujus definitionis declaratione, quòd quantum colligi poteſt ex iis, quæ defenduntur & docentur communiter circa præfatam ſcientiam ab authoribus ſocietatis, ad minus à pluribus, & à majoribus, & ut in plurimum, ſic definiri debet, ut ſolet hæc ſcientia media, dicendo ſcilicet quod ſit *Divina quædam ſcientia, cujus proprium objectum ſunt actus noſtri liberi, ut conditionatè futuri antecedenter ad omne Dei decretum actuale & exercitum, ut ſic concilietur libertas noſtra cum Dei providentia decernente poſtea abſolutè eoſdem actus & ad eos auxilia parante.* Ratio autem hujus definitionis deſumitur, ut dixi, ex iis quæ docentur communiter ab authoribus ſocietatis & defenſoribus hujus ſcientiæ: docent enim communiter objectum hujus ſcientiæ eſſe actus noſtros liberos ſub conditione futuros, & in ſtatu conditionato exiſtentes, qui videntur, inquiunt, à Deo antequam Deus decretum aliquod habuerit de aliqua eorundem futuritione: unde hæc ſcientia ex parte ſubjecti, id eſt ex parte Dei eſt neceſſaria, quia antevertit & antecedit exercitium omne liberum liberè exercitum in divina voluntate; tamen ex parte objecti includit & attingit contingentiam & libertatem, quia attingit quid Petrus verbi gratia faceret ſi in tali occaſione vocaretur à Deo hac vel illa vocatione, hoc vel illo auxilio: & quia Petrus conſenſurus vel diſſenſurus eſſet, totum hoc ſcit Deus, & quod conſenſurus eſſet, & quod liberè id faceret. Unde ſcientia hæc media eſt, & appellatur media, quia partim libera eſt & partim neceſſaria: neceſſaria ex parte ſubjecti, libera verò & contingens ex parte objecti. Conſequenter ad quod dicunt ij Authores, taliter hanc ſcientiam ſcire & repræſentare Petrum conſenſurum, quod repræſentaret etiam eum non conſenſurum, ſi ipſe non conſenſurus eſſet: unde Petrus eſt, qui ſua libertate & indifferentia determinat repræſentationem divinæ hujus ſcientiæ, cum tamen hæc repræſentatio ſit intrinſeca in tali

ſcientia, atque ita ſine Dei libertate, ſine Dei [ut ita dicam] præventione hæc divina ſcientia determinata ab objecto creato ad repræſentandum repræſentat hanc partem vel aliam ex vi variationis vel variabilitatis creaturæ : quæ doctrina an veritati ſit conſona, vel ab ea aliena judicabit facilè Lector intelligens ſed intus legens.

Porrò hanc ſcientiam conſtruunt præfati Authores, ut [ſalva libertate creata] aſtruant in Deo providentiam prudentem & ſapientem & amicam circa actus noſtros liberos : præſciente enim Deo per hanc ſcientiam mediam in quam partem liberum hominis vel Angeli arbitrium inclinaret, ſi in tali occaſione tali vocatione vel auxilio vocaretur, & hoc præſciat antecedenter ad omne decretum actuale & actualiter determinans, quod in talem inclinet partem, poteſt deinde divinâ providentiâ illi tale vel tale auxilium præbere quo de facto conſentiat vel non conſentiat, nec non & deinde abſolutè decernere ejus conſenſum vel diſſenſum, abſque eo quod periculum ſit ne fruſtretur vel ex parte creati arbitrii lædatur libertas, cum nihil faciat in tempore, vel decernat abſolutè circa arbitrium creatum, quin prius antecedenter ad omne decretum determinans viderit per hanc ſcientiam mediam in quam partem inclinare voluerit, in tali occaſione, & ſub tali vel tali auxilio, ſi daretur. Quapropter dicunt conſequenter, futura hæc contingentia conditionata cognoſci à Deo, non in decreto ſuo, cum nullum adhuc ex parte divinæ voluntatis exercitum præſupponatur; ſed in ipſo futuro conditionato quod ex parte objecti ſupponitur ante hanc ſcientiam mediam, ut objectum ejus primarium; quod quidem objectum non cauſat ſcientia media, ſed ſupponit : ipſa enim, inquiunt, non eſt practica nec cauſativa, ſed ſolum ſpeculativa hujus objecti creati & futuri contingentis conditionati. Ex quibus omnibus evidenter colligitur, non aliter definiri poſſe ſcientiam hanc mediam [ſi definibilis eſſet] quam juxta definitionem ſupra traditam, puta quod eſt divina quædam ſcientia, cujus proprium objectum ſunt actus noſtri liberi, ut conditionatè futuri antecedenter ad omne Dei decretum actuale & exercitum, ut ſic concilietur libertas noſtra cùm Dei providentia decernente poſtea abſolutè eoſdem actus & ad eos auxilia ſua parante : ex qua definitione juxta varias ejus particulas varia, ut dixi, eruam argumenta pro hac excludenda ſcientia media, ut ita & tollatur de medio, & tollenda facilè judicetur, quæ in intimiori ſui principio & ex intimioribus cauſæ viſceribus ita extinguitur & præfocatur Sit igitur

CON-

CONCLUSIO: *Parum adeo habet ſcientia media de poſſibilitate vel de neceſſitate, ut ex ipſa ſui definitione, imo & ex ſingulis ejus particulis impoſſibilis judicetur atque inutilis.*

Probatur 1. Et quidem ex prima definitionis particula: ſcientia media ex prima ſuæ definitionis particula eſt *divina quædam ſcientia*; ſed impoſſibile eſt quod divina ſcientia talis ſit, qualis deſcribitur ſcientia media: ergo ſcientia hæc media ex prima etiam ſuæ definitionis particula eſt impoſſibilis. *Probatur Minor*: ſcientia hæc media juxta allatam deſcriptionem terminatur ad creatum quid ſive ad actus noſtros ut ad primarium objectum: ſed impoſſibile eſt, terminari divinam ſcientiam ad creatum quid, ut ad primarium objectum; ergo impoſſibile eſt, quod talis ſit divina ſcientia, qualis deſcribitur ſcientia media. *Major* conceditur ab omnibus defenſoribus præfatæ ſcientiæ, & colligitur ex præmiſſis ſupra in exponenda definitione hujus ſcientiæ. *Probatur Minor*: quod eſt de primario objecto divinæ ſcientiæ, eſt de primario objecto cognitionis beatificæ Dei: ſed impoſſibile eſt quod aliquid creatum ſit de primario objecto cognitionis beatificæ Dei: ergo & eſt impoſſibile, terminari divinam ſcientiam ad creatum quid ut ad primarium objectum. *Major* eſt certiſſima; cum enim cognitio beatifica Dei, [quæ quidem etiam ut beatifica pertinet ad lineam cognitionis, ut conceditur & docet Divus Thomas 1 *p q 26.*] ſit infinita & comprehenſiva in genere cognitionis, non poteſt conſequenter non ſe extendere ad objectum divinæ ſcientiæ; cumque ad objectum ejus primarium non poſſit ſe extendere, ut ad quid ſecundarium, alias eodem modo ſe extenderet ad objectum primarium & ſecundarium, conſequenter fit quod id omne quod cadit ſub objecto primario divinæ ſcientiæ, ſit etiam de primario objecto cognitionis beatificæ Dei. *Probatur Minor*: quod eſt de primario objecto cognitionis beatificæ Dei rationem habet beatitudinis objectivæ: ſed impoſſibile eſt, habere ens creatum rationem beatitudinis objectivæ Dei etiam partialis: ergo & eſt impoſſibile, quod aliquid creatum ſit de primario objecto cognitionis beatificæ Dei. *Major* per ſe patet; cum enim cognitio beatifica rationem habeat beatitudinis formalis, & objectum primarium beatitudinis formalis ſit ipſa beatitudo objectiva, evidenter ſequitur, illud quod eſt de primario objecto cognitionis beatificæ rationem habere beatitudinis objectivæ. *Probatur Minor*: habere aliquid rationem beatitudinis objectivæ Dei eſt quid majus, quam rationem habere beatitudinis objectivæ noſtri: ſed non poteſt creatum quid rationem habere beatitudinis objecti-

væ noſtri, ut per ſe pateti cum non poſſit rationem habere finis ultimi creaturæ : ergo multo minus poteſt creatum quid rationem habere beatitudinis objectivæ Dei etiam partialis : ergo impoſſibile eſt, quod creatum quid ſit de primario objecto cognitionis beatificæ Dei: ergo impoſſibile eſt, quod creatum quid ſit de primario objecto divinæ ſcientiæ : ergo cum ſit creatum quid primarium objectum ſcientiæ mediæ, impoſſibile eſt quod talis ſit divina ſcientia, qualis deſcribitur ſcientia media : ergo cum ex prima definitionis hujus ſcientiæ particula eſſe debeat divina ſcientia, ex prima etiam talis definitionis particula declaratur impoſſibilis ſcientia media.

Probatur 2. eadem impoſſibilitas ex ſecunda definitionis particula. Scientia media ex altera definitionis particula eſt, *cujus proprium objectum ſunt actus noſtri liberi* ; ſed impoſſibile eſt quod actus noſtri ut liberi ſint proprium hujus ſcientiæ objectum : ergo & impoſſibilis eſt ſcientia hæc media ex ſecunda definitionis particula. *Probatur minor*, proprium hujus ſcientiæ objectum illam de neceſſitate non præſupponit ; ſed impoſſibile eſt, quod actus noſtri ut liberi hujuſmodi ſcientiam non præſupponant : ergo impoſſibile eſt, quod actus noſtri liberi ſint proprium hujus ſcientiæ objectum. *Maior* conceditur, & colligitur ex eo quod objectum, quod de neceſſitate præſupponit ſcientiam & cognitionem ſui, illam etiam de neceſſitate reſpicit ut practicam & cauſativam ſui; cum ex ea tantum ratione oriri poſſit neceſſitas illa prioritatis; unde cum concedatur, non eſſe ſcientiam mediam practicam & cauſativam objecti, evidenter ſequitur, ad illud de neceſſitate non præſupponi. *Probatur minor*, impoſſibile eſt, quod actus noſtri ut liberi non præſupponant id à quo pendent: ſed ſcientia media talis eſt naturæ, quod ab ea pendent actus noſtri ut liberi etiam in ſtatu conditionato : ergo impoſſibile eſt, quod actus noſtri ut liberi hujuſmodi ſcientiam non præſupponant. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor*, quod eſſentialiter pendet ab aliquo in uno ſtatu, ſemper & in omni ſtatu ab eo pendet; cum res quælibet ſemper & in quocumque ſtatu eandem habeat eſſentiam, & conſequenter eaſdem connexiones & dependentias eſſentiales : ſed ſcientia media talis ſtabilitur naturæ ab ejus defenſoribus, quod ab ea eſſentialiter pendent actus noſtri ut liberi in uno ſtatu, puta in ſtatu abſoluto; cum dicant quod ea ſecluſâ ſtare non poſſit libertas noſtra, dum de facto & abſolutè agimus, quod quidem arguit dependentiam ab illa in liberè agendo, ſubindeque & eſſentialem dependentiam, cum omnis dependentia

dentia à Deo vel à divino aliquo non poſſit non eſſe eſſentialis: ergo ſcientia media talis eſt naturæ quod ab ea pendeant actus noſtri ut liberi etiam in ſtatu conditionato: ergo impoſſibile eſt quod actus noſtri ut liberi non præſupponant ſcientiam mediam: ergo impoſſibile eſt quod futuri illi actus ut liberi ſint proprium hujus ſcientiæ objectum: ergo cum ex ſecunda definitionis particula habere debeat ſcientia hæc media actus noſtros ut liberos pro proprio objecto, & ex ſecunda definitionis particula impoſſibilis eſt ſcientia hæc media.

Probatur 3. eadem poſſibilitas ex tertia definitionis particula: ſcientia media ex tertia definitionis ejus particula attingit pro objecto actus noſtros liberos *prout conditionatè futuros*: ſed impoſſibile eſt quod actus illi noſtri, ut à ſcientia media attinguntur ſint conditionatè futuri: ergo & impoſſibilis eſt ſcientia hæc media ex tertia definitionis ejus particula. *Probatur minor*, actus illi noſtri nõ attinguntur à ſcientia media, niſi antecederet ad omne decretum Dei actuale & exercitum, ſed impoſſibile eſt quod antecedenter ad omne decretũ Dei actuale & exercitũ, actus illi ſint conditionatè futuri: ergò & impoſſibile eſt, quod ſint cõditionatè futuri, prout attinguntur à ſcientia media. *Major* patet ex ſequenti definitionis particula. *Probat. Minor*, impoſſibile eſt, actus noſtros eſſe conditionatè futuros, quamdiu ſunt ſolum ſub illis conditionibus poſſibiles: ſed in ſigno antecedenti omne decretum Dei exercitum & actuale, actus illi noſtri ſunt ſolum ſub illis conditionibus poſſibiles: ergo impoſſibile eſt quod antecedenter ad hujuſmodi decretum Dei ſint actus noſtri conditionatè futuri. *Major* patet evidenter ex terminis. *Probatur Minor*, triplici medio.

Primò, pro eo ſigno ſunt actus ſub his conditionibus merè poſſibiles; & non futuri, pro quo intelliguntur ſub his conditionibus indifferenter potentes ad non eſſe futuros: ſed pro ſigno antecedenti decretum omne actuale Dei, intelliguntur actus ſub his conditionibus, ut indifferenter potentes ad non eſſe futuros; cum Deus pro illo tunc intelligatur indifferens ad decernendum, vel quod ſub his conditionibus futuri ſint, vel quod ſub his conditionibus non ſint futuri: ergo pro ſigno antecedenti decretum omne actuale Dei, actus illi noſtri ſunt ſolum ſub his conditionibus poſſibiles.

Secundò, quod in noſtris reſultat actibus ex Deo ut potente decernere, non eſt niſi eſſe poſſibile, ſeu mera poſſibilitas, ut ex terminis patet: ſed in ſigno antecedenti decretum omne actuale Dei, non comparatur Deus ad actus noſtros etiam ſumptos ſub conditione, niſi ut potens decernere, ut per ſe patet: ergo pro illo ſigno ita antecedenti decretum Dei, non ſunt actus noſtri,

noſtri,niſi poſſibiles etiam conditionatè ſumpti.

Tertiò,datur ſtatus meræ poſſibilitatis pro conditionatè futuris,ſicut & pro aliis,alias non contingenter , ſed omnino neceſſario futuri eſſent ſub his conditionibus: ſed ſtatus ille meræ poſſibilitatis pro conditionatè futuris , non aliùs eſt quam ſtatus eorumdem pro ſigno illo antecedenti decretum omne actuale & exercitum Dei;cum nihil aſſignabile ſit quod de ipſis verificetur in tali ſigno,quod eis non conveniat in ſtatu poſſibilitatis;& nihil eis competat in ſtatu posſibilitatis, quod eis ſimiliter non competat in tali ſigno:*aſſignetur quid*? Ergo probatum manet ex tribus illis mediis,quod in ſigno antecedenti omne decretum Dei actuale & exercitum,actus illi noſtri ſunt ſolum ſub his conditionibus poſſibiles: ergo impoſſibile eſt quod antecedenter ad decretum omne actuale Dei , actus illi noſtri ſint conditionatè futuri:ergo impoſſibile eſt quod actus illi noſtri ſint conditionatè futuri,ut attinguntur à ſcientia media:ergo cum ex tertia definitionis particula illos attingere debeat ſcientia media ut conditionatè futuros , ex tertia definitionis particula impoſſibilis eſt ſcientia media.

Probatur 4. eadem impoſſibilitas ex quarta definitionis particula:ſcientia media ex quarta illa definitionis particula, *debet antecedere decretum omne Dei actuale & exercitum* : ſed impoſſibile eſt,quod ita antecedat decretum omne Dei : ergo & ex quarta illa definitionis particula impoſſibilis eſt ſcientia media. *Probatur Minor* , impoſſibile eſt quod antecedat ſcientia media id,quod ſcit & videt in objecto:ſed in objecto ſuo ſcit & videt ſcientia media decretum actuale & exercitum Dei: ergo impoſſibile eſt ,quod antecedat ſcientia media decretum omne Dei actuale & exercitum! *Major* eſt certiſſima ; cum enim ſcientia quamdiu ſcientia eſt,ſit alicujus objecti ſcientia , fieri non poteſt quod pro aliquo ſigno antecedenti ſit ſcientia , & in eo non ſit objectum ſive ſcitum & viſum in objecto. *Probatur Minor*,ſcit & videt ſcientia media in objecto ſuo actus noſtros conditionatè futuros ut in individuo determinatos; ſed non poteſt eos ita videre in individuo determinatos & non videre decretum actuale & exercitum Dei: ergo in objecto ſuo ſcit & videt ſcientia media decretum actuale & exercitum Dei. *Major* eſt certa;cum enim non habeat nec faciat divinus intellectus præciſiones noſtras logicales,conſequenter fit , quòd hoc ipſo quod videt per ſciẽntiam ſuam actus noſtros , illos nedum ſecundum ſpeciẽ,ſed etiã ut in individuo determinatos videre debeat.*Probat. Minor,* impoſſibile eſt,videri à Deo determinatũ actũ,& non videri ejuſdem determinativum: ſed ex ipſo etiã ad-

 verſa-

verſariorum ore determinativum actuum noſtrorum non aliud eſt quam ipſum Dei decretum actuale & exercitum, ut docet Suarez *in Metaphyſica. diſputatione quinta, ſectione quinta, numero ſeptimo & diſputatione vigeſima ſecunda, ſectione prima, numero decimo tertio, & libro primo, de concurſu Dei, capite duodecimo, numero undecimo*, ubi docet, non niſi a cauſa prima determinari actus quoad individuum; quod etiam docet Herice *diſputatione ſeptima, capite undecimo, numero octuageſimo quarto, tractatu primo*, ubi bene hoc probat: ergo impoſſibile eſt, videre Deum per ſcientiam mediam actus noſtros conditionatè futuros ut in individuo determinatos, & non videre decretum actuale & exercitum: ergo in objecto ſuo ſcit & videt ſcientia media decretum actuale & exercitum Dei: ergo impoſſibile eſt quod antecedat ſcientia media decretum omne actuale & exercitum Dei: ergo cum ex quarta præfatæ definitionis particula antecedere debeat ſcientia media decretum omne Dei actuale & exercitum, ex quarta definitionis particula impoſſibilis eſt ſcientia media.

Probatur ultimo, & inutilitas ſcientiæ mediæ ex ultima definitionis ejus particula. Scientia media ideo ex ultima præfatæ definitionis particula neceſſaria eſt, quia non aliter cauſare poteſt Deus in ſuo ordine cauſæ primæ actus noſtros ut liberos, ſeu eorundem ſervando & cauſando libertatem: ſed falſum & penitus à ratione alienum eſt, non poſſe Deum ſine tali ſcientia media cauſare in ſuo ordine cauſæ primæ actus noſtros, ut liberos, ſive ad eos concurrere, eorundem cauſando & ſervando libertatem: ergo & ex ultima præfatæ definitionis particula omnino inutilis eſt ſcientia hæc media. *Probatur Minor*, & quidem ratione profundiſſima Divi Thomæ, quam inſinuat *prima parte, quæſtione vigeſima quinta, articulo tertio, & quæſtione vigeſima tertia, de veritate, articulo quinto*, Deus intelligitur omnipotens antecedenter ad ſcientiam hanc mediam, ut in Deo intellectam: ſed præciſè ex vi omnipotentiæ ſuæ habet Deus quod cauſare poſſit actus noſtros ut liberos, ſive ad eos concurrere eorundem cauſando & ſervando libertatem: ergo & poteſt Deus independenter à ſcientia media cauſare in ſuo ordine cauſæ primæ actus noſtros ut liberos. *Major* eſt certiſſima; cum enim ſcientia media mediet inter attributa Dei neceſſaria & libera, conſequenter fit quod præſupponat in Deo omnipotentiam, quæ eſt attributum omnino neceſſarium. *Probatur Minor*, Deus præciſè ut omnipotens, habet cauſare poſſe in ſuo ordine cauſæ primæ id omne, quod cadit ſub objecto omnipotentiæ: ſed

ſed ſub objecto omnipotentiæ cadunt actus noſtri etiam ut liberi: ergo Deus præcisè ut omnipotens habet cauſare poſſe in ſuo ſcilicet ordine primæ cauſæ actus noſtros ut liberos. *Major* per ſe patet; cum objectum omnipotentiæ non ſit, niſi ens producibile, & conſequenter potens cauſari. *Probatur Minor*, & quidem argumento ex verbis Divi Thomæ ſupra citati conſtructo. Unicuique activæ potentiæ correſpondet poſſibile pro objecto, ſecundum rationem illius actus, in quo hæc fundatur potentia; cum unumquodque agat in quantum eſt in actu: ſed divina actualitas, ſive divinum eſſe, ſupra quod fundatur omnipotentia, illimitatum eſt & præhabens in ſe totius entis perfectionem: ergo quidquid habere poteſt rationem entis, cadere debet ſub objecto omnipotentiæ: ſed actus noſtri etiam ut liberi & libero modo cauſandi habent rationem entis ut patet: ergo etiam ut liberi & libero modo cauſandi cadunt ſub objecto omnipotentiæ: ergo Deus præcisè ut omnipotens habet cauſare poſſe actus noſtros ut liberos; in ſuo ſcilicet ordine cauſæ primæ: ergo nondum intellecta in Deo ſcientia media potens eſt Deus cauſare admodum cauſæ primæ actus noſtros ut liberos, ſive ad eos concurrere eorundem cauſando & ſervando libertatem: ergo cum ex ultima præfatæ definitionis particula ad hoc & ad hunc finem requiratur ſcientia media; & ex ultima definitionis ſuæ particula inutilis eſt & declaratur ſcientia media.

Proponitur ſecundo hoc idem medium ſub aliis terminis, ut magis declaretur vis rationis Divi Thomæ quæ quidem videtur mihi irrefragabiliter concludere, ſi ſemel evoluta appareat. Argumentor ergo ſic: ſcientia media, ideo ex ultima definitionis particula neceſſaria eſt, quia ab ea pendent actus noſtri ut liberi & libero modo cauſandi: ſed hoc eſt falſiſſimum: ergo & ex ultima definitionis particula inutilis eſt ſcientia hæc media. *Probatur minor*, non pendent actus noſtri à ſcientia media ſub ratione liberi, ſi antecedenter ad ſcientiam mediam intelligatur in actibus poſſibilitas & ratio libertatis: ſed antequam intelligatur in Deo ſcientia media præintelligitur in noſtris actibus poſſibilitas & ratio liberi ſeu libertatis: ergo falſiſſimum eſt, pendere actus noſtros à ſcientia media in ratione liberi. *Major* patet ex terminis. *Probatur Minor*, ratio & poſſibilitas liberi, ſeu libertatis in noſtris actibus cadit ſub objecto omnipotentiæ: ſed objectum omnipotentiæ præintelligitur antecedenter ad ſcientiam mediam: ergo & antequam intelligatur ſcientia me-

dia, præintelligitur in noſtris actibus ratio & poſſibilitas liberi. *Major* eſt evidens ex diſcurſu illo profundiſſimo *Divi* Thomæ dicentis, quod unicuique potentiæ activæ correſpondet poſſibile pro objecto majus vel minus extenſum ſecundum majorem vel minorem extenſionem illius actus, in quo fundatur activa potentia; ex quo infert quod cum omnipotentia *Dei* fundetur ſupra divinum eſſe, quod eſt illimitatum & præhabens in ſe perfectionem totius entis, debet conſequenter ſub objecto omnipotentiæ cadere quidquid habet, vel habere poteſt rationem entis; proindeque & ſub eo cadere debet ipſa ratio & poſſibilitas liberi, ſeu libertatis in noſtris actibus. *Probatur Minor,* objectum omnipotentiæ ſimul cointelligitur cum ipſa omnipotentia, cujus eſt objectum: ſed ipſa omnipotentia præintelligitur in Deo ante ſcientiam mediam; cum ut jam dictum eſt, omnipotentia Dei ſit in Deo attributum omnino neceſſarium; ſcientia verò media ſit attributum medians inter neceſſaria & libera: ergo objectum omnipotentiæ præintelligitur ante ſcientiam mediam: ergo antequam intelligatur ſcientia media, præintelligitur in noſtris actibus ratio & poſſibilitas liberi: ergo non poſſunt actus noſtri pendere in ratione liberi à ſcientia media: ergo nec neceſſaria eſt ſcientia media ad actus noſtros ut liberos & liberè ponendos: ergo cum ex ultima definitionis particula, non niſi ad hoc neceſſaria ſit ſcientia media; ex ultimâ definitionis ejus particula, inutilis eſt, non neceſſaria ſcientia media. Forte moleſtus extiti, & diffuſus nimis in hac evolvenda ratione & doctrina *Divi* Thomæ, ſed parcatur, obſecro, vehementiſſimo affectui, quo doctrinas ſanctiſſimi præceptoris, & patroni beneficentiſſimi tracto, & evolvo: quam dulcia enim mihi eloquia ipſius, ſuper mel certè ori meo.

Solvuntur objectiones.

Objicies: vel videt Deus actus noſtros ita ſub aliqua conditione futuros per ſcientiam hanc mediam, vel illos debet videre in decreto abſoluto ex parte ſui, quo ſcilicet velit abſolutè Deus, eos ſub hac conditione eſſe futuros: ſed hoc ſecundum dici non poteſt: ergo dicendum eſt, dari in *Deo* ſcientiam hanc mediam, qua videat actus noſtros ita ſub conditione futuros. *Probatur Minor,* videt & vidit Deus converſionem Tyriorum futuram ſub hac conditione, ſi apud illos feciſſet Chriſtus

ſigna

ſigna & miracula quæ fecit apud Judæos: ſed hanc converſionem & pœnitentiam non vidit Deus ita futuram ratione decreti alicujus abſoluti & abſolutè habiti de tali pœnitentia: ergo non videt Deus actus noſtros ita ſub conditione futuros in decreto abſoluto ex parte ſui. *Major* conſtat ex illo Matthæi *cap. 11 væ tibi Corrozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro* &c. *Probatur Minor:* increpat Chriſtus Dominus & confundit Judæos exemplo pœnitentiæ Tyriorum: ergo debuiſſent Tyrii pœnitentiam agere Deo, æquo & pari modo ſe habente ad illos & ad Judæos: ſed ſi videret Deus pœnitentiam Tyriorum ratione decreti abſoluti de illa habiti, non æquo & pari modo ſe haberet tunc ad Tyrios & Judæos, quantum ad pœnitentiam futuram; cum circa pœnitentiam Judæorum non habuerit decretum illud abſolutum, quod tamen habuiſſet erga Tyrios: ergo non videt nec vidit Deus pœnitentiam Tyriorum ſub hac conditione futuram, ratione decreti alicujus abſoluti de illa habiti.

Reſpondeo negando minorem primi & ſecundi argumenti: non enim videre potuit Deus pœnitentiam Tyriorum ita futuram, niſi in aliquo & ratione alicujus connexionem habentis infallibilem cum tali pœnitentia, quandoquidem talis Dei cognitio certa ſupponitur & infallibilis: jam ſic eſt, quod ſecluſo decreto ita abſolutò ex parte Dei & abſolutè habito de pœnitentia Tyriorum ſub hac conditione, nihil afferri poteſt connexionem habens infallibilem cum tali pœnitentia; non quidem conditio ipſa, ſive poſitio hujuſmodi ſignorum Chriſti; cum hæc pertineant ad genus auxilii extrinſeci, ſubindeque, & relinquant voluntatem adhuc intrinſece indifferentem & aliquid aliud puta auxilium intrinſecum requirant, ut de facto pœniterent; ſed nec aliquid aliud afferri poteſt talem habens connexionem infallibilem; tum quia tali ſecluſo decreto ita abſoluto non eſt aſſignabile tale quid; tum quia cum antecedenter ad hoc decretum poſſit Deus æque indifferenter velle, quod futura non ſit hæc pœnitentia ſub hac conditione, quam quod ſit futura, nihil per conſequens pro illo tunc haberi poteſt, vi cujus infallibiliter futura ſit, & in quo infallibiliter videatur; ergo omnino falſum eſt vidiſſe Deum pœnitentiam Tyriorum in alio quam in præfato decreto ita abſolutè habito.

Unde ad ultimum diſtinguo primam conſequentiam ſic: ergo debuiſſent Tyrii pœnitentiam agere Deo, æque & pari modo ſe habente erga Tyrios & erga Judæos: quantum ad auxilia, quæ tenent ſe ex parte potentiæ & actus primi, Concedo; Deo æque

æque & pari modo ſe habente erga Tyrios & erga Judæos, quantum ad auxilia, quæ tenent ſe ex parte actus ſecundi, ſeu ex parte pœnitentiæ ut ponendæ, & non tantum ut ponibilis, Nego, quod quidem aperte patebit ex ſolutionibus ad ſequentes inſtantias: illud autem decretum abſolutum, cum ſit decretum habitum de futuritione, non tenet ſe ex parte actus primi ſive potentiæ, vel ponibilitatis actus; atque ita quamvis erga Tyrios hoc præſupponatur decretum, quod non ſupponitur erga Judæos, adhuc tamen merito confundi poſſunt & increpari Judæi exemplo Tyriorum, quamvis gloriari non poſſunt Tyrii exemplo Judæorum; cum id quod locum tribuit increpationi etiam comparativæ, ſcilicet potentia ex parte actus primi completa, ſupponatur, ut dicemus, idem in utriſque; id verò, ex quo ſolum gloriari poſſent Tyrii præ Judæis, puta futuritio ipſa pœnitentiæ, non ſit ab ipſis quaſi ex ipſis, ſed ex decreto abſoluto Dei diſcernente Tyrios à Judæis. Unde hoc argumentum, quod mirum in modum extollunt adverſarii, retorqueo ego ſic, contra illos: Deus in modo ſe habendi erga Tyrios & Judæos, debet ſic ſe habere, ut & locum tribuat, ad Judæos confundendum exemplo Tyriorum, & locum auferat Tyriis, ne gloriari poſſint præ Judæis, juxta illud Apoſtoli: *Quid gloriaris, quaſi non acceperis*: atqui ſi Deus haberet ſe omninò & omni ex parte æqualiter erga Tyrios & Judæos, tribueret quidem locum ad Judæos confundendum exemplo Tyriorum, non tamen locum aufferret, ne gloriari poſſent Tyrii præ Judæis, cum in hoc caſu magis feciſſent, nec tamen magis accepiſſent, in qua tamen acceptione rationem fundat Apoſtolus adæquatam, quare gloriari non poſſumus: ergo &c.

Inſtabis 1. fundatur præcedens ſolutio in trita illa diſtinctione ſe tenentium ex parte actus primi, & tenentium ſe ex parte actus ſecundi: ſed vana eſt, & gratis à Thomiſtis adducitur illa diſtinctio: ergo *Probatur Minor*: ea quæ ita ſe tenent ex parte actus ſecundi, non minus ad actum requiruntur, quam equus, verbi gratia, ad equitationem, vel Breviarium ad horarum recitationem: ſed equus & Breviarium, & alia hujuſmodi ita requiruntur, ut teneant ſe & ex parte actus primi, & ex parte actus ſecundi, ut patet: ergo & ea quæ dicuntur à Thomiſtis requiri ſolum ad actum ſecundum, requiruntur ſimiliter & ad actum primum & ad actum ſecundum, ſubindeque vana eſt & gratis à Thomiſtis adducitur præfata diſtinctio,

Reſpondeo negando minorem: habet enim fundamentum maximum præfata diſtinctio, quod quidem explico & expono ſic.

ſic.Illud,quod ita neceſſario prærequiritur ad actum, ut tamen illo poſito,poſſit adhuc indifferenter ſequi vel non ſequi actus, magis haud dubiè ſe tenet ex parte actus primi, & minus ex parte actus ſecundi,quam illud quod ita ad actum prærequiritur, ut illo poſito infallibiliter ſequatur actus ſecundus: jam ſic eſt, quod dantur aliqua taliter ad actum prærequiſita, ut illis poſitis,adhuc indifferenter ſequi poſſit vel non ſequi actus, ut patet in exemplis,quæ afferri ſolent ab adverſariis de Breviario, vel equo,vel aliis hujuſmodi;nam adhuc poſſeſſo equo, & facile expedito ac prompto,poteſt adhuc indifferenter ſequi vel non ſequi curſus, adeo ut poſſit homo ſimul & ſemel conjungere omiſſionem curſus,cum equo habito & expedito: item dantur & aliqua,quæ ita requiruntur ad actum,ut illis poſitis infallibiliter ſequatur actus adeo ut unum ſine alio actu, & de facto poni implicatorium ſit,eo quod ſcilicet talia & taliter prærequiſita ſint ipſamet reductio,vel vim habeant reductionis ad actum ſecundum;& hujuſmodi ſunt phyſica præmotio, decretum abſolutum & efficax,& alia hujuſmodi, quæ admittuntur in doctrina Thomiſtarum,non ergo vana eſt,nec gratis,ut ajunt, adducitur à Thomiſtis præfata diſtinctio,de iis ſcilicet quæ tenent ſe ex parte actus primi, & de iis quæ tenent ſe ex parte actus ſecundi,niſi forte apud eos, qui non niſi à limine ſalutant Thomiſtarum doctrinam. *Nota.*

Inſtabis 2.quamdiu adhuc expectatur aliquid ex parte Dei,ut actu agamus,tamdiu auferri videtur increpationis locus, ſi non agimus;cum videatur verificari tunc, quod ex parte Dei ſe teneat ſi non agamus:ſed quantumvis id quod non dedit Deus Judæis, & quod dediſſet Tyriis, ſe teneat, ut dicimus ex parte actus ſecundi,adhuc verificatur exſpectari aliquid à Judæis ex parte Dei,ut actu convertantur; ergo quantumvis tale quid ſe teneret ſolum ex parte actus ſecundi, adhuc tolleretur increpationis locus erga Judæos.

Reſpondeo negando majorem, cujus quidem falſitatem ex duplici aut triplici ratione colligo,& utraque,meo judicio, convincentiſſimâ.Primo quidem colligo ex iis;quæ docet D.Auguſtinus totius bonæ doctrinæ magnus parens, *in epiſt.* 105. ubi habet:*ſi gratia eſt,qua boni liberantur,profecto malorum excuſatio juſta non eſt,quamvis non liberentur*;ex quibus verbis apertè ſequitur,non excuſari peccatores,ſubindeque adhuc relinqui increpationis locum,licet aliquid eis deneget ut convertantur; modo tale quid debitum non ſit,ſed merè gratis datum: jam ſic eſt quod mera gratia eſt,& omnino indebitum, quod ponat &

tribuat

tribuat Deus ea omnia, quæ ex parte ſui requiruntur, ut actu & de facto convertantur, verbi gratia Judæi; cum inter talia requiſita reperiatur auxilium diſcernens operantem à non operante, quod quidem diſcernens auxilium eſt omnino indebitum, alias non ultimatè reduceretur ad Deum, quod eſt contra illud Apoſtoli: *quis enim te diſcernit?* ergo adhuc relinquitur increpationis locus, licet adhuc aliquid expectetur ex parte Dei, quo actu & de facto converterentur Judæi. Secunda vero ratio, ex qua hoc idem colligo eſt, quia tunc ſolum ponit nos Deus in tali ſtatu, ut nihil aliud ex parte Dei expectetur ut actu agamus, quando ſcilicet facit Deus, ut faciamus; cum illud ex parte Dei requiratur, ut de facto & reipſa faciamus, juxta illud *Ezechielis* 32. *faciam ut faciatis & in præceptis meis ambuletis*: jam ſic eſt quod relinquitur adhuc increpationis locus; nec propterea excuſabiles ſumus, quantumvis non verificetur, quod faciat Deus, ut faciamus: quin immo faciente Deo, nos facere, nullus tunc ſupereſt increpandi locus, cum de facto tunc fiat & ponatur actus: ergo ſuppoſito, ut ſupponit arguens, quod id quod expectatur, ſe teneat ſolum ex parte actus ſecundi; adhuc relinquitur increpationis locus, quamvis ex parte Dei aliud quid expectetur, ut de facto pœniteant & convertantur Judæi. Neque verificatur, ſe tenere tunc ex parte Dei, ſi non agamus, bene quidem ex parte Dei ſe tenere, ſi agimus, ut conſideranti patebit: ſed de hoc infra in ſequentibus ſolutionibus.

Nota.

Inſtabis 3. In tantum juſtè increpat Deus, inquantum nos ita expeditos ſupponit ad agendum, ut operari poſſimus, ſi volumus: ſed requiſito ſemel aliquo, & expectato ex parte Dei, etiam quodcumque illud ſit, non videtur, nos ita expeditos ſupponi, ut operari poſſimus, ſi volumus: ergo nec videtur relinqui locus ad juſtè increpandum.

Reſpondeo Negando Minorem; licet enim inintelligibile ſit, nos eſſe taliter expeditos, taliter quod verificetur, nos operari poſſe, ſi volumus, ſi adhuc requiratur aliquid quod non habeat ipſum operationis actum ſibi infallibiliter annexum; propterea quod tale quid, cum requiratur ex una parte, & ex altera non requiratur tanquam aliquid, quo actu operemur, ſeu quo de facto operari velimus, debet conſequenter requiri ut aliquid, quo operari poſſimus, ſi volumus, ac proinde inintelligibile eſt, quod quamdiu requiritur & expectatur tale quid ſimus potentes operari, ſi volumus: nihilominus hoc facile intelligitur, ſi id quod expectatur, & quod ſupponitur requiri, requiratur ut in præſenti ſupponitur, ad modum alicujus, quo de facto agamus, &

Nota.

& velimus de facto operari : cujus ratio,& quidem, meo judicio, irrefragabilis eſt, quia vis ita ad operandum expedita præcedit etiam tempore ipſam operationem, ut experientia conſtat ; ergo ut ita & taliter ſit expedita, dependere non poteſt ab iis, quæ ſolum prioritate naturæ ipſam præcedunt operationem, quantumcumque talia requirantur : ſed id quo actu & de facto agimus,& quo de facto volumus operari talis eſt naturæ,quod ſolum prioritate naturæ ipſam præcedit operationem, ut conceditur,& conſideranti patebit : ergo quantumvis hoc adhuc expectetur & requiratur,verificatur adhuc,nos eſſe potentia expedita potentes operari,ſi volumus, cum talis expedita potentia ita præcedat prioritate temporis ipſum operationis actum,ſubindeque & expedita ſit antecedenter ad iſtud, quod ſolum prioritate naturæ præcedit. *Nota.*

Inſtabis 4. Qui habet,quo poſſit operari ſi vult, poteſt cum eo aliquando habere,quo operari velit : ſed quamdiu adhuc expectatur aliquid ex parte Dei ad operandum, quodcumque illud ſit,nullus poteſt cum illo habere, quod operari velit : ergo nec quamdiu tale quid expectatur habere poteſt aliquis, quod potentia expedita poſſit operari,ſi velit.

Reſpondeo Negando Majorem : ſicut enim qui diceret : qui habet quo ſalvari poteſt,ſi vult, poteſt & cum illo ſolo habere aliquando,quod de facto ſalvetur,hic falſum diceret ; cum reprobi omnes ſupponantur habere quo poſſint ſalvari,ſi velint,& tamen nullus eorum cum eo,quo ita ſalvari poteſt, ſi vult, conſequatur unquam ſalutem ; ita & falſum eſt,quod qui habet præcisè quo poteſt operari,ſi velit, cum eo ita præcisè ſumpto habeat aliquando,quo operari velit ; cujus ratio eſt, quia id, quo de facto operari volo, eſt majus quid & ſpecialius etiam ex parte Dei,quam id quo operari poſſum,ſi volo ; eo quod ſcilicet id quo poſſum operari ſi volo, eſt commune quid operantibus & non operantibus, cum tamen id quo de facto operari volo diſcernat operantem à non operante,ac proinde ſit,etiam ut à Deo provenit,ſpecialius quid,cum Deus ſit qui diſcernit : non ergo uſquam eſt eventurum,ut de facto non evenit, quod cum eo, quo ſumus potentes operari,ſi volumus, aliquando cum eo ita præcisè ſumpto operari velimus. *Nota.*

Inſtabis 5. Qui poteſt operari,ſi vult,ideo non operatur, quia non vult : ergo qui potens eſt operari ; ſi vult, ideo operatur quia vult : ſed ſi præter id,quo habet poſſe operari, ſi vult adhuc aliquid requireretur,quo operari vellet,quando operaretur, non ideo operaretur,quia vellet, ſed quia aliunde, ſive à Deo habe-

haberet quo vellet: ergo qui potens eſt operari ſi vult, non alio indigere debet, quo operari velit.

Reſpondeo Concedendo antecedens & negando primam conſequentiam: aliud enim eſt, quod quando non operor, non operer, quia non volo; & aliud quod quando operor, operer quia volo, ſumpto ly *quia* propriè & cauſaliter in utroque; neque valet conſequentia ab uno ad aliud; unde & primum concedimus, & ſecundum negamus. Cujus ratio eſt, quia non operari, non converti, non pœnitere eſt in genere mali; & ideo quia perditio tua ex te, non mirum quod dum non operaris, ideo non opereris, quia non vis: at vero operari, converti, pœnitere eſt in genere boni; & ideo quia omne bonum deſurſum eſt, ut ait Apoſtolus, deſcendens à patre luminum, non mirum quod dum operaris, non ideo præcisè opereris; quia vis, ſed magis quia facit Deus, quo velis, eo ſcilicet quo diſcernit auxilio.

Nota.

Inſtabis ultimò, In tantum verificari poteſt, quod poſſum operari, ſi volo; in quantum per me ſtat, quod non operer; ſed ſi præter id quo ita ſum potens operari, ſi volo, aliud quid requireretur & expectaretur ex parte Dei, tunc per me non ſtaret, quod operarer, vel non operarer: ergo neque tunc dicendus eſſem potens operari, ſi volo. *Probatur Minor*: quod per aliud ſtat quod non eſt in manu mea, dici non poteſt per me ſtare: ſed ſi præter id, quo operari poſſum, ſi volo, aliud quid requireretur & expectaretur ex parte Dei, tunc quod operarer per tale quid ſtaret; quod quidem non eſſet in manu mea: ergo tunc per me non ſtaret, quod operarer, vel non operarer.

Reſpondeo Negando Minorem; ad cujus probationem diſtinguo majorem ſic: quod per aliud ſtat, quod non eſt in manu mea, non poteſt dici per me ſtare: ſi illud aliud per quod ſtat, ita non ſit in manu mea, ut neque cur detur, neque cur denegetur rationem in me non habeat, nec cauſam, Concedo: ſi verò ita non ſit in manu mea, ut ſolum in me rationem non habeat, cur detur, habeat tamen, cur denegetur, Nego, quod tunc per me non ſtet; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam. Pro quo notandum eſt, & quidem ſeriò & diligenter, quod aliquid per me ſtare poteſt contingere dupliciter, aut quia in me cauſa eſt & ratio, cur & unde detur ac ponatur id omne, quod ad tale quid requiritur, aut quia eſt in me ratio & ſufficiens cauſa, cur & unde denegetur aliquod ex hujuſmodi requiſitis: quoquo enim modo contingat, mihi juſtè imputatur tunc, ſi illud aliquid omittam, ac proinde verificatur & quod per me ſtet, quod non ponatur tale quid; jam ſic eſt, quod licet

Nota.

in

in manu mea, ſive in me non ſit ratio & cauſa cur detur & ponatur auxilium illud, quo non quidem operari poſſum ſi volo: ſed quo de facto operari volo, & de facto operor, utpotè quod, cum ſit diſcernens operantes a non operantibus, eſt ſpecialiſſimum & omnino indebitũ: nihilominus eſt in me ſufficiens ratio & cauſa cur denegetur; & pondera cum habens ſine illo vim omnino expeditam ad operandum, ut ſupra demonſtravimus, ita me habeam in meipſo, ut ſi illud minimè ad operandum requireretur, minimè propterea operarer, eo quod ſcilicet & ſim ſine illo, & antecedenter ad illud expeditus ad agendum, & vim hanc expeditam in me ipſo agnoſcam & ſentiam, & tamen operari nolim: ergo adhuc verificatur, quod per me ſtet, ſi actu & de facto non operer; non quidem quaſi per me ſtet, & à me pendeat, quod ponatur id quo de facto operor, ſed quia eſt in me ſufficiens ratio & cauſa cur denegetur. *Nota.*

Hic quædam aliæ proponi ſolent objectiones; ſed vel quæ facillimè diluuntur ex probationibus concluſionis, eæ ſcilicet, quæ contra concluſionem directè pugnant; vel quæ fusè diluentur in tomo ſequenti, dum de præmotione, eæ ſcilicet quæ procedunt de libertate, vel de peccato.

Quænam fuerit mens SS. Auguſtini & Thomæ circa agitatam difficultatem.

Cum à Summis Pontificibus omnes controverſiæ noſtræ cum Theologis ſocietatis in mentem D. Auguſtini & D. Thomæ, & in eorumdem doctrinam ſint devolutæ, meritò in his examinandis & reſolvendis materiis de mente SS. Auguſtini & Thomæ inquirimus. Pro quo

Reſpondeo 1. D. Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod quidem inprimis colligo ex eo, quod perpetuus eſt ſanctus Doctor in docendo, Deum non cognoſcere res immediatè in ſeipſis, ſed ſolum in ſeipſo, & in ſua eſſentia tanquam in cauſa, & medio prius cognito: ita expreſsè docet 1. *part. quæſt. 14. art. 5. in corpore*, quod his verbis concludit: *ſic igitur dicendum eſt, quod Deus ſeipſum videt in ſeipſo, alia autem à ſe non videt in ipſis, ſed in ſeipſo*: & 1. *contra gent. cap.* 49. probat ex D Dionyſio Deum omnia cognoſcere in eſſentia ſua tanquam in cauſa, & quod per eamdem cauſam, per quam dat eſſe omnibus, per eamdem ſcit omnia: ex quibus argumentor ſic Eſſentia divina non eſt cauſa rerum, niſi ut habet adjunctam voluntatem, & ut determinata per decretum liberum; eo quod ſcilicet

Deus

Deus non ſit agens ad extra per modum naturæ, ſed per modum liberi: ſed Deus ex D. Thoma omnia cognoſcit in eſſentia ſua tanquam in cauſa: ergo ex D. Thoma debet Deus cognoſcere futura conditionata, quæ quidem ſunt aliud à Deo, debet inquam cognoſcere in decreto, & non antecedenter ad decretum per ſcientiam mediam.

Secundò hoc idem colligo ex doctrina graviſſima quam affert S. Doctor *in 1. contra gent. cap. 67.* ubi habet: *quando ſcientia eſt cauſa objecti poteſt iſtud eſſe variabile, & ſcientia invariabilis, immutabilis, & firma; quia poteſt id quod eſt cauſa excedere in perfectione effectum.* Ex quibus ſubſumo ſic: atqui objectum ſcientiæ mediæ eſt variabile & mutabile & contingens, ut ſupponitur, & non eſt ſcientia media ejus cauſa, utpote quæ ſupponitur ab adverſariis omnino ſpeculativa: ergo ſecundum hanc gravem & veram doctrinam S. Doctoris non poteſt ſcientia media eſſe immutabilis certa & fixa: ſed nulla in Deo admitti poteſt ſcientia quæ non ſit talis, immutabilis, ſcilicet & invariabilis: ergo ex divo Thoma impoſſibilis eſt in Deo ſcientia media.

Tertiò hoc idem colligo ex iis, quæ habet D. Thomas *quæſt. 12. de verit. art. 10. ad 2.* dicente, quod licet in re futura eventus non ſit præſens, ordo tamen ad eventum præſens eſt: ex quibus ſic arguo. Non minus futurum conditionatum tranſit abſolutè à poſſibili ad futuritionem conditionatam, quam abſolutè futurum ad futuritionem abſolutam: ſed in futuro abſoluto eſt ex D. Thoma ordo actualis ad futuritionem, ſeu eventum abſolutum: ergo & in futuris conditionatis eſt ex eodem divo Thoma actualis ordo ad eventum conditionatum, ſed impoſſibile eſt dari actuale quid, & quid præſens, quod ſit aliud à Deo, ad quod non præſupponi debeat actuale & præſens decretum in Deo exiſtens; ergo impoſſibile eſt ex D. Thoma eſſe futura conditionata, nec conſequenter à Deo cognoſci per ſcientiam mediam, antecedenter ad decretum actu & de facto de illis habitum.

Quartò id colligo ex doctrina, quam tradit divus Thomas 1. *parte quæſt. 14. art. 8.* ubi docet non ideo res ſciri à Deo, quia futuræ ſunt, ſed potius futuras eſſe quia ſciuntur à Deo; cum tamen aſſertores ſcientiæ mediæ teneantur dicere Deum ſcire futura conditionata, quia illa futura ſunt, nec ideo illa eſſe futura, quia à Deo ſciuntur: tum etiam ex eo quod ibidem docet S. Doctor, quod ſcientia Dei eſt prior rebus nec ab illis menſuratur quantum ad veritatem & certitudinem, ſed potius eſt illa-

rum regula & menſura, quæ omnia directè pugnant cum ſcientia media.

Ultimò denique hoc idem colligo ex doctrina illa profundiſſima nuper adducta ex S. Doctore de Dei omnipotentia, ex qua evidenter oſtenditur, Deum ratione ſuæ omnipotentiæ qua talis, attingere & cauſare poſſe in ſuo ordine cauſæ primæ omne, quod cadere poteſt ſub ente, ſubindeque & actus neceſſarios & actus noſtros liberos ſub ratione propria neceſſarii & liberi, atque ita pendere non poſſe, quantum ad hoc ab aliquo extrinſeco, nec illud ſupponere; cum hoc habeat ex prædicatis intrinſecis & quidditativis ſuæ omnipotentiæ, ſi que omnino inutilem fore ſcientiam mediam, eo ſcilicet fine cauſandæ & ſervandæ libertatis in noſtris actibus, utpote quæ involvit extrinſecum quid puta futuritionem ſub conditione præviſam. Aurea autem divi Thomæ verba ſunt hæc: *eſt autem conſiderandum quod cum unumquodque agens agat ſibi ſimile, unicuique potentiæ activæ correſpondet poſſibile ut objectum proprium ſecundum rationem illius actus, in quo fundatur activa, ſicut potentia calefactiva refertur ut ad proprium objectum ad eſſe calefactibile. Eſſe autem divinum ſuper quod ratio divinæ potentiæ fundatur eſt eſſe infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, ſed præhabens in ſe totius entis perfectionem; unde quicquid poteſt habere rationem entis continetur ſub poſſibilibus, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens: nihil autem opponitur rationi entis niſi non ens: hoc igitur ſolum repugnat rationi poſſibilis abſoluti [quod ſubditur divinæ omnipotentiæ] quod implicat in ſe eſſe.* Hæc D. Thomas 1 *parte quaſt.*25. *art.*3. ex quibus argumentor ſic ad intentum.

Deus ſeipſo immediatè eſt omnipotens; & ſuomet divino eſſe omnipotentiam fundat, ut dicit ibi divus Thomas: ergo ratione ſui immediatè in ſua continet virtute quidquid poteſt habere eſſe participatum, ut ibidem infert divus Thomas: ſed actus liber creatus etiam eſt potens habere eſſe participatum, quantumcumque conſideretur ut liber: ergo Deus immediatè & ratione ſuæ infinitæ virtutis poterit, in ſuo ordine cauſæ primæ illum producere, & conſequenter ſine dependentia ab ipſo præſuppoſito in ſtatu futuritionis ejus conditionatæ, nec in alio quocumque ſtatu, ſubindeque ſine illo per ſcientiam mediam præviſo in tali ſtatu. Ex iiſdem autem aureis verbis ſancti Doctoris *Nota.*

Colliges veriſſimè ac profundè diſcurrere Thomiſtas, quando dicunt & probant cum divo Thoma *prima parte, quaſt.* 19. *Nota.* *arti-*

articulo 8. quod ab omnipotenti divinæ voluntatis efficacia & virtute provenit, quod cauſet Deus in creaturis & actus neceſſarios & actus liberos; & quod Deus ut utroſque cauſans, præintelligitur ad illos, atque utrumque actum debere ſubſequi, ut quod poſterius ad Deum ut cauſantem, ſine læſione vel deſtructione talium actuum. Quomodo enim deſtruetur effectus, quando recipit eſſe à ſua cauſa legitima? & quomodo cauſa illum deſtruet, quando illum actualiter producit: effectus eſt, qui ſequitur ad cauſam, & cauſa eſt ad quam ſequitur effectus: ergo non deſtruitur effectus dum ſequitur ad cauſam, & dum illum antecedit cauſa ut cauſa & præſertim prima, quæ attingit à fine ad finem fortiter, ſed diſponit omnia ſuaviter. Quia ergo ex una parte Deus ſeipſo eſt omnipotens, id eſt omnia poteſt in ſuo ordine, quæ cadere poſſunt ſub ente, ut ſunt actus noſtri, & ex alia parte actus illi noſtri ſive neceſſarii ſive liberi petunt eſſentialiter egredi, & dependere etiam à nobis ſive à cauſa creata, propterea fit quod [ut dicunt Thomiſtæ cum D. Thom.] applicet Deus cauſam creatam neceſſariam ad actus neceſſarios, & applicet & provideat cauſam creatam liberam, ut fiant actus liberi; ac utrumque efficaciter determinet & antecedat, & in omnibus cauſet & ſubſtantiam & modum actus, quia utrumque continetur ſub ambitu entis creati, quod quidem eſt proprium divinæ omnipotentiæ objectum; unde & utrumque, puta tum ſubſtantiam, tum modum intelligitur Deus potens cauſare antecedenter ad omnem ſcientiam mediam; cum objectum divinæ omnipotentiæ, in quo utrumque includitur ut à Deo cauſabile, & antecedere debeat omnem & quamcumque futuritionem, & antecedere debeat ea omnia, quæ divina antecedit omnipotentia; inter quæ reperiretur ſcientia media, ſi daretur, utpote quæ mediaret inter attributa neceſſaria & libera, cum tamen divina omnipotentia ſit attributum omnino neceſſarium, & ut dicit D. Thomas fundatum immediatè ſuper divinum eſſe.

Nota.

De mente Auguſtini.

Reſpondeo 2. In vanum fatigari Thomiſtas in probando fuiſſe, & eſſe pro nobis D. Auguſt. & contra Theologos Societatis, cum præcipuus ex illis, à quo nomen traxere Moliniſtarum, quique occaſionem dedit ut tanto conatu, & apparatu tanto à Theologis Societatis hæc tractaretur controverſia, ipſe inquam Pater Ludovicus Molina clare & expreſsè id admittat, referens quid Auguſtinus ſentiat & addens amplexatum fuiſſe D. Thomam

mam ſententiam D. Auguſtini, & poſt D. Thomam pleroſque Scholaſticorum. Quia vero ejus concordia, quæ potius occaſio fuit diſcordiæ maximæ, & in qua talia dicit & concedit Molina, non ita facile habetur præ manibus, placet hic de verbo ad verbum transferre quæ ſunt ad propoſitum. Sic ergo loquitur iſte Pater Societatis in ſua concordia antiqua, impreſſa anno 1588. circa *quæſt. 23. 1. part. D. Thomæ articulo 4. & 5 memb. 11.* quod eſt ultimum *fol. 487.*

Credens autem Auguſtinus prædeſtinationem Dei æternam non fuiſſe ſecundum merita, qualitatemque uſus liberi arbitrii à Deo prævisi, ſed ſolum ſecundum electionem Dei & beneplacitum, juxta eam ſententiam Paulum interpretatus eſt, reſtrinxitque illud primæ ad Timotheum: qui vult omnes homines ſalvos fieri; ut non de omnibus univerſim hominibus, ſed de ſolis prædeſtinatis intelligeretur. Quæ doctrina plurimos ex fidelibus præſertim ex his, qui in Gallia morabantur, non ſolum indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam. Ne enim hujuſmodi doctrinæ adhærerent, hæreſi potius pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant, varioſque alios errores circa parvulorum prædeſtinationem confingebant; id quod inter alia teſtantur duæ illæ Epiſtolæ à Proſpero & Hilario Arelatenſi Epiſcopo ea de re ad Auguſtinum miſſæ, adductiſque verbis SS. Proſperi & Hilarii, ſubdit poſtea, *ſententiam vero Auguſtini ſecutus eſt Divus Thomas, & poſt eum plerique ſcholaſticorum.*

Hæc ibi Molina, qui poſtea *fol. 489.* ſic ait: *Nos pro noſtra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione, quam toto articulo decimo tertio, quæſtione decimâ quarta, & tota hac quæſtione tradidimus, ſequentibus principiis ex quibus eam deduximus, inniti judicamus, quæ ſi data explanâtaque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, oſtendentes cum divina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe, neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epiſtola Proſperi & Hilarii fit mentio fuiſſent extinctæ, ut patet ex his, in quibus homines illi cum Catholicis conveniſſe & ab eis diſſenſiſſe eadem teſtantur Epiſtolæ, concertationeſque inter Catholicos fuiſſent compoſitæ.*

Hæc idem Molina qui deinde *fol.591.* ſic loquitur : *Neque vero dubito , quin ab Auguſtino & cæteris patribus unanimi conſenſu comprobata fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia , ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præſcientia & prædeſtinatione, ſi eis propoſita fuiſſet* Hæc in iſtis locis habet Molina,circa quæ,utpote notatu digniſſima , ſequentes addam annotationes.Igitur

*Notabis primò,*Non debere fatigari Thomiſtas in probando fuiſſe & eſſe pro nobis divum Auguſtinum , imo & cæteros Patres,qui Molinam anteceſſerunt, & contra Theologos Societatis,cum ipſe Molina clarè & expreſsè id admittat, referens quid ſentiat Auguſtinus, & aſſerere audens , quod ſi Auguſtino & cæteris Patribus ſua fuiſſet propoſita ſententia , hoc eſt ſi eis non fuiſſet ignota,ab eis fuiſſet comprobata , à quibus per conſequens comprobata non fuit , cum ſolum ex ipſo comprobata fuiſſet.

Notabis ſecundò, Quod quantum ad id quod ibidem ait Molina,puta quod D.Auguſtinus & cæteri Patres ejus approbaturi eſſent ſententiam & doctrinam,fallitur clarè , & falli eum conſtat ex dictis ipſius,ipſe enim refert Epiſtolas ſanctorum Proſperi & Hilarii , in quibus inter alia proponunt Auguſtino doctrinam de ſcientia media,quæ inter Maſſilienſes in Gallia circumferebatur ; & à divo Auguſtino nec in toto nec in parte approbata fuit, ut conſtat ex libris de prædeſtinatione ſanctorum, præſertim *ex libro primo capite nono,*& eſt notandum quod nec Moderni Societatis amplexati ſunt modum dicendi ipſius Molinæ , ſed eum dereliquunt ; at O utinam & modum & ſubſtantiam reliquiſſent ; ſic enim manſiſſet libera à tam tumultuoſis controverſiis & contentionibus Eccleſia Catholica, quæ ejus occaſione tota commota eſt,& ad pugnam redacta.

Notabis tertiò , Quod quantum attinet ad modum loquendi de divo Auguſtino luminari totius Eccleſiæ & luminari Majori quem tenet Molina, dum dicit , *multos ex doctrina Auguſtini fuiſſe mirum in modum turbatos,ne dicat eorum ſalutem ejus occaſione fuiſſe periclitatam,&c.* ut agnoſcat an bene, vere, & modeſtè loquutus ſit ; ego tantum remitto ipſum ad ſanctos Proſperum,& Hilarium ſanctiſſimos & doctiſſimos , charitate & zelo ferventes pro bono Eccleſiæ & pro fidelium ſalute , quorum epiſtolas viderat Molina ad ſanctum Auguſtinum miſſas , qui Proſper & Hilarius , quia ſanctiſſimi & doctiſſimi Magnum illum Auguſtinum adhuc viventem ſic alloquuntur. *Domino Beatiſſimo Papa,ineffabiliter mirabili, incomparabiliterque bono-*

honorando, præſtantiſſimo patrono Auguſtino, *Proſper*: (& poſt pauca) *nunc quoque Beatitudini tuæ ſcribere audeo, non ſolum ſalutationis, ut tunc, ſtudio ſed etiam fidei, qua Eccleſia vivit affectu. Excubante enim pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſimâ induſtriâ tuâ, & adverſus hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendum putavi, ne oneroſus tibi aut importunus eſſem, in eo quod ad multorum ſalutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cum potius reum futurum eſſe me crederem, ſi ea quæ vel te pernicioſa eſſe intelligo ad ſpecialem patronum ſidei non referrem.* (Conſimilia continet & Epiſtola ſancti Hilarii) ſic igitur venerabantur & colebant hi ſancti & Doctiſſimi viri divum Auguſtinum, & ſic de eo, & cum eo loquebantur, adhuc inter vivos manente: quid ergo nunc facerent poſt tot annorum curricula, per quæ a ſancta Matre Eccleſia univerſali & ſanctitas & ſapientia Auguſtini acclamata eſt, venerata, & celebrata?

QUÆSTIO ULTIMA.

De voluntate Dei.

Utrum voluntas Dei habeat ad actus noſtros etiam liberos decretum antecedens abſolutum, & efficax, ſubindeque & prædeterminans.

PRæmittendum primò, Quod omnium graviſſimarum controverſiarum, quæ inter Theologos Societatis, & diſcipulos D. Thomæ agitantur in materia de gratia & de prædeſtinatione, & de auxiliis, & de ſcientia Dei, & de voluntate, & denique in toto ambitu totius Theologiæ & Metaphyſicæ, iſte eſt principalis cardo: omnia enim attracta ſunt & nullus remanſit in tota Metaphyſica & Theologia, nec remanet lapis immotus, vel ut impugnetur, vel ut defendatur decretum illud ad actus noſtros, ſive neceſſarios, ſive liberos, antecedens, abſolutum, efficax, ſubindeque prædeterminans & prædefiniens. Cæterum qui in propoſita difficultate tenuerit ſententiam affirmativam eſt verus

Thomiſta, & qui eam negaverit, etiam abſolutè loquendo Thomiſta non eſt: ex hoc enim puncto pendent omnia alia, quo ſemel admiſſo, ſi aliqua eſt differentia in aliis parum intereſt, & poterit quodlibet vel utrumque deſendi in Schola B. Thomæ. Itaque affirmativam tenent Thomiſtæ dicentes una voce, atque ſine fine dicturi pendere à tali decreto ita abſoluto, prævio & efficaci primariam divinæ cauſalitatis, & conſequenter atque à poſteriori pendere ab eo ſubſtantiam ipſam deitatis, quæ & ultimus finis & primum efficiens neceſſario eſſe debet.

At mirum eſt quanta diverſitate & ſententiarum varietate ſibi in hoc puncto contrarii ſint authores Societatis, vult enim Suarez *in Metaphyſica diſput.* 22. *ect.* 4 *num.* 14. Deum non habere decretum abſolutum, quo ſimpliciter & abſolutè velit actum noſtrum liberum eſſe vel fieri; ſed quaſi ſub conditione velle, ut fiat hic actus à voluntate creata, ſi ipſa ſe ad efficiendum determinaverit; & ſub eadem conditione velle influere & concurrere in eumdem actum expectando tamen influxum creatæ voluntatis. Hic tamen dicendi modus non placet Patri Vaſquez, qui è contra vult quod decretum habitum à divina voluntate circa actus noſtros liberos ſit decretum abſolutum, non autem quaſi conditionatum, ut docet Suarez; ita tamen quod decretum illud abſolutum non ſit antecedens futuritionem actuum noſtrorum, ut docent Thomiſtæ, ſed ſolum concomitans. Hæc docet Vaſq. 1. *p. diſp.* 89. *c.* 10. *n.* 93. *&* 94. *fol.* 808. alii vero hos relinquentes dicendi modos, volunt, Deum nihil circa actus noſtros decernere, niſi poſtquam prævidit in quam partem ſe verteret & determinaret voluntas noſtra, ſi ſe ſola ageret & ſi ſe ſola ac independenter a Deo vellet: quaſi vero teneatur Deus ſcire quid ageret creatura ſi eſſet Deus, prius quam velit quod agat ut creatura: alii denique alios confingunt modulos videndi, prævidendi, expectandi, explorandi, priuſquam aliquid decernat Deus circa actus noſtros, quos quidem omnes & ſingulos recenſere nec ſuppetit tempus nec voluntas.

Præmitt. 2. Pro declaratione principiorum, ad quæ concluſionis veritas reduci debet, quod hæc tria ſunt apud omnes receptiſſima, ſubindeque vim habitura principii reſpectu inferendæ concluſionis, puta quod *divina voluntas eſt ſeipſa & ab intrinſeco omnipotens:* quod *divina voluntas eſt ens à ſe* quod *divina voluntas ſive ad intra operans, ſive ad extra eſt ſubſtantia.* Primo quidem receptiſſima eſt prima illa propoſitio, puta quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, ſeu omnia potens, cujus ratio eſt, quia cum unumquodque agat inquantum eſt in

actu, conſequenter fit quod activitas cujuslibet activæ potentiæ menſurari debeat in ſui extenſione juxta actualitatem naturæ, in qua fundatur: jam ſic eſt, quod actualitas ipſius divinæ naturæ in qua fundatur divina voluntas ſecundum quod activa, eſt actualitas omni ex parte illiminata, præhabens in ſe perfectionem omnem totius entis: ergo divina voluntas ſecundum quod activa ad nullum determinari debet genus entis, ſed debet ſe ad omnia extendere quæ cadere poſſunt ſub ente, atque ita & eſſe debet ab intrinſeco & ab intrinſeca ſuæ activitatis radice omnipotens, & omnia potens. Ratio vero alterius propoſitionis eſt, quia divina voluntas ſicut & aliæ omnes, quas in Deo diſtinguimus, attributales potentiæ ſunt realiter & entitative identicum Deo; alias non eſſet Deus ſua virtus & ſua perfectio, ſubindeque per aliud, & ab alio perfectus eſſet: ergo cum ſit ipſe Deus ens à ſe, nec aliud nomine Dei intelligendum veniat, aut ſaltem non niſi cum ratione entis a ſe intelligatur Deus, fit quod & ipſa divina voluntas dicenda ſit per conſequens ens à ſe. Demum quantum ad tertiam, quod ſcilicet divina voluntas ſive ad intra operans ſive ad extra eſt ſubſtantia, ex eo evidenter patet quod ſemper eſt divina voluntas & voluntas identificata cum Deo, ut ſupra diximus, ac proinde & ſubſtantia & ſubſtantialis potentia, ſicut & ipſe Deus ſubſtantia eſt. His autem præmiſſis tanquam certis, imò & fide tenendis principiis, jam pro quæſiti reſolutione, & concluſionis ad eadem principia reductione ſit

CONCLUSIO: *Habet divina voluntas ad actus noſtros liberos decretum abſolutum, antecedens, & per ſe efficax: nec in hoc impugnando, eſt inter adverſarios vir cum viro;* & [quod majus eſt] *neque eſt vir ſecum; cum eorum vix reperiatur aliquis author, qui contrarietate ſui ipſius ſit liber.*

Probatur 1. Prima concluſionis pars ex primo præmiſſo principio: *Divina voluntas eſt ſeipſa & ab intrinſeco omnipotens*: ergo habet divina voluntas ad actus noſtros liberos decretum abſolutum, antecedens, & efficax. *Probatur conſequentia*: habet divina voluntas circa actus noſtros liberos præfatum decretum, hoc ipſo quod illud habere poteſt: ſed hoc ipſo quod eſt divina voluntas ab intrinſeco omnipotentis, poteſt illud habere decretum circa actus noſtros etiam ut liberos: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens habet circa actus noſtros liberos decretum illud abſolutum, antecedens, & efficax. *Major* conceditur & ſupponitur certa ex dictis infra poſt finem probationis. *Probatur Minor*: de eo habere poteſt voluntas Dei decretum abſolutum &c. quod habet ex ſe & ab

intrinſeco poſſe producere : ſed hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe producere, in ſuo ſcilicet ordine cauſæ primæ, actus noſtros ut liberos : ergo hoc ipſo quod ab intrinſeco eſt omnipotens, poteſt illud habere decretum circa actus noſtros, etiam ut liberos. *Major* ſimiliter conceditur & ſupponitur certa ex dictis infra poſt finem probationis. *Probatur Minor* : actus noſtri ut liberi cadunt & comprehenduntur ſub ente participato : ſed hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe producere in ſuo ſcilicet ordine cauſæ primæ, id omne quod cadit ſub ente participato : ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco, poſſe in ſuo ordine producere actus noſtros ut liberos. *Major* patet ex terminis. *Probatur minor* : quævis potentia habet ab intrinſeco & ex ſe ferri poſſe ad proprium objectum: ſed proprium objectum divinæ voluntatis ut omnipotentis eſt omne ens participatum ſeu producibile : ergo divina voluntas, hoc ipſo quod ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco, quod producere poſſit omne quod cadit ſub ente producibili & participato. *Major* per ſe patet. *Probatur minor*, ratione profundiſſima divi Thomæ, quam affert 1 *part. q.* 25. *art.* 3. objectum cujuslibet activæ potentiæ eſt poſſibile ſecundum rationem ſive extenſionem illius actus, in quo ipſa fundatur potentia; cum unumquodque agens agat ſibi ſimile, & unumquodque agat in quantum eſt in actu: ſed actus ſive actualitas ipſius Dei, in qua illa fundatur divinæ voluntatis omnipotentia, eſt actualitas omnino illimitata, & in ſe præhabens totius entis perfectionem : ergo proprium divinæ voluntatis ut omnipotentis objectum eſt omne ens participatum, ſeu producibile, ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe in ſuo ordine cauſæ primæ attingere & producere omne ens participatum : ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe, in ſuo ordine cauſæ primæ attingere & producere actus noſtros ut liberos: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens, poteſt hoc ipſo habere decretum abſolutum & antecedens ad actus noſtros liberos : ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ab intrinſeco omnipotens [quod eſt primum præmiſſum principium] habet hoc ipſo divina voluntas ad actus noſtros liberos decretum abſolutum antecedens & efficax.

Notabis, duas in præfata probatione, ſuppoſitas fuiſſe propoſitio-

ſitio-

ſitiones majores tanquam certas & in doctrina adverſariorum concedendas, quas tamen placet breviter declarare ut ſic reſolutæ maneant propoſitiones ſingulæ hujus probationis.

Inprimis autem ſuppoſita fuit major illa propoſitio ſecundi argumenti, puta quod *habet divina voluntas decretum illud abſolutum circa actus noſtros liberos, hoc ipſo quod illud habere poteſt*; cujus ratio eſt, quia cum Deus ſit ens omnem habens actu & de facto poſſibilem perfectionem, conſequenter ſit quod hoc ipſo quod aliquid quod perfectionem explicat, eſſe poteſt in Deo, actu & de facto jam illud habeat; atque ita cum decretum illud ita abſolutum & efficax, ſi ſemel poſſit ille ſit in Deo erga actus noſtros liberos, perfectionem importet & explicet, utpote quod perfectiſſimè explicat primatiam divinæ cauſalitatis, & modum agendi magis independentem & abſolutum; majuſque in agendo dominium, evidenter ſequitur, quod ſi ſemel concedatur, poſſe Deum habere erga actus noſtros ut liberos decretum illud, quod illud actu & de facto habuit; unde & hoc concedunt adverſarii, quia cum negent & excludant hujuſmodi decretum, quia, inquiunt, componi non poteſt cum actibus noſtris, & conſequenter, quia eſſe nequit in Deo reſpectu actuũ noſtrorum liberorum, tenentur per conſequens concedere, negandum non eſſe habere Deum tale decretum, hoc ipſo quod conceditur habere poſſe.

Altera vero propoſitio, quæ ſimiliter ſuppoſita fuit in ſuperiori probatione tanquam certa, & in doctrina adverſariorum concedenda, fuit propoſitio major tertii argumenti, quæ ſic habet: *De eo habere poteſt voluntas Dei decretum abſolutum, &c. Quod habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe producere*; cujus ratio eſt, quia id omne, quod poteſt Deus abſolutè ponere, & circa quod fruſtrari non poteſt nec impediri, poteſt & abſolutè velle, ſive abſolutè decernere; qua de cauſa concedunt adverſarii, habere Deum decretum abſolutum de illis quod ab eo immediatè procedunt, eo quod ſcilicet reſpectu illorum fruſtrari non poteſt, nec impediri, ne de facto ponat quod ſemel decreverit ponere: jam ſic eſt, quod habens divina voluntas ex ſe & ab intrinſeco poſſe aliquid producere, poteſt hoc ipſo & illud abſolutè ponere, adeo ut fruſtrari non poſſit nec impediri, ne tale quid ponat, ut per ſe patet, & ut concedunt adverſarii, qui propterea volunt poſſe Deũ ita abſolutè ponere actus noſtros neceſſarios, quia ex ſe & ab intrinſeco habet poſſe illos producere; adeo ut quãvis requiratur extrinſecũ quid puta cauſa ſecunda neceſſaria, ut illos ponat, illud tamen extrinſecũ omnino ſubditũ ſit virtuti

ejus intrinſecæ, non autẽ potens ſit illam impedire: ergo veriſſima eſt & illa propoſitio, atque in doctrina adverſariorum concedenda, quod ſcilicet de eo omni habere poteſt voluntas Dei decretum ita abſolutum, quod habet ex ſe & ab intrinſeco poſſe producere; ſicque reſolutæ manent propoſitiones ſingulæ præfatæ probationis.

Probatur 2. Ex ſecundo præmiſſo principio: *Divina voluntas eſt ens à ſe*: ergo habet divina voluntas ad actus noſtros liberos decretum abſolutum, antecedens, & efficax. *Probatur conſequentia*: non poteſt divina voluntas eſſe determinativa voluntatis noſtræ ad actum, niſi per decretum abſolutum, antecedens, & efficax: ſed hoc ipſo quod eſt ens a ſe, eſt determinativa voluntatis noſtræ ad actum: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe, decretum habet ad actus noſtros abſolutum, antecedens, & efficax. *Major* conceditur, & per ſe patet; cum decretum, hoc ipſo quod determinativum voluntatis noſtræ, ſit tale, ut ad illud ſequatur infallibiliter determinatio voluntatis, quod quidem verificari nequit de decreto ſolum conditionato, vel concomitanti, vel inefficaci, ut ex terminis patet. *Probatur Minor*: voluntas noſtra hoc ipſo quod ab alio determinari debet, non niſi à divina voluntate determinatur: ſed petit voluntas noſtra ab alio determinari, hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe, eſt determinativa voluntatis noſtræ. *Major* conceditur, & per ſe patet; nulli enim alteri ſubditur voluntas noſtra ut libera & liberè determinandi, niſi divinæ voluntati, quæ eſt primum liberum, ac proinde hoc ipſo, quod ab alio determinari debet, non niſi à divina voluntate determinatur. *Probatur Minor*: petit voluntas noſtra habere id omne ab alio, quod in Deum tranſlatum habet eſſe à ſe; cum non minus ratio entis ab alio tranſcendat id omne, quod eſt in nobis, quam ratio entis à ſe omne quod eſt in Deo: ſed hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe, ly *determinari* ſeu voluntatis determinatio habet in Deo eſſe à ſe, ut per ſe patet: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe, petit voluntas noſtra ab alio determinari: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens à ſe, eſt determinativa voluntatis noſtræ: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ens a ſe (quod eſt ſecundum præmiſſum principium) decretum habet ad actus noſtros liberos abſolutum, antecedens, & efficax.

Probatur 3 Ex tertio præmiſſo principio: *Divina voluntas, ſive ad intra agens ſive ad extra, eſt ſubſtantia ſive ſubſtantialis potentia*; ergo habet divina voluntas ad actus noſtros liberos

do-

decretum abſolutum, antecedens eſt efficax. *Probatur conſequentia*, decretum, ad quod infallibiliter ſequitur actus noſter, eſt decretum abſolutum, antecedens eſt efficax; ſed hoc ipſo quod divina voluntas, ut agens ad extra, eſt ſubſtantia, ſive ſubſtantialis potentia decretum habet ad quod infallibiliter ſequitur actus noſter: ergo habet hoc ipſo decretum abſolutum, antecedens, & efficax. *Major* conceditur, & patet ex terminis. *Probatur Minor*, actus omnis noſter infallibiliter ſequitur ad actualem ſui cauſam: ſed hoc ipſo quod divina voluntas eſt ut agens ad extra, ſubſtantialis potentia, eſt actualis cauſa actuum noſtrorum per ſuum decretum: ergo & hoc ipſo decretum habet, ad quod infallibiliter ſequitur actus noſter. *Major* conceditur & patet ex ipſa definitione actualis cauſæ, quæ quidem definiri ſolet, ad quam infallibiliter ſequitur effectus. *Probatur Minor*, non aliter eſt divina voluntas actualis cauſa actuum noſtrorum, quam per actionem ſuam ad extra: ſed hoc ipſo, quod eſt ſubſtantialis potentia, eſt ipſius decretum ejus actio ad extra: ergo hoc ipſo quod divina voluntas eſt ſubſtantialis potentia eſt actualis cauſa actuum noſtrorum per ſuum decretum. *Major* conceditur & per ſe patet. *Probatur Minor*, non poteſt divina voluntas eſſe ſubſtantialis potentia & non habere actionem ſibi correſpondentem, quæ ſit ſubſtantia; cum actus & potentia correſpondentes ſint in eodem genere, ſubſtantiæ ſcilicet vel accidentis, ex eo ſcilicet [ut notat D. Thomas] quod ſint diviſiva ejuſdem generis & diviſiva generis non poſſint non eſſe in eodem genere; ſed non datur alia actio ſubſtantialis præter decretum, quod eſt in Deo, & cum Deo identificatum; cum omnis alia actio, quæ non eſt identificata cum Deo, ſit actio creata de prædicamento actionis, & conſequenter accidens: ergo hoc ipſo, quod divina voluntas eſt ſubſtantialis potentia, eſt ipſius decretum ejus actio ad extra: ergo hoc ipſo, quod divina voluntas eſt ſubſtantialis potentia, eſt actualis cauſa actuum noſtrorum per ſuum decretum: ergo hoc ipſo, quod divina voluntas eſt ſubſtantialis potentia decretum habet, ad quod infallibiliter ſequitur actus noſter: ergo hoc ipſo quod divina voluntas ſubſtantia eſt ſeu ſubſtantialis potentia [quod eſt tertium præmiſſum principium] decretum habet abſolutum, antecedens, & efficax ad actus noſtros.

Jam vero ut probetur ſecunda pars concluſionis, putà quod in præfato impugnando decreto ægrè reperiatur inter adverſarios vir cum viro; & quod majus eſt, nec reperiatur vir ſecum, adeo ut nullus ferè ſit, qui contrarietate ſui ipſius liber ſit, placet

in exemplum afferre duo Societatis luminaria majora, Patrem ſcilicet Suarez,& Patrem Vaſquez,& eorum dicendi modos impugnare primo rationibus domeſticis,eoſdem deinde impugnaturus ex rationibus propriis, ſive ex contradictione in propria ſingulorum doctrina repertis. Incipio autem à Patre Suarez propter auctoritatem perſonæ, ejuſque impugno dicendi modum verbis ipſis & rationibus Patris Herice Authoris domeſtici,quibus ipſe utitur contra præfatum patrem *tract.1. diſp.6.cap. 3.num.27.fol* 104.argumentor igitur ſic,

Impugnatur efficaciter ſententia Suarez ab Authore Societatis.

Ideo reſpuit Pater Suarez decretum in Deo abſolutum,circa actus noſtros liberos, quia reſpectu actuum liberorum ſolum ſub conditione velle poteſt Deus,ut fiat actus à voluntate creata,ſi ipſa ſcilicet ſe ad eliciendum determinaverit: ſed inintelligibile eſt [inquit Pater Herice Author ejuſdem Societatis] tale ſolum in Deo haberi decretum ſub hac conditione: ergo major colligitur ex verbis, quæ habet Pater Suarez *in Metaphyſic. diſputat 22 ſect 4.num*, 14. ubi ſuam exponit & docet ſententiam. *Probatur Minor*: ratione,quam in contrarium affert Pater Herice: decretum illud ita ſub conditione factum aliquam denotat anteceſſionem ex parte determinationis noſtræ ad decretum Dei & actualem Dei concurſum: ſed nulla prorſus anteceſſio,etiam rationis intelligibilis eſt à parte noſtri ad decretum Dei determinatum,& ad actualem ejus concurſum: ergo inintelligibilis eſt modus ille dicendi Patris Suarez decretum inducens quaſi ſub conditione factum: majorem declarat ſic Pater Herice à ſimili,& bene: voluntas quam habet Petrus,verbi gratia,tecum currendi ſub hac conditione,ſi tu cucurreris, non applicat potentiam curſivam,nec imperat curſum,niſi prius videat te jam moventem ad currendum: ergo ſimiliter, ſi divinum decretum vult ſolum ſuum exhibere concurſum,ſub pari conditione,ſi voluntas creata velit, non videtur ſufficiens decretum,ad hoc ut omnipotentia & voluntas Dei determinate applicentur, niſi prius prioritate aliqua prævideat voluntatis noſtræ cauſalitatem jam incipientem. *Probatur Minor*: ſi aliqua intelligibilis eſſet anteceſſio & prioritas,etiam rationis ex parte determinationis noſtræ ad ipſum decretum & concurſum determinatum Dei,liceret etiam in eo priori eam intelligere independentem à præfato decreto & concurſu determinato Dei: ſed hoc eſt inintelligibile: ergo & inintelligibile dari ex parte noſtri anteceſſionem aliquam etiam rationis ad ipſum decretum & concurſum determinatum Dei. Majoris dictum ſupponit Pater Herice tanquam veriſſimum,& verè ſic eſt; cum prius in eo ſigno,

gno,ſ a quo prius eſt, intelligi non poſſit dependens à poſteriori. *Probatur Minor:* ex verbis ejuſdem Patris Herice: independentia ab eſſentialibus in nullo ſigno poteſt rei convenire, etiam ratione, ſi nimirum eam, ut in ſe eſt, conſideret, ut per ſe patet: ſed dependentia quam habet determinatio & concurſus voluntatis noſtræ à decreto & concurſu determinato Dei, eſt dependentia eſſentialis; cum omnis creatura ex propria quidditate & eſſentia hanc petat & importet dependentiam: ergo inintelligibilis eſt anteceſſio & prioritas aliqua etiam rationis à parte determinationis & concurſus voluntatis noſtræ ad decretum & concurſum determinatum Dei: ergo inintelligibile eſt, Deum habere ſolum ad actus noſtros liberos decretum, quaſi ſub conditione factum, atque concurſum parans quaſi ſub indifferentia oblatum: ergo inintelligibilis eſt modus ille dicendi Patris Suarez, etiam ab Authoribus domeſticis Societatis, & ex domeſticis rationibus exploſus & explodendus.

Jam ad Patrem Vaſquez accedo, ejuſque dicendi & ſentiendi modum impugno ſimiliter domeſticis rationibus, ipſius ſcilicet Patris Suarez, hunc reſpuentis dicendi modum, ut intelligibilem & falſum: igitur ex rationibus, quas affert & congerit Suarez contra præfatum Patrem *in prologom. 2. de gratia cap.* 8 *num.* 18. argumentor ego ſic.

Decretum, quod requirit Vaſquez ex parte Dei ad actus noſtros liberos, eſt decretum abſolutum quidem, & non conditionatum, ſed tamen ſolum concomitans, non autem antecedens & prævium, ut volunt Thomiſtæ: ſed in doctrina & principiis ejuſdem Vaſquez inintelligibile eſt, requiri ex parte Dei decretum ita abſolutum & concomitans: ergo. *Major* colligitur ex his, quæ habet Vaſquez *tom. 1. in parte, diſp.* 89 *cap.* 10. *n.* 93. & 94. *fol.* 808. ubi ſolam in decreto requiſito admittit concomitantiam, & excludit præintelligentiam & prioritatem. *Probatur Minor:* in doctrina & principiis Patris Vaſquez, inintelligibile eſt decretum, quod prædefinitum ſit & prædeterminativum: ſed tale decretum ita abſolutum & concomitans, hoc ipſo quod abſolutum eſt, non poteſt non eſſe prædefinitivum & prædeterminans: ergo inintelligibile eſt in doctrina & principiis Patris Vaſquez, nec non & Societatis, requiri ex parte Dei decretum abſolutum & non conditionatum, quantumcumque admittatur concomitans. *Probatur Minor:* ex ratione quam affert Suarez loco ſupra citato; hoc ipſo quod Deus per hoc decretum abſolutum vult non ſolum concurrere, ſed etiam vult, quod concurrat & cooperetur voluntas noſtra, hoc ipſo decretum ha-

bet prædeterminativum & prædefiniens: ſed hocipſo quod decretum requiritur abſolutum, per illud vellet Deus non ſolum concurrere, ſed etiam vellet quod concurreret & cooperaretur voluntas noſtra: ergo tale decretum ita abſolutum & concomitans, hoc ipſo quod abſolutum eſt, non poteſt non eſſe prædeterminativum & prædefiniens Majoris dictum certiſſimum eſt ait Pater Suarez, cum hoc decretum, quo Deus vult non ſolum concurrere, ſed etiam quod voluntas noſtra concurrat, ſit decretum abſolutum & de ipſo actu, & de ipſo voluntatis humanæ conatu ad actum, quod quidem, non niſi decreto prædefinitivo & prædeterminanti poteſt competere. *Probatur Minor*, ex verbis ejuſdem Patris Suarez: vel Deus per decretum hoc abſolutum vult, ut voluntas humana cooperetur, vel præcisè vult concurrere, nihil de concurſu, ſeu cooperatione voluntatis humanæ abſolutè diſponendo, ſed quaſi permittendo: ſed hoc ſecundum dici non poteſt; cum decretum, quod ſe habet ad voluntatem humanam ita permittendo, coincidat cum decreto conditionato; & ſemper includat conditionem in objecto ſuo, putà concauſationem liberi arbitrii, quam non determinat, ſed ſuæ libertati permittit: ergo hoc ipſo, quod decretum requiritur abſolutum, per illud Deus non ſolum vellet concurrere, ſed etiam vellet, quod concurreret & cooperaretur voluntas noſtra: ergo hoc ipſo quod decretum requiritur abſolutum, requiritur hoc ipſo decretum prædeterminans & prædefiniens: ergo inintelligibile eſt in doctrina & principiis Patris Vaſquez requiri ex parte Dei ad actus noſtros liberos decretum abſolutum, quantumcumque velit ipſe ſolum eſſe concomitans: ergo inintelligibilis eſt modus hic dicendi Patris Vaſquez circa decretum ex parte Dei requiſitum, inintelligibilis, inquã, etiam ab authoribus ejus domeſticis & domeſticis rationibus exploſus manet & explodendus.

Jam quod nec ſecum ſint præfati patres, ſeu quod non ſint contradictione & contrarietate ſui ipſius liberi, oſtendo & quidem evidentiſſimè quantum ad Patrem Vaſquez ſic. Hujus dicendi modus circa decretum ex parte Dei requiſitum eſt, quod habeat Deus ad actus noſtros liberos decretum abſolutum quidem, ſed tamen ſolum concomitans; unde & excludit præfatus pater à divino decreto omnem præintelligentiam & prioritatem antecedentem futuritionem noſtrorum actuum: ita docet & tenet *tom. 1 in 1. part. diſputat. 89 cap. 10. num. 93. & 94 fol* 808. *& in diſputatione 99 cap. 6 7. & 8 & in diſputat 65 fol. 19 colum.* 1. Atqui hoc eſt, quod negat idem Pater Vaſquez *in 1. part. diſputat. 65. cap. 2. num. 9. ad illa verba* [*deinde ſupponimus*]

quæ

quæ ſunt *in fol.*518, columna ſecunda, ubi admittit decretum eſſe cauſam futuritionis rerum, & ſic præintelligi & præſupponi ad res futuras; & hoc idem ſimiliter admittit *in eadem diſp. cap.* 4. *num.*22 *fol.*522 *columna ſecunda*; nec non & *in diſputat.*68.*cap.*6. *num.*40 *&* 41. Ergo ſibi apertè contradixit Pater iſte in ſtabiliendo decreto illo ex parte Dei requiſito, & in impugnando decreto à Thomiſtis communiter admiſſo, abſoluto ſcilicet, prævio & efficaci, ſuoindeque & cauſante futuritionem actuum noſtrorum.

Quod autem & ſibi ſimiliter contradicat Pater Suarez in hoc noſtro impugnando decreto, & ſuo ſtabiliendo oſtendo ſic: hujus dicendi modus eſt, quod exſpectet Deus per modum conditionis influxum creatæ voluntatis ut ipſe influat, nec decernat ſe influxurum, niſi creatura ſe determinaverit ad influendum in talem actum: ita docet *in Metaphyſica, diſputat.* 22. *ſect.*4. *num.* 14. *& lib.*1. *de concurſu Dei, cap* 14. *num.* 5. *&c.* Atqui hoc eſt quod iſte pater implicitè negat *lib.*1. *de abſoluta ſcientia futurorum contingentium, cap* 3. *num* 14. *& lib.*1 *de concurſu Dei, cap.* 14 *num.*16. Ergo nec eſt Pater Suarez à contrarietate ſui ipſius liber in præfato ſuo dicendi modo circa decretum ex parte Dei ad actus noſtros requiſitum: *Probatur Minor*, hoc ipſo quod dicit & ſentit Pater Suarez, exſpectare Deum per modum conditionis influxum creaturæ, ut ipſe influat vel decernat ſe influxurum, hoc ipſo conſequenter dicit & dicturus eſt videre Deum prius actionem ſeu influxum creaturæ ut ab ipſa, quam ut a ſe; nec enim aliter verificabilis eſt talis exſpectatio, ut patet, & conſideranti magis patebit. Atqui hoc eſt quod expreſſiſſimè negat Pater Suarez locis in minori ſuperioris argumenti citatis, ubi hæc habet: *Vnde non prius etiam ſecundum rationem videt Deus actionem illam ut à creatura quam ut à ſe, vel è converſo; neque cognoſcit unum reſpectum in alio, ſed videt ſimul ſimplicem illam actionem cum utroque reſpectu*: Ergo negat in his locis implicitè Pater Suarez, quod in aliis in majori ſuperioris argumenti citatis docuerat pro ſua ſtabilienda ſententia circa decretum ex parte Dei requiſitum: quod ſi pro impugnando decreto noſtro Thomiſtico, prævio ſcilicet, abſoluto, & efficaci vias amplectantur & ſemitas duo hæc Societatis luminaria majora, in quibus ægre reperiatur vir cum viro; & quod majus eſt, neque vir ſecum, conclude lector

Objectiones, quas hîc de libertate proponere ſolent adverſarii contra præfatum decretum prævium & efficaciter ac abſolute prædefiniens, cum æque militent contra concurſum

prævium & præmoventem, de quo infra, eas propterea ex conſulto omitto, ut eas fuſius evolvamus & diſcutiamus in tomo ſequenti, dum de modo componendi præmotionem cum libero arbitrio, de qua peculiaria & ſpecialia, quæ hac de re notata & meditata habeo, lectori ſtudioſo promitto.

Quænam fuerit mens D. Thomæ circa agitatam difficultatem.

Reſpondeo Divum Thomam omnino favere præfatæ noſtræ concluſioni, quod in primìs probo ego, & quidem irrefragabiliter contra Patrem Suarez, ipſum ex proprio ore judicans & ex propria doctrina, quam habet & affert contra modum dicendi Patris Vaſquez *Prologom. 2. de gratia, cap. 8. num.* 18. ubi ſic loquitur & impugnat decretum quod requirit Vaſquez abſolutum & concomitans: *Vel Deus per illud decretum non ſolum vult concurrere, ſed etiam vult ut voluntas hominis velit & cooperetur, vel præcisè vult concurrere nihil de voluntatis concurſu diſponendo, ſed quaſi permittendo: priori modo decretum eſt prædefinitivum & prædeterminans, & non tantum concomitans, quia & eſt abſolutum de actu ipſo, & de ipſo voluntatis noſtræ conatu ad actum.* Hæc ibi Pater Suarez, ex quibus ſic evidentiſſimè probo intentum.

Nota. Ex verbis & doctrina Patris Suarez: decretum, quo vult Deus ut voluntas hominis velit & cooperetur, eſt decretum prævium prædefiniens & prædeterminans: ſed admittit Divus Thomas, decretum quo vult Deus ut voluntas hominis velit & cooperetur: ergo admittit Divus Thomas ad actus noſtros liberos decretum abſolutum prædefiniens & prædeterminans. *Probatur Minor*, ex verbis & doctrina Patris Suarez: vel vult Deus per decretum ſuum, ut voluntas hominis velit & cooperetur, vel præcisè vult concurrere, nihil de volitione & concurſu voluntatis diſponendo, ſed quaſi permittendo: ſed ex Divo Thoma non præcisè vult Deus concurrere, nihil de volitione & concurſu voluntatis diſponendo, ſed quaſi permittendo: ergo ex doctrina illa Patris Suarez, quæ quidem veriſſima eſt & optima, non poteſt, non admittere ſanctus Thomas decretum, quo velit Deus ut voluntas hominis cooperati velit. *Probatur Minor*, ex Divo Thoma 3. *contra gentes c.* 56. ſcit Deus omnes voluntates noſtras *per hoc quod ſit nobis cauſa volendi*: ſed ſi præcisè vellet Deus concurrere, nihil de volitione & concurſu voluntatis

tatis noſtræ diſponendo, ſed quaſi permittendo, non verificaretur quod *eſſet meus Deus cauſa volendi*, ut per ſe & ex terminis patet: ergo ex Divo Thoma non præcisè vult Deus concurrere, nihil de volitione & cooperatione voluntatis noſtræ diſponendi, ſed quaſi permittendo: ergo ex verbis & doctrina relata Patris Suarez habet Deus ex Divo Thoma decretum, quo non ſolum vult concurrere, ſed quo etiam vult, ut voluntas hominis cooperari velit: ergo cum ſit hujuſmodi decretum ex verbis & doctrina Patris Suarez omnino prædefiniens & prædeterminans, negari non poteſt in doctrina Suaris & Suariſtarum, quod admiſerit D. Thomas in Deo decretum prædefiniens & prædeterminans.

Secundò, hoc idem colligo ex alia doctrina S. Doctoris, & quidem profundiſſima, ex qua non poſſunt non ruere machinæ omnes ædificatæ à modernis in his materiis & controverſiis: hanc autem doctrinam mirabilem habet S. Thomas *in diſp. q. 3. de Verit. art. 1*, ubi inter alia hæc habet: *Cuilibet communi accidit ſpeciale contentum ſub eo; unde ſi intentio agentis eſt aliquid commune tantum, præter intentionem ejus eſſet, quod qualitercumque determinaretur per aliquid ſpeciale: ſicut ſi natura intenderet generale ſolum animal, præter intentionem naturæ eſſet quod generatum eſſet homo vel equus; unde ſi intentio Dei operantis reſpiciat primum ad naturam in communi, tota diſtinctio creaturarum caſualiter Deo accideret: inconveniens autem eſt dicere quod ſit per accidens & caſuale per comparationem ad cauſam primam, & ſit per ſe per comparationem ad cauſas ſecundas; quin quod eſt per ſe prius eſt eo quod eſt per accidens; prius autem eſt comparatio alicujus ad cauſam primam, quàm ad cauſas ſecundas, ut patet in lib. de cauſis: Unde impoſſibile eſt quod ſit per accidens reſpectu cauſæ primæ, & per ſe reſpectu cauſæ ſecundæ: ſic neceſſe eſt dicere quod tota diſtinctio rerum ſit prædefinita Deo.* Hæc ſanctiſſimus præceptor, ex quibus arguo multipliciter contra modernas illas doctrinas Modernorũ.

Primò, juxta Modernorum doctrinam divina omnipotentia eſt indifferenter applicata per divinum decretum, & poteſt ex vi decreti quo applicata eſt æquè influere in hunc vel illum actum, & etiam in nullum, ſi voluntas creata nolit influere; & hæc eſt creata voluntas, quæ determinat ſuo influxu decretum Dei ad hanc potius ſpeciem quam ad aliam: ita Suarez *l. de concurſu Dei, c. 15. n. 5 & c. 12. n. 11.* Ergo ex vi decreti & modi præparandi cócurſum manet voluntas noſtra indifferens quoad ſpeciẽ & exercitiũ, cum juxta hanc doctrinã non magis inclinet ex vi talis decreti

ad amandum, quam ad non amandum, vel odiendum, ſed ſit ad utrumque paratus concurſus Dei : ergo per accidens eſt huic modo decernendi & providendi circa actus noſtros, quod voluntas noſtra amet vel quod odiat: ergo datur aliquid, quod ſe habet per accidens in comparatione ad cauſam primam: ſed hoc expreſſiſſimè negat & negandum probat D. Thomas verbis ſupra citatis: ergo & negat D. Thomas quod ad modum, quo decernit Deus circa actus noſtros, per accidens ſe habeat, quod voluntas noſtra amet, vel odiat; ergo & negat D. Thomas quod ex vi decreti & modi præparandi per illud & præbendi concurſum, maneat voluntas noſtra indifferens quoad ſpeciem, ſicut & quoad exercitium : ergo & negat D. Thomas modernas illas modernorum doctrinas, putà quod divina omnipotentia ſit indifferenter applicata per divinum decretum, & poſſit ex vi decreti quo applicata eſt æque influere in hunc vel illum actum, vel etiam in nullum ſi voluntas creata influere nolit.

Secundo juxta modernorum doctrinam non prius etiam ſecundum rationem actio creaturæ eſt a Deo, quam a creatura, neque cognoſci poteſt reſpectus, quem habet ad creaturam, in reſpectu, quem habet ad Deum ; ſed ſimul cum utroque reſpectu cognoſci debet : Ita Suarez *libro primo de abſoluta ſcientia futurorum contingentium, c. 3 n. 12.* ſed hoc expreſſiſſimè negat D. Thomas loco ſupra relato ubi habet expreſſis terminis: *Prius autem eſt comparatio alicujus ad cauſam primam, quam ad cauſas ſecundas, ut patet in lib. de cauſis.* Ergo & negat S. Doctor modernas illas modernorum doctrinas, circa decretum ex parte Dei requiſitum ad actus noſtros.

Tertiò, ſub diſtinctione rerum cadit electio unius præ alios cadit determinatio ad unum ſpecie actum, potius quam ad alium, &c. ſed concludit D. Thomas diſcurſum ſuum ſupra citatum his verbis: *Unde neceſſe eſt dicere quod tota diſtinctio rerum ſit prædefinita à Deo* : ergo & intendit concludere S. Doctor, prædefinitum eſſe à Deo, quod voluntas noſtra unum præ alio eligat, quod ad unam ſe determinet partem potius quam ad aliam, proindeque & quod habeat Deus prædefinitiva decreta circa actus noſtros, abſoluta, antecedentia, & efficacia ; non autem ſolum indifferentia vel concomitantia, ut volunt adverſarii.

Demum hoc idem colligo ex his, quæ docet S. Doctor *in 1. p. q. 19. de voluntate Dei. art.* 8. qui quidem articulus eſt Petra ſcandali contra modernas Modernorum doctrinas, ſeu contra Authores ſcientiæ mediæ, & defenſores decretorum indifferentium

tentium,& concurſus ſub indifferentia parati & oblati pro ſervandâ & ſalvanda,ut inquiunt,libertate actuum noſtrorum. In hoc enim articulo ſibi imprimis objicit D. Thomas contra hanc ſuam rationem & modum conciliandi libertatem noſtram cum divina voluntate argumenta,quæ his temporibus Moderni authores indicant difficiliora,& habent ſibi in quotidianis diſputationibus pluſquam nimis familiaria;& D. Thomas ea hic ſolvit perſiſtendo ſemper & immutabiliter in eadem ratione, & ex ratione ipſas deducendo ſolutiones ; pro quo attendat Lector ſtudioſus ad argumentum ſecundum & tertium , & ad eorum ſolutiones.

Item in eodẽ articulo concludit in corpore,quod ex ipſa ſumma divinæ voluntatis efficacia provenit,quod aliqua fiant neceſſariò,& aliqua contingenter & liberè,in quantum ſcilicet debens Deus ratione ſummæ & omnipotentis efficaciæ attingere & cauſare tum ipſum effectum tum modum quo fieri debet, inde fit,quod velle debeat aliquos nedum produci,ſed etiam contingenter & libere produci,& his propterea præparaverit contingentes & impedibiles cauſas : aliquos vero produci neceſſariò non liberè, & iſtis præparaverit & præparare debuerit cauſas inimpedibiles & neceſſarias.

Hæc D Thomas,in quibus cum recurrat ad omnipotentem divinæ voluntatis efficaciã pro ſalvanda libertate in actibus noſtris à Deo volitis , utpote quæ in quantum omnipotens,ab intrinseco habet[ut nuper dicebamus]producere poſſe in ſuo ordine cauſæ primæ omne,quod cadit ſub ente , & conſequenter actum noſtrum ſub modo & ratione liberi,nemo non videt opponi è diametro ſanctum Doctorem modernis iſtis Modernorum doctrinis,qui potius pro hac ſalvanda libertate recurrunt ad decreta divinæ voluntatis,quantum eſt de ſe inefficacia , & volunt aliquid requiri extrinſecum putà futuritionem actuum noſtrorum prævisam ſub conditione,ad hoc ut divina voluntas non imponat illis neceſſitatem Cæterum hoc unum ab adverſariis ſciri velim,quod ego pro certiſſimo teneo,putà quod non niſi poſt multam orationem & contemplationem altiſſimam hac in hoc puncto ratione utitur, & uſus fuit D.Thomas. Qui enim in aliis materiis nunquam ſe lectioni aut ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem , certè in hoc graviſſimo & difficillimo puncto,inter homines tam controverſo ante , & tam controvertendo poſtea,non potuit S.Doctor non multum orationis & contemplationis præmittere,ut inde altiſſimam hujus difficultatis radicem & attingeret & proponeret.

At hæc de Deo increato ente dicta ſufficiant, atque huic noſtræ Metaphyſicæ finem imponant; quæ utinam & ad utilitatem aliquam proximorum, & in Eccleſiæ [cui omnia humillimè ſubmitto] aliqualem obſequium cedant ſervitiumque, & mentem fuerint aſſecuta Doctoris & Præceptoris Angelici D. Thomæ, quam quidem ut aſſequerer non negabo, me cum hoc Angelo ſicut & Jacob per noctem, & noctes ac dies luctatum fuiſſe, quia ejus doctrinam & mentem non ſemper penetrant primi contactus nec primi congreſſus: utinam ergo appareat veritas, & litteræ ſpiritus, qui vivificat obtentus fuerit; atque in ejus cultum cedant, quæ hic appoſita, cui ſcilicet ſi quid video debeo, ſi quid vidi debui; & debebo, ſi quid deinceps pro ſequenti Tomo videro.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2005419

275

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA
1971

Digitized by Google

185